
Anno 1601

479

Digitized by Google

R-1005



Digitized by Google

271.5
AN7
FLL
15479


Digitized by Google

Digitized by Google

P—11

~~129~~ 8.

Digitized by Google



Digitized by Google

15.479

ANNVÆ LITTERÆ SOCIETATIS IESV.

Anni M. DC. IV.

Ad Patres & Fratres eiuſdem Societatis.



Madrid
De la Librería del Noviciado de la Compañía de Jesus

DVACI,
Ex Officina Viduæ LAVRENTII KELLAMI,
& Thomæ filij eius Typogr. Iurati,
ſub ſigno Agni Paſchalis.

M. DC. XVIII.

BIBLIOTECA
HISTORIA Y LETRAS
Digitized by Google

Digitized by Google

ANNVÆ LITTERÆ SOCIETATIS IESV, ANNI M. DC. IV.

PROVINCIA SICVLA.

NVMERAVIT Sicilia hoc anno Socios viginti tres, ſupra quingentos, Septemdecim domibus diſtributos. Nam Panormi in Profeſſorum domo quadraginta nouem verſati ſunt; In Collegio centum; in domo Probationis quadraginta: In Meſſanenſi Collegio ſeptuaginta quinque; in domo Probationis quadraginta; Siracuſis viginti duo; totidem Catinæ; in Monte Regali vndeuiginti; Bibonæ viginti duo; idem numerus Calataierone; Rhegij duodecim; Drepani triginta duo; Minei ſeptemdecim; Marſalæ, quæ & Lilybæum dicitur, quindecim; Calataniſſettæ ſeptemdecim; Melitæ tredecim; Chij ſex. Admiſſi in Societatem vnus & triginta. Fato erepti tredecim.

A PANOR-

Digitized by Google

PANORMITANA PROFESSORVM DOMVS.

MAGNIS hoc anno res domestica processit incrementis, nam & peristylium de perpolito lapide erigi cœptum est, cuius singuli ordines tredecim columnis absoluantur, & in templo sacellum vario marmore constructum eleganter. Erat etiam templo nostro contigua ædes, diuis Cosmæ, & Damiano sacra: quam nostris vsibus omnino necessariam, hoc tandem anno ab Archiepiscopo, Senatuque, & cæteris, in quorum potestate erat, impetrauimus; eademque opera ab iisdem multo ampliorem, elegantioremque aliam aedem obtinuimus, ad quam Sanctorum illorum cultus transferretur; quæ res ita superis arrisit, vt eam manifesto miraculo apud homines comprobarint; dum enim solenni pompa Sanctorum simulacra è veteri ad nouum templum asportarentur, quidam, qui multo iam tempore vitio pedum stare non poterat, ad sacrorum signorum aspectum illico non stetit modo, sed expedite etiam, quacumque libuit, ambulauit. Matrona nobilis quatuor dedit aureorum millia, quibus nouum in templo nostro sacellum excitaretur; ad sacram etiam supellectilem quatuor cum cruce accesserunt argentea candelabra, calices tres, & sacerdotum vestes ex auro argentoque elaboratæ. Multa per nostros patrata sunt egregia charitatis in homines, atque in Deum opera; non pauci à peccandi inueterata consuetudine deterriti, ad meliorem frugem reuocati: emendicata

Digitized by Google

emendicata stipe de carceris squalore octoginta sex liberati; multoque plures à vitiis enormibus erepti. Nam Deo dicata mulier, quæ cum religioso, sed perdito viro, quindecim ipsos annos rem habuerat, ad Christum sponsum cum lacrymis atque animi dolore rediit. Quædam etiam quæ lethale crimen reticuerat, & sacramenta sæpius sacrilego scelere vsurpauerat, in ipso intempestæ noctis silentio, quodam spectro monita est, in quanto suo salutis periculo versaretur: crimen illud, etiam si homines lateret, Deum fugere nequaquam posse: sensit illa diuinitus eum ad se missum obiurgatorem, quem quidem, quis esset, discernere non potuit; vnum illud pro certo affirmabat, multa se charitatis opera pro defunctorum animis, etiam in grauissimo illo crimine solitam exercere, atque adeo ab eorum aliquo salubre sibi, de aperiendo rite scelere, consilium esse datum. Id etiam non omnino præteriri debet, quanta sit sacrarum precum vis, ad communes humani generis hostes deterrendos, cuius rei præclarum virgo quædam præstitit documentum. Hæc enim quamuis annis iam grauis, ab ea quam semel integris viribus instituerat assiduitate precandi, cum ne latum quidem vnguem discessisset, ea re commotus aduersarius, nullum non mouit lapidem, vt virginem constantissimam à tam laudabili incœpto reuocaret. Nam & caput illius, dum ad Deum preces funderet, vehementibus doloribus contorquere, & fauces identidem præfocare, & latera tam acriter distringere, vt extremum sibi spiritum iam iam exhalatura videretur: his demum vocibus horrendum in modum minitari; Tune meus in te cessabit furor,

ror, cum tua ista pariter tam frequens cessabit oratio. Illa tamen ipsis hostium minis fortior, omnes illorum conatus pro nihilo ducere: feruentius quam antea orationi incumbere: videre vanos insultus: iterum atque iterum, vt maius aliquid, si possent, auderent, magnanimis vocibus prouocare: qua re ita penitus hostem fregit ac fugauit, vt ne mutire quidem verbum in eam amplius ausus fuerit. Reliqua quotidiana sunt. Febri sublatus est Marius Guerrerius senex temporalis coadiutor.

COLLEGIVM PANORMITANVM.

QVAM plurimis prætermissis exercitationum nostrarum fructibus, qui vt magni sint, ab iis tamen præteritorum annorum non multum discrepant; vnum aut alterũ referemus ex iis, quæ passim accidere nequaquam solent. Quidam de nostrorum numero, cum in platea quadam ciuitatis, ad populum de more verba faceret, ecce tibi vnus nescio quis de media turba, in dicentem importune, ac per summam licentiam inuehitur, sermonem inconditis vocibus interpellat, maledictis, & omne genus conuitiis, Societatis nostræ viros carpit ac mordet; contra noster blande hominem alloqui, supplex rogare, ne tam Deo gratum opus interturbaret, videret ne quid ageret, cuius eum postea pœniteret; Atque ille quidem initio, quo noster humanius hortabatur, eo voces ineptas insolentius attollebat; Sed deinde paulatim modestiam viri admiratus, & magnam animi

Digitized by Google

animi æquitatem, aliam omnino mentem induit, & suam sponte audaciam detestatus, vbi à nostro peroratum est, ad ipsius pedes accidit, vtque illatam condonaret iniuriam, deprecatus est. Non adeo ab hoc dissimile illud est, quod in carcere euenit; detinebatur enim inibi latro quidam, grauissimis sceleribus coopertus, & qui tam erat truculentus, vt ipso vultu terrorem inspicientibus incuteret: is ne verbum quidem de diuinis rebus admittebat, deploratam iam esse suam salutem arbitrabatur. Solebat ad carcerem de nostris vnus statis diebus sese recipere, vt qua melius fieri posset ratione, calamitosos homines, & rerum omnium indigentes adiuuaret, nam & Sodalitium hoc ipso anno ibidem instituerat, quo frequens eorum numerus ad pias exercitationes conueniret: hic igitur de miserando latronis statu monitus, postquam à Deo ad id opem implorasset, statuit hominem aggredi: cubiculum, in quo tum forte erat, ingreditur, decedunt continuo alij, solus cum solo remanet: sensit rem ille, & antequam à nostro compellaretur, indignabundus distortis illum oculis intuetur, tum vero sic occupat: Quorsum ad me venis? pecuniam ego nullam habeo, rerum quippe nostrarum omnino ignarus, censebat nullam nobis pauperum curam esse, & diuitum tantummodo rationem haberi; tum noster, nihil quicquam ea voce exanimatus, ad furentem constanter accedit, composito atque sereno vultu in amplexus ruit, verbis mollibus iracundiam lenit, ac frangit. Quid plura? vnico verbo prorsus flexit, ac superauit; hortatus namque est humaniter, vt illud sæpius in memoriam reuocaret, atque animo diligentius

gentius volueret; Momentum, vnde pendet æternitas; quorum verborum ſententiam vbi noſter aperuit, repente ita vehementer animo commotus eſt, vt à diuturno illo lethargo reſipiſcens, in genua procumberet, ingentique lacrymarum atque gemituum vi, præteritæ vitæ ſcelera deploraret atque deteſtaretur. Nec niſi poſt integram horam inde ſurgeret, flens etiam tunc atque eiulans, Chriſti Domini de cruce pendentis imaginem intuitus, elata voce antè actæ vitæ ſcelera coram omnibus confiteretur, vt vix ab adſtante noſtro ſacerdote ne id faceret potuerit prohiberi; tum demum cubiculo egreditur, proximos quoſque conuocat, cum lacrymis, atque ſuſpiriis exclamat, Societatis Ieſu viros humanorum cordium claues habere, quocunque vellent homines vel trahere, vel ducere: ſe id experimento proprio didiciſſe; nec diu moratus, quicquid apud ſe haberet, pauperibus erogauit. Peccata omnia pœnitentiæ Sacramento rite expiauit, pleroſque alios, vt illud idem facerent adduxit. Turca ſeptuagenarius, quem ſæpiſſimè vt impiæ religioni nuncium remitteret, quidam è noſtris fuerat hortatus, nocturna voce ter monitus vnicam eſſe ſalutis æternæ viam, quam Chriſtiani commonſtrarent: cum primum dies illuxit, ſacro ſe baptiſmate tingi velle, & Chriſtum ſequi profeſſus eſt; atque eo ipſo die, qui natalis B. Virginis fuit voti compos factus eſt. Mortui ſunt duo; ſacerdos alter Io. Dominicus Piſanus profeſſus quatuor votorum, qui hinc in patriam Neapolim valetudinis cauſſa profectus, vbi peruenit, ibi in profeſſorum domo obiit, ad hoc tamen Collegium pertinebat. Alter Vincentius Ferrarius adoleſcens,

dum

Digitized by Google

dum Philosophiæ operam daret, singulari erat in virginem pietate; nam, vt cætera omittam, dum in lecto decumberet; ad extremum vsque spiritum nihil nisi vel cum illa, vel de illa adstantibus locutus est.

DOMVS PROBATIONIS PANORMITANA.

TRES cælo prius, quam nostræ Societati peperit alumnos; Franciscum Fassari, qui non multo ante vota emiserat; fuit hic in frangendis animi motibus constantissimus; toto tyrocinij sui biennio abstinuit à prospectu fontis pulcherrimi, propter quem quotidie statutis horis conuenire, & colloqui tyrones omnes solebant. Vincentium deinde Truffinum, cuius egregia erat in Beatum P. N. Ignatium fides ac religio; habebat is apud se æream B. P. icunculam, cum comes additus est sacerdoti nostro, qui ad quandam de vicinia, partus difficultate pæne moribundam, aduocabatur; solutis enim venis tam immanem sanguinis copiam profuderat, vt de eius salute prorsus medici desperarent: tum Vincentius suam profert icunculam: de collo laborantis suspendit: Opem B. P. adstantes implorant: mirum dictu! statim incolumis fœtum incolumem enixa est, ipsa etiam obstupescente obstetrice, quod præter morem non paullatim, sed simul & vno quasi ictu puer exilierit, qua etiam re confirmatus Vincentius, cum non multo post idem illud numisma homini ad mortem ægrotanti admouisset, ad pristinam valetudinem facile reuocauit. Atque hi quidem

Digitized by Google

ſcholares vterque erant. Tertius verò temporalis coadiutor, cuius funus & acerbum fuit, & commiſeratione digniſſimum; Ita autem habuit. Reuocati ſunt hoc anno ab Agrigentina reſidentia, quicunque inibi de noſtris verſabantur; paucis ergo diebus antè profectis aliis, vnus erat reliquus Silueſter Groſſus, qui abſoluto ferme biennio, Panormum ad vota nuncupanda venire iubebatur: is vbi tempus monuit, paratis ad iter rebus neceſſariis, ſacris ſub auroram interfuit, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ pane animum refecit. Quoniam vero viarum non admodum gnarus erat, ducem ſibi iuſto pretio conduxit hominem, qui primo aſpectu ſi non probus, certe non omnino improbus videretur; cum hoc ergo itineris vel ſocio, vel duce Silueſter ciuitate egreſſus, per decem fere paſſuum millia, chriſtianæ doctrinæ rudimenta rogantes viciſſim, ac reſpondentes percurrebant: ſed profecto infidus comes longe aliud animo agitabat; quam id eſſet quod ore tenus profitebatur: peruenerant iam ad fines oppiduli cuiuſdam, quod à ſancto Angelo nomen ſortitum eſt. Silua ibi erat non longe à via, frutetis atque arboribus denſior, ad eam vt curandi corporis cauſſa diuerteret, facile Silueſtro fraudis prorſus inſcio perſuaſit. De mula ille qua vehebatur deſilit, atque in vmbroſo loco ad lapidem caput inclinat, vtque fieri ſolet (quoniam ſuperioris noctis maximam partem inſomnis duxerat) ſomno repente capitur; tum ille furcifer, cum rem è conſilio ſuo videret cecidiſſe, aliud ingens ſaxum vtraque manu de terra ſubleuat, & quanto poteſt impetu in dormientis caput per ſummam impietatem librat, atque impingit, quo vno ictu confectus,

Digitized by Google

ctus, dulcissima Iesu atque Mariæ nomina inuocauit, tum manum pectori admouit, vt extractam inde sacram imaginem exoscularetur, sed vi vulneris victus prius, quam id consequi posset, animam efflauit. Quod vbi sceleſtus homicida animaduertit, nihil quicquam tam miserando spectaculo commotus, cadauer totum, ac vestimenta diligentissime scrutatur, censebat quippe magnã aliquam pecuniæ summam Agrigento illum extulisse, eaq; mente tantum facinus tam impie perpetrauerat; sed vero, præter paucos ad viaticum numulos, & argenteum Societatis ad consignandas litteras sigillum, aliud inuenit nihil; hæc tamen cum calceis ac veste abstulit, eademque die homo insanus Agrigentum reuertitur cum præda; publicas ciuitatis vias ac forum, vbi tum nundinæ celebrabantur, diurnus obambulat. Sperabat siquidem fruticibus, ac glebis, quibus innocentis cadauer obruerat, tantum se scelus simul obruturum, sed neutrum Deus Optimus diu latere passus est; postridie enim nonas maias, qui dies fuit sceleri secundus, quidam ex vicino oppido per eadem illa loca venationis studio pererrans, cum canes assiduo latratu aliquid prædæ in ea siluæ parte latere significassent, oculis ille locum curiosius lustrans, vbi humanos extare pedes animaduertit, ad oppidum trepidans reuertitur, rem, vt erat, nunciat, mittuntur qui diligentius explorent, ij cadauer gestant ad oppidum, & ex parentibus litteris, hominem eum de Societate nostra fuisse comperiunt, honesto in loco reponunt in sacra æde, nuncium ad nostros, quos Agrigento omnes discessisse non dum nouerant, mittunt: Agrigentini supra quam cuiquam credibile

Digitized by Google

dibile est casus acerbitate commouentur, homicidam accuratius inuestigant, alia omnia cogitantem comprehendunt; quærunt quidnam de Siluestro fecisset, qui se nudiustertius comitem addiderat; non ille vim, non cruciatus expectat, ipsa sceleris conscientia exanimatus plane omnia confitetur, in carcerem coniicitur, ac capitali pœna homo sceleſtissimus multatur. Dum hæc Agrigenti agerentur, Sancti Angeli præfectus reuersum inde tabellarium, Bibonam ad Collegij Rectorem cum litteris & mandatis mittit, quibus eũ prius de re tota breuiter docebat, deinde quid de cadauere fieri placeret, rogabat; vellet ne Bibonam vel Agrigentũ asportari, an potius in eodem, in quo ipse reponi iusserat, sepulcro manere; tum orta est inter Agrigentinos ac Bibonenses contentio non leuis; hi enim Siluestri reliquias (hoc vocabulo corpus illius exanime cohonestabant) apud se condi tumulo volebant, iamque ad eam rem certos homines designauerant. Ex alia vero parte illi miserant non exiguam, cum feretro, hominum manum; quibus acceptis, Collegij Rector, quanquam Bibonensium studium laudauit, pro Agrigentinis tamen, vt par erat, sententiam tulit; gaudent illi vehementer, suoque iure vtuntur: tertius agebatur à cæde dies, cum è sepultura educitur, & qui viuens subnigro colore fuerat, formæque haud liberali, albescit iam, & aspectu ipso conspicuus, obstupescentibus omnibus apparet; non modo nihil ipse graue olens, sed vt sepulchrum, in quo triduo quieuerat, quod cum primum cadauer eius accepit, adeo grauem odorem ex aliis ibidem corruptis cadaueribus exhalabat, vt ferri non posset; post triduo dum Siluestrum

Digitized by Google

ſtrum extraherent, propè bene olere cœperit, id omnes qui adfuerunt conſtanter affirmant; adfuit vero, præter quam plurimos aduenas, totum prorſus oppidum. Igitur Agrigentini cum cadauere vbi ad ciuitatem peruenere, illud elegantius componunt, atque accurrentibus cateruatim ciuibus ſpectandum exhibent, nec multo poſt, celebri potius quam funebri pompa, obuiam venientes excipiunt; fuerunt enim in his omnium ordinum omnes ferè religioſi viri, & Clerici cum Epiſcopi vicario, magiſtratus, virique primarij cum plebe vniuerſi; campanis, quæcumque in ciuitate erant, perſtrepentibus, conditum eſt cadauer lignea in arca, atque in honeſto templi loco, ſeorſim à reliquis honorifice collocatum; hos dedit fructus domus probationis Panormitana.

COLLEGIVM MESSANENSE.

FLORVIT hoc anno, vt ſemper antea, qua litterarijs, qua ijs, quæ ad excolendos animos pertinent exercitationibus; ſed tamen, non ſine magno doloris ſenſu, duorum ſacerdotum mortem pertulit; quibus veluti ſolidiſſimis columnis maxime nitebatur. Alter fuit Pater Ioannes Matthæus Baldus Ramettenſis, Coadiutor ſpiritalis formatus; quintum ſupra quinquageſimum agebat annum, tanta in audiendis peccatorum confeſſionibus vel aſſiduitate, vel charitate, vt nullam ad id horam non cenſeret opportunam: diu noctuque ita paratus erat, vt, cum pleraque à natura præclara haberet, ad nihil tamen aliud factus videretur,

Digitized by Google

deretur; quapropter omnibus tam domesticis, quam externis charus adeo erat, vt communibus lacrymis, non secus ac si parens esset omnium, eius obitum prosecuti sint, nec nisi post duas ab exequijs horas tumulo condi potuerit, tanta fuit hominum turba, quæ ad sacras exosculandas manus, vndique confluebat. Fuit alter P. Vincentius Cassagnola Messanensis, ex Chio insula ducens originem, Professus trium votorum, senex annorum septuaginta, ex quibus duodeuiginti in Societate nostra vixerat; fuerat enim antea miles, atque in ipsa militia non vulgares gradus dignitatis consecutus; nã & dum in mari res ageretur, toti quinqueremi dux præfuerat; & cum etiam terra exercitus duceretur, non exiguam militum manum sub sua potestate habuerat. Cumque tandem victor cũ victoribus, ex nauali illo bello redijsset, quod bellum Sereniſſimi Ioannis Austriaci auspicijs contra barbaros gestum est; vir alioqui probus, & ad omnia virtutum exercitia propensus, sæculari renuncians militiæ, statuit Societati nostræ nomen dare; cum tamen, quod mirum sit in militari vita, per quindecim ipsos annos ante quam nostrum sequeretur institutum, nunquam, quod meminerit, mortali culpa animum commaculasset; sed neque id omnino dissimulandum est; mulierem quandam multo ante tempore Vincentio ceciniſſe, ipsum & de Societate IESV futurum, & proximorum saluti egregie inuigilaturum; quæ profecto à vero ne tantillum quidem aberrauit. Sedebat enim, vt alia sileam, quotidie Vincentius noster plures per horas in ea sede, ex qua peccatorum exomologeses excipere erat solitus, etiam si in templo neque quisquam esset, vel certe

Digitized by Google

certe ad peccata aperienda nemo accederet; eaque de re à neſcio quibus rogatus, illud imitatione digniſſimum reſpondebat: Mercatores etiam, atque opifices ſæpiſſime, cum nihil vendunt, ſpe tamen lucri in ſuis tabernis otioſos conſidere. Ceterum vt ne ſim longus, fuit Vincentius legum noſtrarum non modo diligentiſſimus, ſed etiam religioſiſſimus obſeruator, ſimul atque executor, moribus erat facillimis, ſuauiſſimaque oratione, qua mirum in modum quoſcumque aggrederetur, nullo negotio ad Dei optimi obſequium impellebat: inter quos Don Vincentius Aragona, Ducis Terrænouæ Siciliæq; Proregis filius, ad noſtram Societatem acceſſit, immo in ea, nondum expleto tyrocinio, è vita ſanctiſſime deceſſit. Sed Caſtagnola noſter cum ſenex eſſet iam, & in lecto morti proximus decumberet, vnum illud mente ſimul, atque ore identidem agitabat, quod ſæpiſſime etiam antea conſueuerat; nihil ſe dignius, nihil ſublimius à Deo Optimo Maximo in hac vita conſecutum eſſe, quàm quod ad Societatem noſtram & vocatus fuiſſet, & admiſſus, & quod caput eſt, ad extremum vſque tempus vitę in ea perſtitiſſet; quo ille præſidio tam in tuto collocatam ſuam ſalutem arbitrabatur, vt ſimul & exhalaret animam, & dexteram in cœlum porrigeret, viam nimirum oſtentans, qua ſibi ad ſupernam patriam non multo poſt eſſet, Deo volente, penetrandum.

DOMVS

DOMVS PROBATIONIS MESSANENSIS.

PERCIPIEBAT domus hæc, ex quadam molendi frumenti officina, neſcio quid lucelli, ſummam credo centum aureorum conficiebat; cum ecce tibi nimia aquarum erumpente vi, tota cum domo è fundamentis machina ſubruitur, quam cum iterum in alio, & quidem tutiore loco collocaſſemus; aquarum iterum impetu funditus illa diſturbatur: neque id ita euenerat, vt cauſſis naturalibus tribui omnino deberet; immò verò potius diuinitus factum eſſe; nam Sacerdos quidam ex vicino S. Philadelphij oppido, qui iuſta accepta à nobis mercede ſacrum per ſingulas hebdomadas facere tenebatur pro eius anima, qui illam nobis officinam teſtamento legaſſet, per ſeptem circiter menſes debitum officium non excoluerat; quare curatum, vt id muneris alij demandaretur, & ſingulis denuo inſtauratis, tantum ex noua officina fructum percepimus, vt præterita damna continuò reſarcita ſint; prius enim, vt diximus, centum tantummodo aureos, nunc autem ducentos quinquaginta ex ea per annos ſingulos percipimus; ad quos etiam centum annui aurei accedere, quos quidam è noſtris liberali donatione aſſignauit. Vt autem ad ea, quæ ad animi cultum pertinent veniamus, incredibilia edidere Tyrones noſtri omnium virtutum exempla, in reprimendo præcipue gulæ vitio; ad id enim vt ea fert ætas vehementer incitati, vt contraria, quod aiunt, contrarijs curarent, res quaſque ſpurciſſimas non

Digitized by Google

non ad os modo admouerunt, sed abligurierunt etiam, quas ne cogitando quidem alius quiuis nauseam tenere potuisset. Illud quoque æquanimitatis argumentum fuit non vulgare. Tyro quidam cum fratrem haberet in vinculis capite damnatum, monitus ab alijs, vt quaqua posset viâ niteretur illum à tam acerbo supplicio liberare; respondit iniquum sibi videri, vt quod æqui iudices statuissent, id iniustis, vt aiebat, precibus subuerteretur; Immo displicere sibi nequaquam posse germani fratris interitum, quod idem Deo optimo placeret; quin, si ita ille annueret, fraternæ necis ministrum se fore paratissimum.

COLLEGIVM SYRACVSANVM.

NOvvs Episcopus cum primum venit in Collegium, multo exceptus est omnis generis carmine, quam ille rem sibi arridere plurimis beneuolentiæ significationibus declarauit. Concionum quadragesimalium fructus, fuit solito vberior, quod concionator non tam verborum captandis floribus, quam animorum curandis morbis operam nauauit. Quidam ex opificum sodalitio, dum male à viro nobili verberibus exciperetur, Tunde, inquit, hoc corpus, tunde, animum certe meum tundere non poteris. Alter in humero semel malleo percussus, vt iterum in alio percuteretur, percussorem obsecrauit. Hæc Syracusis, vnde ad oppidum Alij à quibusdam è nostris excursum est, ibique, vt alia omittam, duæ institutæ sunt hominum Sodalitates, nobiliorum altera,

Digitized by Google

altera, altera plebeiorum, quibus ad pietatem egregie informatis, breui tota oppidi facies commutata est; cuius rei, fr alia innumera deessent signa, illud satis superque esset, quod per decem dies à prima vsque ad tertiam noctis horam, ingentium saxorum fragor in omnibus tectis exauditus est, quibus callidissimus humani generis hostis territare illos voluit, vt à præclaro incœpto desisterent; neque enim illud commune omnibus terriculamentum venire aliunde poterat, cum præcipue tot per dies, diligentius obseruantes saxa quidem per aerem ferri, atque in tecta irruere animaduerterent, rei vero auctorem nullum vsquam deprehenderent; sed & illud admiratione dignum accidit, tam grauium saxorum pondere, ne tenues quidem tegulas esse vel comminutas, vel certe loco suo motas, id quod in caussa fuit, vt oppidani vanos hostis conatus irriderent: quamobrem ille ad validiora se vertit, ad mutuam discordiam Sodalitij vtriusque magistratus trahit atque impellit, sed ne id quoque ex votis ei procederet, præsenti remedio cautum est, vt scilicet ex vtroque vnum fieret Sodalitium, cui omnes omnis generis homines, modo perspectæ virtutis essent, nomen darent.

COLLEGIVM CATINENSE.

VT Catina, nescio quo nam fato, multis abundat ciuilibus discordiis, ita in ciuium inter se animis conciliandis nostrorum industria, atque opera præcipue eluxit. Multas præterea & quidem

quidem grauissimis scelerib⁹, antequam fierent, obuiam est itum; quæ singula recensere molestum esset. Febri sublati sunt sacerdotes duo. Alter Thomas Saltamarus concionator Syracusanus, quadragesimum secundum agens ætatis annum. Alter Ferdinandus Paterno, nobilis Catinensis, annos natus quatuor & sexaginta, quatuor votorum professus, qui præter alios dignitatis gradus in Societate nostra, bis ad Philippum secundum Hispaniarum regem legatus est missus; apud quem cum diutius moraretur, atque in eadem aula B. noster Aloysius Gonzaga adolescens versaretur, ita illo familiariter est vsus, vt ipsum sibi ducem, in rebus ad animi cultum spectantibus, constituerit: & Deo primum excitante, deinde Ferdinando nostro adiuuante, sequendæ Societatis nostræ consilium susceperit. Illud vero inuictæ fortitudinis exemplum quis non merito suspiciat? Vocatus ad exomologesim excipiendam Ferdinandus mulieris, vt dicebatur, ægrotantis, vbi domum ingressus est, non vnam, sed plures immani libidinis febre labo[illegible]antes inuenit; à quibus non verborum modo illecebris, sed aperta vi ad nefarium scelus vel cogitur, vel appetitur; tum ille diuinam in tanto periculo opem implorans, vim vi, quo melius modo potuit, repellens, concitata fuga ad sceleratæ domus limen victor euasit. Longè profectò in opprimendis internæ libidinis motibus fortior, quam in tot præsentium pestium inhonestis conatibus frangendis.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM MONTIS REGALIS.

ENERGVMENA quædam, quæ, docente dæmone, secreta aperiebat,, ab eodemque acerrime per singula fere membra vexabatur, nostri sacerdotis susceptо consilio, vt missa faceret superstitiosa, quibus prius vtebatur, medicamenta, atque ad sacram Eucharistiam confugeret, quam rite semel in quaque hebdomada susciperet; breui omnino conualuit, atqne à cacodæmonis tyrannide liberata est. Facta hinc est excursio ad oppidum Mirtum, è quo multi eradicati sunt abusus, qui maxime à Christiana religione abhorrebant; nam & ipsa quoque ibi aperta scelera, quotidiano vsu licita atque permissa videbantur.

COLLEGIVM BIBONENSE ET CALATAIERONENSE.

IN Bibonensi Collegio, præter insignem inter magistratus, & viros nobiles conciliatam pacem, nihil noui accidit. Calataierone, quidam adulterio famosus, cum nostræ concioni interfuisset, domum reuersus, adulteram expulit, & leprosum de triuio mendicum lauto excepit prandio, atque apud se sedere in mensa iussit, non sine magna amicorum admiratione. Senatus atque primores ciuium, qui ius habent suffragij, ad alia

Digitized by Google

alia innumera in nos beneficia, quibus Collegium à fundamentis vsque excitauere, semperque in dies magis magisque auxere atque ornauere, septem hoc anno aureorum millia addiderunt, quibus ita annui reditus augerentur, vt nihil amplius ad fundationem, vt nos loquimur, requireretur. Multi ex iis, qui nostrum frequentant gymnasium, ad varios religiosos ordines, ad nostrum vero octo omnino accessere.

COLLEGIVM RHEGINVM, DREPANITANVM, ET MINEENSE.

EGREGIA fuit Rheginæ ciuitatis in nos liberalitas; priuatim enim ac publicè magnam pecuniæ contulerunt vim, qua fructus annui ad maiorem nostrorum numerum alendum augerentur. Aluit hoc anno Drepanitanum Collegium eos, qui tertio exercentur probationis anno, è quorum numero tres missi sunt sacerdotes ad varia oppida, cum magno rei Christianæ emolumento. Sed Gulisani id euenit admiratione dignum; eo in oppido quidam erat homuncio neruis ita contractis, vt sine alterius ope neque quicquam facere, neque se loco mouere posset; haud tamen ideo animus vel liberior ei erat vel expeditior, per quinque enim ipsos annos peccata sacerdoti nunquam aperuerat; hunc vnus è tribus nostris sacerdotibus benigne atque humaniter hortatus est, ne, si semel de corporis valetudine desperasset, animum quoque per summum nefas, atque dementiam pessum ire permitteret;

Digitized by Google

Tum ille de membrorum valetudine bene se sperare ait, nam locutum se cum quodam egregio magicarum artium magistro, responsum ab eo tulisse, facile fore, vt ad pristinas vires iterum restitueretur; magicis enim præstigiis compeditum, iisdem omnino fore expediendum, nisi forte prius ferro absumeretur. Ad hæc noster: proh te miserum! quin tu futilia hæc mittis superstitiosi hominis mendacia? quin tu opis æque ac consilij inops ad eum confugis, sine cuius nutu salutem consequi nullam poteris? Age vero, bene monenti mihi tandem volens acquiesce; præteritæ vitæ scelera in memoriam reuoca; pœniteat te ad æternam salutem procurandam fuisse tam negligentem; tum vel ad me, si lubeat, vel ad quemuis sacerdotem accedito, facta rite exomologesi, pœnitentiæ Sacramento animum expiato: sic enim confido fore, vt cum animi salute, corporis etiam robur Deus optimus restituat. Hæc locutus, facili negotio persuasit: peccata ille cum magna doloris significatione aperuit, sacræ Eucharistiæ cibo animum receauit, tum repente, toto obstrupescente oppido, ad integram corporis valetudinem rediuit, quacumque placuit expeditis gressibus itare cœpit. Sed vt iam ad Collegium reuertamur; ex primoribus quidam, cum ad extremum vitæ diem peruenisset, octo millium aureorum heredes nos scripsit. Solutus etiam senectute est P. Petrus Regius, Panormitanus, Vincentij atque Caroli, virorum in nostra Societate insignium, germanus frater, qui viuente adhuc B. Ignatio ad nostrum accesserat institutum; quatuor erat votorum professus, doctrina pariter ac simplicitate insignis, nam & Philoso-

phiæ

phiæ & sacræ Theologiæ Doctor erat, & hebraicis græcisque litteris cum primis eruditus; quamobrem diu cum hæreticis pro Catholica religione strenue concertauit, sæpeque eos vicit atque expugnauit. Mineeninum Collegium nihil attulit nouum, quod litterarum monumentis commendetur; id tamen prætereundum non est, plebeios hic homines facilè consueuisse inuicem alterius alterum crimina ad magistratus deferre, quæ res maximam vim habet ad excitandas fouendasque grauissimas inimicitias; nostrorum tamen opera effectum est, vt ad id non ita leuiter inducerentur. Itum est ad circum vicina oppida, in iisque cum alia multa egregiè transacta, tum grauis quindecim annorum inimicitia inter cognatos rescissa est. Nobilium Sodalitium hoc anno ad Romanum aggregatum est.

COLLEGIVM MARSALENSE, CALATANISSETTENSE, ET MILITENSE.

DE Marsalensi Collegio nihil hoc anno accepimus, quod nostris quotidianum non sit. In Calataniissettensi primus è nostris obiit Baltassar Palatius, Sacerdos senectute ipsa iam pridem debilitatus ac fractus; ad cuius cohonestandas exequias, non modo maximâ oppidanorum multitudo confluxit, sed ipse etiam, vna cum matre, Princeps illustrissimus aduenit. Feroci adolescens ingenio, quem ob patratum cum sacrilegio homicidium extremo supplicio iudex addixerat, nostro monente sacerdote, tam magna contriti cor-

Digitized by Google

dis signa edidit, vt cum ad mortem duceretur, passim oppidani, quisque sui vt apud superos memor esset, precarentur. Melitensis Collegij inopiam liberales equites largis eleemosynis sublevarunt. Missi de more sunt è nostris, qui circumsitos pagos lustrarent; atque ibi, vt ea gens est spiritalium rerum auidissima, non modo ab oriente ad occidentem solem, sed ad multam etiam noctem assiduo labore desudatum est, quod si deinde, ad tantillum quietis captandum, domo nostra excludebantur, non ideo ad suam redibant, sed magna pars sub dio opportunum tempus opperiebantur, neque imbrium, neque ventorum iniurijs, Ianuario præsertim mense, frangebantur. Die conuersioni D. Pauli sacro, cum noster ad tria circiter hominum millia verba faceret, & ad condonandas iniurias hortaretur, quadraginta fere, qui graues inter se inimicitias exercebant, priusquam domum repeterent, sua sponte ad beneuolentiam inuicem conciliati sunt. Mortuus est P. Sebastianus Ponzet Parisiensis trium votorum professus, vir sanctæ contemplationis amicissimus. De Chia residentia nihil hoc anno acceptum.

PROVINCIA NEAPOLITANA.

ALVIT hæc Prouincia in duodecim domiciliis Socios quadringentos septuaginta duos. Domus Professa vna. Collegia decem. Domus Probationis

Probationis vna. In Domo Professa Neapolitana Socij degunt octoginta. In Collegio Neopolitano fere ducenti. In domo Probationis eiusdem loci octoginta. In Collegio Catanensi sexdecim. In Nolano tredecim. In Lupiensi quindecim. In Barensi duodecim. In Cosentino, vndeuiginti. In Barolitano duodecim. In Aquilano totidem. Par numerus in Neatino. In Beneuentano vno maior. Ex hac vita ad meliorem, vti speramus, abierunt octo.

DOMVS PROFESSA NEAPOLITANA.

ALVIT Domus Professa Neapolitana hoc anno Sacerdotes quadraginta septem, Coadiutores triginta tres. Verba faciebat quidam è nostris ad eas Moniales, quæ sese à turpioris vitæ sordibus, ad meliorem frugem conuerterant; at erat mulier, quæ illhuc aduenerat, vt fit, adlocutura moniales: vix Pater perorauerat, cum illa multis lacrymis, quas interni doloris vis incredibilis exprimebat, petiit, vt se quòque monialibus illis aggregaret, neque pateretur voluptatum æstu abreptam in tam sordido, tamque periculoso diutius pelago fluctuare. Quidam, etsi morti proximus, peccata tamen aperire recusabat; Verum vbi Pater è nostris mortem, & vltrices inferorum pœnas denunciauit, è sententia deiectus, animum tanta cum doloris significatione expiauit, vt vix contineri à sacerdote posset, quin pugnis in pectus, tot scelerum quondam domicilium, inueheretur. Illud in hac re mirum, vix animi sor-

Digitized by Google

des, & dæmonis virus euomuerat, cum priſtinam valetudinem recuperare cœpit, vt animi morbo corpus affici, & ad eiuſdem valetudinem reuiuiſcere videretur. Adoleſcens abducta pellice neque propinquorum, neque amicorum monitis acquieſcebat, imo & manus in ſe ipſum iniicere, cibo abſtinere, & quædam alia extremæ dementiæ facere, donec noſtrorum conſilio, quas à teneris annis conceperat, peccatorum maculas eluit, & diuinæ gratiæ fonte turpis amoris faces extinxit. Tantis ambitionis facibus vrebatur quidam, vt dæmoni ſacra facere, quo illius opera ad honores adipiſcendos vteretur, non perhorreſceret; quadam nocte cum teterrimo hoſti thus dediſſet, vidit ad ſe venientem tam immani rictu, tam turpi effigie, vt facilè ſuam ipſe inſipientiam ſenſerit, qui ab immaniſſima bellua, viliſſimoque mancipio aliquid commodi ſperauiſſet, ad noſtros confugiat, quorum opera à dæmonis tyrannide vindicatur. Monialis, dum peccata cuidam è noſtris aperiret, incredibili quodam conatu ſe tandem ipſa peruicit; & eſt, inquit, aliud Pater, quod te celare nollem: ſed dæmon manu fauces comprimit, neque me illud fateri permittit: plures quidem annos femineo pudore detenta ſum, quo minus illud Confeſſario aperirem; neque tamen, ſororum opinionem verita, à ſanctiſſima Euchariſtia abſtinui, ſed iam pœnas tam proiectæ audaciæ dare incipio à dæmone ſtrangulata. Hæc cum diceret, & dæmoni toto corpore obluctaretur, ſudore perfundi, & expiranti ſimilis linqui animo cœpit; Pater diuina ope implorata, eſſet ne hoc, inquit, peccatum, quod ne proferas, tyrannus acerbiſſimus fauces obruit? Hoc,

Hoc,

Digitized by Google

Hoc, illud est, excipit mulier; vixque hoc dixerat cum durissimum seruitutis iugum excussisse se sentit, neque audere dæmonem in eam manus iniicere, quam sibi summus rerum omnium Imperator in filiam adoptasset. Pari felicitate aduersus eosdem hostes, alij è nostris decertarunt pro matrona, in quam plures annos prædones iniquissimi desæuierant: sed nostrorum oratione pulsi, fugatique. Virgo egregia forma, è præsentissimo pudoris naufragio erepta, & in matrimonium collocata est à nostris honesto viro, & trecentos aureos, ad hoc à piis viris collectos, dotis nomine dedimus. Mulier in adolescentis cuiusdam amorem exarserat, eumque plures annos mulieribus blanditiis delinitum detinuerat: sed cum forte is venisset aliquando in Templum nostrum, ac Sacerdotem conuenisset, eius oratione permotus, ad purioris vitę munditias animũ, mentemque adiicit; illud tamen dari sibi summopere contendebat, vt cum ea, cui consueuerat, in Templo aliquo semel tantùm loqui pateretur: sed cum id quoque negari sibi animaduerteret, relicto nostrorum consilio mulierem conuenit, consilium suũ exponit, ea se mente esse ait, vt nolit in posterum vllam cum ea familiaritatem habere: ad hæc, amoris atq; indignationis facibus æstuans mulier, modo contumelias ingerere, modo lacrymas agere, omnia denique tentare, quibus in suam sententiam adduci posse iuuenis videretur; sed vbi nihil proficere se sentit; ecquis, inquit, hic est, qui hanc tibi mentem iniecit? nomen significat adolescens, tunc illa ad nostrum conuolat, ea loquitur, quæ furiis agitatus amor expromere suadebat: sed tamen hunc exitum res habuit, vt ipsa quoque feliciſſimè

liciſſime flecteretur, atque vterque tandem, ablutis confeſſione animi maculis, meliorem viuendi rationem inſtituerent. Quadraginta horarum preces, eo apparatu celebratæ, eaque omnium frequentia, vt facile ſuperiorum annorum ſplendorem ſuperauerint. Excurſum in Campanum agrum, in quo excolendo non mediocriter deſudatum eſt: confluebant è vicinis oppidis, (quorum nonnulla decem millia paſſuum aberant) mulierum, ac virorum comitatus tam aſſidui; vt quamuis nihil noſtri de labore remitterent, omnibus tamen ſatisfacere minime poſſent: & oppidani, apud quos agebamus, cum tanto externorum concurſu, noſtris laboribus fraudari ſeſe intelligerent; proximis pagis denunciarunt, ſe vel armis eos aditu prohibituros, qui ad noſtros accederent. Vbique Sodalitates inſtitutæ, reuocatus ſacramentorum vſus, omnibus etiam neruis contenderunt, vt Chriſtianæ doctrinæ elementa omnes docerentur; atque vt hoc ſtudium maiora in dies incrementa ſuſcipiat, tantum alicubi ſtipis collectum eſt, vt ſingulis annis duabus virginibus ex iis, quæ in chriſtiana doctrina magis profecerint, matrimonio collocandis ſatis ſit. Solemne fuit noſtris ſorte eductas ſententias aliquas iis offerre, qui noſtros conuentus celebrarent, mirum dictu, quam multos ea res ad noſtras compulerit; nam cum eæ fere eſſent, quæ vel in vitia inueherentur, vel ad virtutes animos inflammarent, plerique omnes, non ea ſibi à cœco caſu, ſed à rerum omnium moderatore Deo dici exiſtimabant. Ergo nonnulli, qui in extremis ſordibus, nullo conſcientiæ ſenſu vixerant, ita his ſententijs affecti ſunt, vt noſtris hominibus ingenue

Digitized by Google

nue dixerint, neque quiescere sese, neque cibum capere securos potuisse, vbi à Deo per schedulas illas admoniti fuerant, vt peccatorum cœnum abstergerent, quoad vsque diuinis iussis non obtemperauerint. Neque profectò, si rem attente contempleris, superstitiosos nimium hos paganos dixeris, qui se diuinitus ijs sententijs admoneri, pro comperto habeant. Mulier erat notæ apud omnes simplicitatis, cuius animi candor eximius eò magis eminebat, quod singulari cum pietatis affectu iungebatur; huic nonnunquàm videndum sese offert Christus, plurimaque atque egregia in eam beneficia confert. Ergo per eos dies, quibus diebus sacræ Anastasis memoriam colimus, mulier ter sibi ea verba dici audijt, quibus quondam discipulos suos Dominus est affatus (Pax tecum) & post nonnulla, singulari, inquit, studio illi te Sancto commenda, & vitæ rationem imitare, qui tibi sorte obtigit; & subscripta verba non ab alio, quam à meo tibi dici spiritu existima. Et quidem res ipsa aperte loquitur. Sacerdos, qui non in primis vitæ puritatem amaret, in templo quandam ex illis schedulis accepit: sed cum aperte ab ea se pungi sentiret, nostrorum in ijs distribuendis, suspectam fidem habere cœpit: verum cum sententiæ non omnibus suffeciſſent, domũ, cum ea nos multitudine deduxit, quæ cartulam illã, sententiamque esset accepturа, & multitudini permixtus voti compos efficitur; at vbi legit, elata voce, Pater, exclamat, licetne coram hac multitudine facinus fateri meum? cum id noster pernegaret, tacuit; at vbi ad sua ceteros munia obeunda dilapsos sensit, Accepi ait in Templo schedulam, qua cum acriter vulnerari

nerari me animaduerterem, domum te deduxi accepturus aliam mitiorem; & ecce tibi iisdem verbis, eademque sententia, in meæ vitæ turpitudinem sæuientem Deum. Porro hæc eadem tanta cum animi perturbatione loquebatur, vt quàm feliciter diuina verba miseri illius pectoris arcem oppugnarent, facile quiuis intelligeret; neque multo post turpissimæ vitæ maculas confessione absterſit. Quidam, quamuis in omnium peccatorum fæce versaretur, accessit ad nostros, & patronum aliquem sanctum sibi dari petijt, accepit eductum sorte S. Hieronymum; sequenti nocte cum se quieti dedisset, vidit sanctum senem illum truci vultu, ardentibus oculis, accensam sibi digito fornacem demonstrare, atque horribili voce dicere, in hos quam primum conijcieris ignes, nihi aliam viuendi rationem instituas. Alius accepta schedula, somno se dedit, sed à dæmone excitari se sentit, & per vim è lecto extrahi; & cum contra tam fœdum hostem nulla aptiora arma infelici iuueni suppeterent, quanta maxima poterat vocis contentione, tutelarem Sanctum appellabat. Ecce tibi illico niueis induta vestibus mulier, & dæmonem contuens, an nescis, inquit, quibus Iuuenis hic hodie præsidijs sese firmauerit? non tulit longiorem orationem fœdissimum mancipium, & in suas se tenebras recipit paulo post, & mulier euanuit: appetente luce, nostros conuenit, rem exponit, ea commoti animi significatione, fraudis vt dubitationem omnem eximeret, instituta quoque vitæ ratio id aperte confirmat.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM NEAPOLITANVM.

DVCENTI fere in hoc Collegio versati sunt, è quorum numero omnino quinque mors sibi vindicauit. Hieronymum Russum tunc primum studia auspicatum, & Marium Palumbum, prestanti ingenio adolescentem, tertio Theologię anno rapuit. Dionysium præterea Vignerium. Vincentium Cosligiam. Angelum de Matthæis coadiutores. Nostrorum opera gymnasij adolescentes quàm plurimi primum adolescentiæ suæ florem quo suauiores Deo fructus ferrent varijs Religiosorum familijs addixerunt; aliorum verò quibus non dum voti compotes esse licuit, incredibilis ardor, ac pietas eminet. Sed luximus hoc anno, puerorum omniũ decus, ac specimen Franciscum de Martino, is quatuordecim natus annos ob morum grauitatem constantiamque singularem, omnium in se oculos, animosque conuerterat. Mirum omnino dictu est, puerum hunc id ætatis tanta animi moderatione fuisse, vt neque ad publicos aliquando ludos spectandos accedere; neque cum personati homines per vrbem vagarentur, in illos oculos figere, eorumque aut similium rerum aspectu sese aliquando voluerit oblectare, illius delicię erant templa celebrare, à Concionatorum ore pendere. Semel à Patre prohibitus ne ad concionem accederet, quod pluuia immineret, patri deinde affirmauit cælestibus, suauissimisque epulis se eo die priuatum; antequam quieti se daret singulari studio Deo se, Beatæque Virgini

Digitized by Google

Virgini commendabat, mox flagris se cœdebat. Primo mane sacrificio intererat, nolle se affirmans quicquam eo die discere, nisi audito sacro: sed quod puerum hunc admirabilẽ omnino reddiderat, erat obedientiæ studium singulare. Magistrum, parentes ita obseruabat, vt dici vix possit. Cum prima Grammaticę rudimenta disceret, Magistrum nactus est adeo durum, vt nulla tantæ indolis ratione habita, illum verberibus sæpissimè malè multaret; nunquam tamen dolore, aut iniuria adduci potuit, vt parentibus sui amantissimis id renunciaret. Tandem nonnulli eiusdem viciniæ rei indignitate commoti, patri rem aperiunt; mirari primò pater ea potissimum de causa, quod videret egregia semper Franciscum suum in Magistrum esse voluntate, illi cupere, quibus posset rebus iuuare, nunc à Patre, nunc à Matre aliquid extorquere, quod Magistro largiretur. Puerum ad se vocat, interrogat, num ita crudelem in se Magistrum experiatur, vt ipse inquirendo cognouerat; negat ipse, quin immo affirmat, hominem esse singularis prudentiæ, eximiaque in se vti indulgentia. Tunc pater, cur ergo tot verberibus excipit? cui subridens puer; Et quid existimas (Pater) sine his posse doceri puerum? Nihil vnquam gustare ausus est, nisi facta prius à Patre potestate; à cœna flectebat ante patrem genua, quæque per diem concepisse se scelera arbitrabatur, aperiebat; neque cuiusque hac in re aures timebat. Cum aliquando de more peccata vellet aperire, repente ingentem lacrymarum vim fudit, affirmans immane, infandumque scelus commisisse se; cum Pater, vt Confessario dicendum id reseruaret, puerum hortaretur; & tibi, inquit, aperiam

riam, Hodie cum sorore ludens (id ætatis soror erat, vix, vt pedibus ingredi posset) mea culpa cecidit, cumque excita sororis lacrymis mater, à me pœnas vellet repetere, negaui mea opera sororem cecidisse: præterea pomum in os intuli, antequam illi benedixissem. Hæc tanto animi dolore loquebatur, vt audientium nemo esset, qui à lacrymis temperaret. Neque cum tam præclarum virtutis specimen dederat, dormitum ibat, nisi à Patre benedictionem impetrasset; si quando somno vrgebatur, ad Patrem accedebat, atque ab eo fieri sibi dormiendi licentiam postulabat; & Pater, qui filij sui singulari obedientia vnice delectaretur, facultatem interdum negabat: tunc puer in angulum recipiebat sese, & quibus poterat actibus fallebat somnum; quod si grauius premeretur, summo animi candore patri renunciabat, vereri se, ne somni violentia nolens opprimeretur, ac proinde dormiret antequam Patris benedictionem accepisset, quod nefas omnino reputabat. Cum in morbum incidisset, incredibili ardore æstuabat, neque tamen aquam petijt, qua os ablueret, neque oblatam attigit aliquando sine Patris permissu; nunquam vi morbi acerbissima adeo afflictus est, vt Patris imperia non diligentissime exequeretur, nunquam aut cibum respuit, aut auersatus est, quem Pater illum capere iussisset. Obtulit aliquando filio medicamentum, ex ijs confectum rebus, quæ ingentem puero nauseam commouerent: sed tantam ipse sibi vim intulit, tanto animi ardore secum pugnauit in exantlanda potione, vt cristallinum vas in ipso ore fregerit. Pauperes adeo diligebat, vt quæcumque habere posset, ijs liberalissime

liſſime largiretur, quas mutabat veſtes pauperibus reſeruabat; nummos apud ſe habere nolebat, affirmans timere ſe, ne ab iis in ſcelera inflammaretur; Patri ſeruandos dabat, matris enim fidem ſuſpectam habebat, neque in alios vſus eos conuerti patiebatur, quam in pauperes ſubleuandos: Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ita venerabatur, vt quoties per vrbem ferri animaduerteret, miſſis rebus omnibus auguſtiſſimum Dominum deduceret; non ab hoc officio aut pluuia, aut ſolis ardoribus, aut intempeſtæ noctis iniuria deterrebatur. Videres puerum hunc, nulla tenuiſſimæ valetudinis ſuæ ratione habita, è lecto ſurgere, & ſomni quietem laborioſo ſeruitio poſthabere: neque audebat pater paternum hac in re ius interponere, & principem rerum, omnium parentem filiorum, priuare comitatu. Morti proximus, cum videret ad ſe delatum Chriſti corpus, lacrymis diuinam bonitatem commendare cœpit, quæ dignaretur, affligtum morbo ſeruum ſua preſentia recreare; multo deinde fletu accuſabat ſeſe, quod ruſtice tantum exciperet, neque morbi vi detentum corpus, in principis ſui venerationem, cultumque, aliqua ratione proſterneret. His igitur virtutum præſidiis munitus, mortem forti pectore excepit; iuſſus corpus extendere, quo commodius morituro aptas veſtes, iis ſimiles quas Franciſcani ferunt, confici poſſent, impauide extendit; interrogatus num inſtantis mortis periculo terreretur; Cur, inquit, mortem timeam, cur non illam exiſtimem qualibet vita potiorem, quæ me cœleſtibus choreis inſeret, & dulciſſimi IESV faciet ore perperfrui ſuauiſſimo? atque haud ita multo poſt feliciſſimam

liciſſimam animam exhalauit. Sunt & firmioris ætatis non leuiora pietatis argumenta. Mitto depoſita odia, laxatas pauperum anguſtias, ſingulari Sodalium diligentia effectum, vt doctrinæ rudimentis tenera puerorum ætas imbuatur. Id vt præſtarent Sodales nauim duo conſcenderant, in oppidum ituri prope Neapolim ſitum; verum cum oborta tempeſtas in extremum illos periculum adduxiſſet, alter ex his timore verius, quàm ſomno ſopitus, iacebat mortuo ſimilis; cum B. Virginem videre ſibi viſus eſt, quæ læto eum maximè vultu trepidantem confirmaret, affirmans gratiſſimum ſibi opus eſſe, quod aggrederetur, proinde nihil mortis faciem vereretur. Sodalis ad hæc gaudio exiliens, ad matris pedes ruebat illos exoſculaturus, Verum oblata ſpecies euanuit, ſed ſenſit vel mare ipſum præſtantiam Virginis; neque eos auſum oppugnare, quos Virgo defenderet, minas fluctuſque compeſcuit.

DOMVS PROBATIONIS NEAPOLITANA.

SINGVLARIS quam in noſtris alendis Dei beneuolentiam experti ſumus, noſtrorum omnium animos fidentiores reddidit: itaque quamuis in maximis rei familiaris anguſtijs, optimæ indolis adoleſcentes plurimi in noſtram Societatem aſciti, qui etiam expectationi noſtræ, vt ſe dant initia, optimè reſpondent. Aluit omnino ad octoginta.

Digitized by Google

COLLEGIVM CATACENSE.

SEXDECIM è nostris hic exercentur, quorum Sacerdotes octo, humaniorum litterarum Magistri duo, ceteri Coadiutores. Horum studium yberrimos fructus ex circumiectis agris in Christi Domini horreum intulit, superstitiones sublatæ, exstincta odia; viduæ tres coniugum cæde exasperatæ in vindictam ardebant: sed nostris cohortationibus cum interfectoribus in gratiam redierę. Catazorij verò impigrè Societatis nostræ munia obita.

COLLEGIVM NOLANVM.

DEGVNT in hoc Collegio Sacerdotes è nostris sex, Magistri humaniorum litterarum duo, Coadiutores quinque. Cum Ciuitatis gloria, & nostri Collegij dignitas reuiresçit, templum frequentatur, vt in tanta Ciuium penuria, & etiam humaniorum litterarum auditorum numerus in dies augetur.

COLLEGIVM LVPIENSE.

QVINDECIM opera excolitur Lupiensis ager, habet Sacerdotes decem, & Magistros duos

Digitized by Google

duos inferiorum scholarum, tres Coadiutores. Defunctos laboribus sua exceperunt præmia P. Ioannem Dominicum Balsamum, & Bartholomæum Petrucium. Donatus Aurelius, Brundusinus quidem ipse, sed qui Lupijs ageret moriens, Collegium nostrum fecit heredem. Item Portia Torrisia monialis, ex ijs tamen quæ domi suæ viuunt, centum viginti aureos Collegio legauit. Excursum in Hydruntinum agrum, vbi egregia in nos omnium ordinum voluntas apparuit; itaque nostri vt Ciuium caritati aliqua ex parte respon-derent, nullis laboribus pepercerunt. Illud non vulgare; iuuenis quidam inimicum ad Templi foras prestolabatur, vt sica eum confoderet; sed cum verba facienti Patri aures, vel nolens daret, ita animo mutatus est, vt abiecta sica, totius antè actæ vitæ sordes confessione expiarit.

COLLEGIVM BARIENSE.

DVODECIM tantum habuit Bariense Collegiũ, Sacerdotes quinque, Magistros duos, Coadiutores quinque. Edocti Christianæ doctrinæ rudimenta pueri, otio lasciuientes homines festis diebus in Templum leniter compulsi. B. Virginis Sodales, cum honestarum mulierum pudorem, vrgente rerum omnium inopia, in extremum periculum adductum intelligerent, petita per vrbem stipe, earum miserijs subuenire conati sunt; nam Xenodochia inuisere, detentos in publicis vinculis iuuare cibo, adeo illis vulgare est, vt reticeri possit. Mercator non mediocrem nummo-

Digitized by Google

rum ſummam à quodam, qui in magnis anguſtijs verſabatur, cum non poſſit exigere, eum in vincula conijciendum curauit, ergo is cum carceris ſqualor ad ſummam inopiam acceſſiſſet, neque tamen molleſcere mercatoris ingenium vidit, ſtatuit, nulla dignitatis habita ratione, bonis cedere: hoc vbi audiuit B. Virginis Sodalis quidam, ad mercatorem conuolat, ab eoq; omnibus precibus contendit, vt infeliciſſimi hominis miſerijs, atq; egeſtate commoueri ſeſe patiatur. Verum is, qui humanitatis ſenſum exuerat, atque ex ſe ceteros metiretur, quin in Sodalem probra conijceret, atque aperte auaritiæ illum inſimularet; contineri non potuit; preces illum à debitore pretio redemptas afferre, honeſtamque pietatis ſpeciem præferre, quo turpis lucri fœditas aptius velaret. Nobilis erat domi ſuæ Sodalis, itaque ad tantam contumeliam expalleſcere, & mox ſubiacente iracundiæ faces dæmone, rubore ſuffundi, atque ad propulſandam iniuriam furoris æſtu inflammari; nunc rurſus ad ſuppliciorum & contumeliarum Chriſti recordationem, iniuriam velle condonare: verum cum acrius vrgeret humani generis hoſtis, Ecce tibi vnus è noſtris, in quem cum Sodalis oculos conieciſſet, continuo ſedatis pectoris motibus exclamat; Non vulgaria diuinæ charitatis pignora ſunt, inquit Pater, in Beatæ Virginis verſari patrocinio; nam vndenam tantum mihi charitatis tribui ſperem, vt inſultantem mercatorem æquo animo pati poſſim? mox ad mercatorem conuerſus hilari, vt cum maxime vultu, animi ſui magnitudinem tranquillitatemque declarauit. Mercator, qui ad debitoris miſerias animum minimè flexerat, pluſquam humanæ

Digitized by Google

næ patientiæ specie ita commotus est, vt petita summa animi significatione à Sodale venia, debitorem liberum esse iusserit. Graui iniuria lacessitus ex eodem sodalitio adolescens, inimici cædem meditabatur; interea menstruis illis sententijs, quæ Sodalibus diuiduntur, constanter admonebatur, vt iniuriam condonaret: quibus tandem à praua consilio deterritus, secum ipse voluebat, qua ratione inimico significare posset reconciliatum animum; in forum procedit, in quo versari consueuerat, erat ille multo amicorum propinquorumque stipatus satellitio, forumque per se satis frequens; verum Sodalis noster, qui Deo militaret, suique victoriam omnino cuperet reportare, nihil aliorum opinionē veritus, ad inimici pedes accidit; Quid hominum (inquit) leges iubeant non ignoro, verum me tibi Deus pacem amicitiamque offerre iubet, tanto imperatori repugnare non potui. Hæc cum diceret magna lacrymarum vi ex oculis emanante, pedes exosculatur; hærere primum ille, mox hominem complexus, negauit vnquam amicum alium sibi futurum in posterum cariorem. Neque Barij angustiis nostrorum ardor contineri potuit, itum in proximos pagos, ex quibus præclaros animorum fructus retulerunt.

COLLEGIVM COSENTINVM.

SACERDOTES octo, Magistri humaniorum litterarum sex, Coadiutores quinque in hoc Collegio versantur. Humaniorū litterarum profes-

Digitized by Google

fessorem mors sibi vindicauit, magno totius ciuitatis dolore; vt enim erat miti ingenio, & comitate singulari, omnium sibi beneuolentiam, voluntatemque deuinxerat. Ne scelus patefieret, de abortu mulier cogitabat: sed à tam nefario consilio à quodam è nostris deterrita, promissam ab eodem Dei opem præstolabatur, nec frustra; ipso partus tempore tam fœda coorta tempestas est, tot tonitrus, tanto fragore Cœlum concussum est, vt & parientis voces, & infantuli vagitus minime exaudiri potuerint, fœtui tanta diligentia consultum, vt id odorari neque ipsi vicini potuerint. Isabella Passalacqua hoc anno ducentos aureos Collegio testamento legauit. Nobilis quidam à monte alto egregium equum, quem Collegio Consentino, si è graui, quo opprimebatur morbo, conualesceret, voto destinauerat, misit.

COLLEGIVM BAROLITANVM.

BAROLITANAM prouinciam Sacerdotes quinque administrant, cum iis laborant Magistri duo, Coadiutores quinque. Quamuis multa nostrorum caritas in Populum argumenta silentio prætereamus, illud profecto reticeri nulla ratione debet. Pauperibus, qui ad nos confluunt numero ad centum, accipiendæ eleemosinæ gratia, doctrina Christiana explicari cœpta; ciuium in nos benignitas maxime enituit; nostris alendis tantum tritici collatum, vt multorum præterea subleuandæ inopiæ satis fuerit. Trecentos etiam aureos quidam nobis donauit.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM AQVILANVM.

DVODECIM è nostris hic laborant, Sacerdotes quinque, Magistri tres, ceteri coadiutores. Submisit hoc Collegium variis Religiosorum familiis subsidia non contemnenda, quatuor Dominicanis, alij Cappucinis nomen dederunt; porrò in Societatem nostram admitti nobiles plurimi petunt.

COLLEGIVM THEATINVM.

ALVIT omnino duodecim è nostris, quorum opera abductæ pellices, lites compositæ, ad pietatem inflammati Ciues, illi præcipuè, qui Sodalitati B. Virginis nomen dederunt; singularis fuit fratris cuiusdam nostri patientia, qui in frequentissimo cœtu alapa percussus, tantam iniuriam incredibili animi magnitudine pertulit.

COLLEGIVM BENEVENTANVM.

TREDECIM è nostris in hoc agro excolendo desudarunt. Quidam de interficiendo inimico cum grassatore conuenerat: sed audita concione, & ipse peccata aperuit, & idem vt faceret, grassatori auctor fuit. Ardebat flagrantis-

Digitized by Google

simo coniugis suæ amore iuuenis; sed de illius fide dubius artes versabat omnes, quo coniugis animum perspectum haberet: atque vt sunt talium insana consilia, dæmonem inuocat, vt ab eo de vxoris pudicitia doceatur, eique & corpus & animam vltro attribuit; arripit oblatam nocendi occasionem mortalium hostis æternus, infelici coniugi semel atque iterum videndum se offert, affirmat coniugem nulla vlri, nulla dignitatis habita ratione, cum agnato rem habuisse: vix hæc à dæmone audit, cum intelligit mendaciorum parenti tali in re fidem haberi non oportere, ab vxore ipsa rem cognoscere statuit, minis itaque, verberibusque, & extremi supplicij denunciatione id tentat; negare coniux, neque fidem marito datam fregisse se vnquam, constanti animo affirmare: perstabat in sua sententia iuuenis, neque ab iniuria inferenda temperabat; tandem respexit miseram B. Virgo, viro dormienti per somnium sese offert, eumque ab incœpto grauissimis verbis deterret, affirmatq; vxorem de qua male sentiret, inter illius oppidi honestissimas, castissimasque esse numerandam: ad nostros igitur accedit, rem aperit, atque à dæmonis iure vindicatus est. Interrogata mulier, quibus artibus Virginis sibi animum deuinxisset, Respondit, singulis diebus tertiam se Rosarij partem recitare, terque in hebdomada ieiunio carnem macerare.

PROVINCIA

Digitized by Google

PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

NVMERAVIT hæc Prouincia Socios octodecim supra trecentos; domicilijs omnino quindecim. Domus habet Professorum duas, Mediolanensem & Genuensem. Collegia septem, Breidanum Mediolani; Genuense; Taurinense; Comense; Vercellense, de quo nihil acceptum; Montis regalis; Cremonense; Domos Probationis duas; Aronensem & Genuensem, sed hanc, dum completur fabrica, feriatam. Residentias tres, Alexandrinam, Papiensem, Bastiensem. Missionem vnam, Bubianensem. Admisit in Societatem triginta quinque, octo emisit in cœlum.

DOMVS PROFESSORVM MEDIOLANENSIS.

HABITARVNT in hac domo Socij, vt minus triginta quatuor, Sacerdotes sexdecim, & fratres octodecim. Auctum sacrũ templi instrumentum serico peripetasmate, Cruce, & lychno pensili argenteis. Illustrium reliquiarum nos instituit heredes Alexander Roccafocaldus nobilissimus Francus, Abbas S. Martini in Aruernis. Hic in Italia tam procul abfuit ab exule, quam in Gallia ab Episcopo. Italicam peregrinationem suscepit primum necessitate, dein voluntate. Nam

Digitized by Google

Nam reditu à propinquis impetrato, & ſpe opulentiſſimorum ſacerdotiorum oblata, nunquam ſe ab Italia auelli paſſus eſt. Obijt Virgo vitæ anno circiter quadrageſimo. Imminentis fati conſcius, linteo, quo tegebatur, apprehenſo, lætabatur mori ſe inuolutum lodicibus mutuo acceptis; tum ad Societatis noſtræ ſacerdotem confeſſarium ſuum, qui iacenti aſſidebat, conuerſus, Solum, inquit, Pater Obedientiæ votum deeſt, vt perfectè religioſus decedam. Præbitæ aures quadringentis, qui vitam à capite repetitam per confeſſionem eluerunt; aliqui à rebus alienis iniuſtè detinendis, alij à pellicatu retracti. Religioſas familias diuerſas inierunt ex noſtris alumnis viri aliquot, & puellæ. In ſummo templo per quadrageſimam, dixit vnus è noſtris, inaudita omnium ordinum frequentia, & fructu. Vna concio de inimicis diligendis, iniurijſque condonandis, quantopere auditores permouerit, ab exemplo, quod ſubijciam, quiſque perpendat. Præſes quidam (quæ dignitas Mediolani clara in primis habetur) cum nobiliſſimo Equite ſimultates non diſſimulatas dudum gerebat. Sed cæleſtis preconis voce permotus, nulla ſuæ claritudinis habita ratione, domum adit inimici, ſcaliſque conſcenſis famulum præmittit, qui Equitem in cella morantem, de ſuo faciat aduentu certiorem. Eques nouitate rei ſtupens, nuncium vel decipi, vel delirare arbitratur: cum Præſes moræ impatiens, aulæo ianuæ ſublato, cubiculum ingreditur, procumbit in genua, &, Ego, inquit, ipſe adſum, pacemque & veniam peto de omnibus, quæ in te forſan peccaui, tibi cumulatè ſatisfacturus. Tanta animi celſitudine, tamque Chriſtiana charita-

te

Digitized by Google

te attonitus Eques, iacentem arctissime complectitur, atque humo frustra alleuare conatus, etiam ipse genua posuit. Tandem post mutuas lachrymas affectus obsides, post humanissima, & officiosissima verba, æterna pace sancita, surrexerunt. Eiusdem concionatoris, & aliorum etiam Societatis sacerdotum opera, inter multos primarios ciues conciliata gratia, quorum odia non sine multo sanguine restingui posse videbantur. Sed quæ obuia casuum similitudine satietatem parere possunt, sigillatim referre piget. Infestam socrum atrox nurus veneno tollere decreuerat. iamque leuiora quædam pharmaca ad velandum scelus anui propinauerat, vltimum, & ineuitabile mox datura. Sacerdos noster, qui nunquam illam in domum pedem intulerat, occasione nescio qua, illuc venit. Ibi de more inter loquendum, sermones de piis rebus interponit. Iactis in incertum salubrium verborum sagittis, ad ferocis nurus animum Deus ipse collineauit: quæ, illico mutata in melius voluntate, conceptum facinus sacerdoti caute detexit, eique suum venenum asportandum tradidit, contusum in pulueres adamantem; sic mollitus feminæ rigor, qui mortem fecerat adamantinam. Vir Magistratu insignis, apud vrbis Gubernatorem calumnijs oneratus, impostoribus de tam graui crimine conuictis, meritasque pœnas (nisi ipse peperciſſet) daturis, vno è nostris deprecatore, & hortatore, iniuriam verbo, scriptoque dimisit. Hispanus miles nostro in templo rei sacræ interesse solitus, propter fores ipsius templi, nocte intempesta ab inimico læthalem plagam accepit. Accitus è nostra familia confessarius, inuenit in impluuio vicinæ domus saucium, in suo cruore natantem,

Digitized by Google

natantem, & ſenſibus, animoque deſtitutum, neque chirurgorum copia erat tam incommoda hora. Conſilio igitur à neceſſitate capto, iacentis vulnus diligentet ſcrutatur, quod vbi in latere ſatis amplum, & magnam vim ſanguinis energens offendit, ſtrophioſo in fruſtra conciſo oppilauit. Stato ſanguine, & redeunte ſpiritu, ſemiuiuus ille vigorem, & ſpatium habuit ad confitendum; nec, Confeſſione peracta, Regio Inquiſitori nomen homicidæ dedit, cui ſe diceret ignouiſſe. Religioſus vir ſanctiſſima familia, quam profitebatur, indignus, in nobilem Viduam cupiditatis oculos adiecerat, votique ſummam attingere exoptans, in amicitiam ſe tradidit leuiri feminæ, cum quo lares illa communes habebat; ab hoc cum domeſticis omnibus ruſticante, inuitare ſe in villam ad animum aliquot dies oblectandum curat. Sed antequam illuc proficiſcatur, ad mulierem (quam nimis facilem ſuæ nequitiæ materiem putauit) literas miſit: eaſque inſuit bombycinæ telæ, humani cordis formam exprimenti. Mulier nihil ſiniſtri ſuſpicata, tanquam pium munuſculum accepit, exiſtimans cereum agnum, vel ſanctorum puluere illo inuolucro contineri. Ancillæ curioſæ cor illud male fartum, & æquo turgidius animaduertentes, diſſuerunt. Inuenta in eo ficto corde, quæcumque verum cor cucullati claudebat; ſed omnia putida, virulenta, monſtroſa, vno verbo, litteræ perditiſſimi nebulonis. Expalluit pudica matrona oblata epiſtola perlecta, ſtupuitque ſub hiſpida tunica tantum coqui potuiſſe nefas. Nec diſtulit cartam leuiro indicare. Ille rei conſcientia diſſimulata, per ſyngraphum monet horridum amatorem, ne condicta die rus veniat, inde

ſe

Digitized by Google

se subitaria occasione alio vocari. Deprehensum se bonus vir callide coniectans, ac simul metuens ne res ad cœnobij moderatores deferretur, scelus scelere vel obruere, vel cumulare decernit. Germanos fratres accersitos, ac de suo periculo edoctos rogat, vt leuirum viduę illius quamprimũ interficiant. Audacissimi iuuenes sicis vibrandis exercitati plus recipiunt, quam petebatur, gladiatoresq; nonnullos decernunt, qui in vrbem redeuntem trucidãt; & actum sanè erat de capite innocentis, nisi ferale cõsilium ad nostrum sacerdotem confessarium eiusdem, qui ad cædem notabatur, incerto rumore venisset. Hic prudenter nefaria machinatione disiecta, ita res composuit, vt clientem suum à morte, religiosum virum ab infamia, & ab amatæ viduæ conspectu arceuerit. Itum ad Xenodochia, & ad carceres cũ insigni fructu. Curatum vt humana iustitia damnati, cũ diuina in gratiam redirent, ex his vni (quem necessitatis vltimæ denuntiatio pæne emouerat mente) cacodæmon æthiopis habitu suasit, vt piacularium globulorũ coronam, & crucem è collo pendentem abijceret, vtque alimentis ad certum tempus abstineret, quo exacto, affuturum se ad illum liberandũ spondebat. Sed imprimis seuere edixit, ne cum sacerdotibus & religiosis viris loqueretur, neue sanctissimũ IESV nomen inuocaret. Tres dies ieiunus oculis clausis, ac veluti à sensibus abalienatus transegerat, cũ sacerdos Societatis ad eum venit; qui postquam horas aliquot luctatus, clausa miseri lumina discludere non potuit, consecratã coram, & Crucis particulam inscio superposuit. Tum vero miser ille inflari in morem vtris, contorqueri, & vlulare cœpit; vrgebat Pater, vt nomen IESV proferret,

nec

nec tamen ab obstinato eliciebat. Patientia tandem, ac sanctis precibus miser victus, tremendum inferis nomen submisso, & languido sono pronunciauit, loqui deinde, & cibum sumere potuit. Inter vescendum oculis cultrum designauit, illum haud dubie (vt mox patuit) vel in se, vel in alios conuersurus. Ferro subtracto vitreum scyphum in os iacerdotis intorsit. Ille modica capitis declinatione ictu euitato, ab insaniente IESV nomen rursus expressit; quo veluti telo secundo confixus diabolus, ab homine infestando quieuit. Obsidione soluta respirauit damnatus, totaque vita per confessionem diligenter expurgata, mortem patientissime tulit. Ægris non deficimus, & præsentissimum leuamen experti aliqui, super quibus Euangelium D. Marci, quo Ecclesia Ascensionis die vtitur, Sacerdos noster recitauit. Congregationes nobilitate, & pietate clarent. Quæ sub Lauretanæ Virginis titulo non multo ante instituta fuit, nulli egenti misericordiæ suæ fontes patitur intercludi. Vt sane mirũ videatur, tam crebris & magnis impensis vulgarium hominum, ex quibus hoc Sodalitium constat, vel crumenas, vel animos esse satis. Nimirum charitas regiam inserit pectoribus magnitudinem. Ex paucis missionibus non leuis in proximos vtilitas redundauit. Confessi sunt innumeri, & plerique materiam præbuerunt totius vitę, egerentibus inexhaustam. Sacerdos vnus plusquam mille trecentos audiuit. Moduëtia oppidum est in Mediolanensi ducatu clarum, & opulentum. Ibi per Aduentum concionatus vnus Societatis sacerdos, ad nobilem & frequentem studiorum coronam. Sodalitium ex primarijs oppidanis conflatum instituit,

ſtituit, qui omnia charitatis opera ſe profitentur amplecti. Egit etiam de fundanda domo ad nubilium puellarum tutamen, donec in matrimonium collocentur: ne pulchritudo, grauem aliquam intenderet pudicitiæ litem. Statim ad tam ſanctum opus liberaliter ſuppeditata domus cum atrio, & viridario, & ad Virgines alendas ab omnibus ordinibus collata pecunia. Mos ab eodem illatus de B. Virginis litanijs concinendis, ſermoneque de ipſius vita ſingulis ſabbathi diebus habendo, communi omnium conſenſu, & gratulatione.

COLLEGIVM BREIDENSE.

VERSATI ſunt hoc anno in Collegio Socij circiter centum. Diſcipulorum vel frequentia, vel profectus præteritis annis haud impar. De eorum qui in Sodalitijs Virginis ad pietatem informantur, virtute, ab vno, aut altero exemplo erit coniectura. Quidam Sodalis grauiter ab alio læſus, & vltionem meditans, Præfecti hortatu aduerſarij pedes oſculatus, iram adhuc in pectore efferueſcentem repreſſit, ſui victor, & inimici. Alius aſceticum librum, cuius quædam capita contra hiſtrionicos ludos recitari audierat, ad fratrem comedijs aſſuetum detulit: quo ille perlecto, non modo ſcenicas turpitudines eſt execratus, ſed etiam inſtituit, qua hora ſpectaculis intereſſe conſueuerat, in templo Virginis ſacras precationes audire. Facta in triuijs ad tumultuarios auditores, baccanaliorum tempore, de rebus diuinis

nis verba, salubriter multorum animos perculerunt. Ex iis quidam cœlestis mucronis ictu sauciatus, cum noctu nec pectore, nec oculis accepisset somnum; vbi primum diluxit, ad nostri sacerdotis pedes sollicitudinem, & peccata deposuit. Pergebant in templum duo è nostris Catechistis: illos è fenestra flagitiosus quidam conspicatus, diuino monitu (vt ipse deinde fatebatur) impulsus, in impluuium descendit, dat se in viam, sociosque cito consequitur; de sacris rebus colloquia serentes incerto vultu, ac interruptis vocibus sciscitatur, num euadendi spes foret ei, qui quatuor iam annos dæmonis cassibus impediretur. Iacentem nostri benigno sermone alleuant, ad peccatorum dolorem, ad vitam castigandam hortantur, ac denique lachrymis plenum, confessario soluendum tradunt. In Mediolanensi suburbio extinctus in aluo infans, matris ruinam ducturus à peritis credebatur. sed B. P. Ignatij admotis reliquiis, illico emissus partus matrem onere, dolore, ac periculo liberauit. Excursum in multos Mediolanensis ditionis pagos. Circumlatum Iobelæum cum ingenti populorum gratulatione, & fructu. Fama commoti mortales vndique ad nos, nec viarum asperitate, nec cæli iniurijs deterriti conueniebant, & sæpe festo campanarum sono nostrorum aduentum anteuerterunt. Sæpe quatuor vnus & idem, quotidie habuit conciones. Parochi, Moniales, omniumque ordinum propemodum infiniti, quorum aliqui altissima vulnera diu compressa, nostris tanquam à cœlo delapsis medicis curanda pandebant. Moniales nonnullæ seueræ paupertatis normam, nostrorum hortatu arripuerunt. Quidam in scelerum pœnam per menses

menſes aliquot ſingulis noctibus velut flammæ cuiuſdam doloribus tam atrociter torquebatur, vt ſe piacularis ignis acerbitatem ſentire conſtanter aſſeueraret. Ab huius corpore cruciatus, ab animo morbum ſalubris depulit confeſſio.

DOMVS PROFESSORVM GENVENSIS. ET COLLEGIVM.

SVPERIORIS anni exitu in antiqui Collegij ſedibus enata domus, maiora quotidie capit incumenta. Eius fundator Marcellus Pallauicinus Societatis Noſtræ ſacerdos maluit ſancti operis conſcientia, quam fama frui. Nam matri, ac fratribus fundationis titulo adſcripto, ſibi meritum reſeruat. Genuenſis Archiepiſcopus hoc anno aram maximam, in honorem Nominis IESV, cui templum dicatum eſt, rite inaugurauit, cuncto Magiſtratu, & Nobilitate ſpectante. Nihil ad ſplendorem illius conſecrationis defuit. Contuitum implebant duæ hinc inde aram cingentes columnæ, magnitudine, ac ſpecie ſingulari. Noua erat ipſiusmet aræ ſuppellex & pretioſa: duo capita argentea cum pectoribus reliquiarum receptacula, Pixis ex argento, ſigillata; Calix argenteus pulcherrimo opere; Sacerdotis, & altaris veſtitus ex auro criſpante duplici. Sodalitium Nobilium in commodiorem de nouo ædificatam ſedem immigrauit. Ibi par alterum columnarum viſitur, quarum nigrum, ac triſte lumen aureis maculis hilaratur. Senatus noſtra opera in diſcordiis componendis vtitur;

Digitized by Google

duorumque militum morti destinatorum vitam nostris precibus condonauit. Eiusdem Senatus rogatu à Patre Generali Germanus sacerdos, suorum popularium militum spiritualibus commodis addictus, qui hic in præsidio sunt ad mille ducentos. Duos Patres ætate graues, maturosque cœlo, cœlum abstulit. Prosper Malauolta Ferrariensis alter, qui à B. Ignatio in Societatem admissus, annos in ea vixit quinquaginta. Hic seuerus in se, & communis boni semper amantissimus, post gubernata Collegia, Domos, & Prouincias, post quadragenarium stadium tricies quotidianis concionibus emensum, emeritus equus, corporis vinculis liber, ad æterna pascua vocatus. Alter P. Flamminius Commitolus Perusinus, qui annos in Societate quadraginta egit, agendo simul, & patiendo. Nam contra vim asthmatis perpetuo luctatus, nullum refugit laborem, donec ætati, & morbo succubuit.

De Collegio Genuensi hoc tantum habemus. Angustam & conductitiam domum replent Sodales duodecim. Ad tres humaniorum litterarum classes, & casuum lectionem, accesserunt hoc anno Logica, Mathematica, & Philosophia demoribus, quæ nobilis iuuentutis magno ardore, & frequentia celebrantur. Lætandum est feruida Genuensium ingenia, disciplinæ tam patienter acquieuisse. Quæ se dant initia florentissimam pollicentur Academiam, vbi vagum Collegium ampliore, & fixa sede constiterit.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM TAVRINENSE, ET MISSIO BVBIANENSIS.

ALVIT hoc anno Collegium Taurinense socios duos supra viginti; Sacerdotes decem, Magistros tres, Coadiutores reliquos. Ambulachro domum templo conferenti, vltima manus imposita. Sacramenta ministrata, conciones habitæ cum insigni fructu. Nauata opera miseris hominibus in nosochomio, & in publica custodia; confirmati ad vltimum certamen fontes, qui crimina ex legibus capite luunt. Multorum extrema inopia coactis pecuniis releuata. Mulierculæ nonnullæ vel à flagitio, vel à periculo ereptæ. Ad huiuscemodi naufragas feminas recipiendas, institui curauimus domum, quasi asylum pudoris. Gymnasia studiorũ doctrina, & nobilitate clarescunt. A pijs, ac nobilibus tum viris, tum feminis, pia æque, ac nobilia anathemata templo oblata. Pictura texilis aurea, & serica, in qua sanctorum martyrum, Solutoris, Aduentoris, & Octauij effigies visuntur; Calix, Patena, & Pyxis, omnia argentea; Araæ, & sacerdotis operantis ornamenta, argenteis filis intexta; Duo item frontalia; Damascenum vnum colore purpureo; alterum Attalicum violaceis lineis interuenientibur; Vmbella Damascena alba auro fimbriata, argentoque distincta. Trecentos Philippos nobilis vir sacrario nostro legauit; Centum primaria femina ad argentea candelabra coëmenda.

EXPLICAT se in Alpium gremio Lucernensis vallis, alicubi locorum munimentis ita reuin-

Digitized by Google

cta, vt vix armis opprimi possit. Si agri bonitatem, & amœnitatem spectes, Paradisum dicas: Tartarum, si gentis prauitatem, atque perfidiam. Huic angulo inquinatissimæ hæresum sordes adhæserunt, Vualdi, Caluini feralia vestigia. Tantæ pesti, ne longius serpat, Missio Bubianensis in ipso Vallis ostio quasi vallus obiecta. Residents ibi duo Nostri Sacerdotes cum magna populi illius, imo totius Italiæ vtilitate. Sistunt impetum hæreticorum, quos quasi feras bestias in suis cubilibus latere compellunt. Bubianæ, & vicinis in pagis, dogmata fidei toto anno ex superiore loco inculcant. Catechesim circumferunt, fouent Catholicos, nutantes confirmant, languentia, & verbo Dei, ac Sacramentis iam desueta pectora, confessionis, & communionis frequentia modo religiosissime pascuntur. Piæ Sodalitates, vel antiquitate, vel iniuria collapsæ, ad pristinum erectæ decus, & melioribus legibus temperatæ. Inuecti optimi mores, ac ritus Ecclesiæ Orthodoxæ, illi præsertim, qui ad Eucharistiæ veneration nem pertinent.

COLLEGIVM COMENSE, MONTIS REGALIS, CREMONENSE, ET VERCELLENSE.

DVODECIM circiter Socij in hoc Collegio, cum vrbe nostri amantissima cerrant officijs. Nullus in ea est angulus, inquo non illorum ad salutem gentis desudet industria. In gymnasijs discipulos habemus non ingenioſos tantum, sed pios

Digitized by Google

pios. Aliqui enim in varias religiosas Familias nomen dederunt; alij auidissime Societatē expetunt, Auditę quatuordecim muliebrium Cœnobiorum extraordinariæ confessiones, effectumque, vt in vno illorum cunctæ moniales propria in commune conferrent. Vulgarium hominum congregatio dudum instituta, ex quo Romanę primariæ est insita, fructus tulit solito vberiores. Quantū ex asceticis B. P. Ignatij Meditationibus nonnulli profecerint, vita in melius mutata testantur. Accessit ad Collegij bona Villa cū prædiolo, vnius è Nostris peropportunum donū: Desiderius Obricotus domesticorū operum adiutor, pietate, demissione, ac precationis studio, dum vixit, insignis, hoc eodem anno mōriens magnum, sui nobis desideriū reliquit.

Constitit hoc anno Collegium Montis Regalis tredecim Socijs, sacerdotibus quinque, Magistris tribus, Coadiutoribus quinque. Numerum æquauit labor. Quinque diuersis in oppidis quadragenarij ieiunij diebus concionati, iacti seminis segetem messuerunt non pœnitendam, ille præsertim, qui in ipsa vrbe dixit. Nobilis vir, concione dimissa tetrica oris, ac verborum asperitate pellicem suas sibi res haberi iussit. Fœnerator, à templo recta Episcopium petiit, vbi pugione, gladio, genibusque positis, cum Episcopo de animi sui salute agere cœpit; cuius deinde præscriptum, in male partis reddendis sequutus est. Alius concionator, integrum pagum perpulit, vt supplicatione ad B. Virginis miraculis celeberrimum templum indicta, ibi se cœlesti pane reficeret. Antiquissimi incendij, quod inter Guelfos, ac Ghibellinos tota Europa desæuijt, miserandas reliquias hac in vrbe refouet ci-

Digitized by Google

uium paucitas, Nobilitas, otium, cœli acrimonia, ac denique soli opportunitas, ex quo in vicinas finitimorum Principum regiones, breuissimus post facinora accessus, impunitatem pollicetur. Fauillæ igitur (vt etiam alias euenit) doloso cineri suppositæ, hoc anno recalescentes, periculosam inflammationem minabantur. Armati enim hominum globi, igneis notis arma conspersi, noctu per vrbem inimicos mactaturi concursabant: Iis ferrum nostrorum hortatus excussit. Tria homicidia iam parata, ne erumperent, impedita. Annuntiatæ Virginis sacro die, rixa erat in foro non ludicra. fistulis enim ferreis res gerebatur. Alumnus quidam eius Sodalitatis, quæ salutatæ ab Angelo Virgini dicata est, cum turbam è feneſtra intueretur, filium suum animaduertit vnum esse è numero prœliantium, paternaque charitate stimulante, illico sclopum arripit caro pignori opem laturus: sed paulo post abijcit, indignum apud se statuens, si qua die sacram synaxim acceperat, dexteram tam sœuo tormento armaret. Respondit cœlum hominis pietati, filiumque inter plumbeam glandem, à velitante vndique morte, ac vulneribus defendit. Donati Collegio trecenti Philippi, ad fabricam ædiculæ pro Eucharistia seruanda.

Cremona (vbi quatuordecim Socij agunt) nihil misit, quod annalibus insereretur, nisi conciones cum approbatione, & fructu habitas, aucta gymnasia nobilitate auditorum, salubriter excultos B. P. Ignatij libello sacris ordinibus initiandos, templi fabricam promotam, Doctrinæ Christianæ tradendæ vsum tota vrbe amplificatum, & optimis fundamentis stabilitum.

De

De Vercellensi Collegio nihil occurrit dignum scriptione.

DOMVS PROBATIONIS ARONENSIS.

Recensvit hoc anno domus Aronensis quinquaginta quinque circiter capita, Tyronum fere omnia, qui in solidarum virtutum progressu veteranos æmulantur. Vnus de eorum numero Societatem ingrediens, scalarum, quas primum ascendit, & cubiculi, quo in prima probatione vsus est, sibi speciem per visum multo ante obiectam affirmauit, iam tum hominem ad domicilium illud numine inuitante. Fratres duos, qui profanis odiis dissidentes, annum & amplius, mutuo congressu, templi aditu, ac Sacramentis abstinuerant, Nouitius noster pacauit. A paupere sacerdote, iniquus portitor consueto maius naulum exigebat. Pater vnus è Societate, qui lacum eodem lintre traiecerat, placide admonet durum illum exactorem, ne sacerdotem iniustè torqueat; esse Deum seuerum vindicem iniuriarum, quæ sacris viris inferuntur. Ille vehementius instare, furere, vociferari. Ecce tamen dum adhuc bacchatur, tanquam grauis alicuius venti impulsu, in lacum deturbatur: & ne casui casus adscribi posset, semel ab vndis extractus iterum, atque iterum eadem ratione submersus est. Imo tertia vice duo nauigia sponte inuicem adhæserunt, quasi emergenti aditum negatura. Tandem multis opitulantibus enatauit; vt suo malo domitus, disceret superstes reuereri Sacerdotes. Vnus ab inimico inferenda

Digitized by Google

ferenda cæde iam parata deterritus. Multi annoſq; improbitatis à veterno per ſacramenta ſanati.

RESIDENTIA ALEXANDRINA, PAPIENSIS, ET BASTIENSIS.

TRes Sacerdotes Alexandriæ commorantes verbo Dei & Sacramentis miniſtrandis, ceteriſque Societatis noſtræ munijs obeundis delaſſantur. Sacerdotalia indumenta, quæ octoginta vno aureis nummis æſtimantur, voti reus ſacello noſtro dicauit. Puellam nobilem iam plures annos confeſſariis noſtris vtentem, decorus adoleſcens adamabat. Is clam in puellæ cubiculum irrepſit, ſeque in eius lecto, quaſi in inſidijs collocauit. Stata hora innocens, & inſcia Virgo cubitum pergit; inuenis quem minime putabat.

Improuiſum aſpris veluti qui ſentibus anguem,
Preſſit humi nitens, trepidusq; repente refugit.

Sed quid in tam difficili rerum articulo iuuencula conſilij caperet? vocem continuit, ne familiaribus ſuſpicionem inijceret, aut adoleſcenti periculum crearet, aut immeritam notam ſuæ pudicitiæ aſpergeret. Ad cœlum igitur oculis, manibuſque conuerſis, voto quodam ſe obſtringit B. Virgini, vt ab iniuria liberaretur. Mirum dictu! Amaſius ille tam cupidus, tam promptus, non modo expetito corpori non illuſit, ſed torpore quodam cœlitus immiſſo relanguit. Admotus igni refixit, qui procul arſerat, quæſitiſque per ſummam induſtriam, & periculum furtis, quæ manu propemodum tenebat, abſtinuit. Quid plura? iacuit

Digitized by Google

iacuit iuuenis tota nocte illo in loco, & albente cœlo, secreta sibi fuga consuluit: puella orans noctem traduxit insomnem, eamque cubiculum illud tam castam reddidit, quam acceperat.

TRES, quatuorue Sacerdotes Papiæ, ijs omnibus sunt functi muneribus, quæ iusta domus exercet. Institutum Sodalitium B. Virgini Annuntiatæ, & Romano annexum. Fabricius Berzius primarius eques Hierosolymitanus, vt merita in nos sua moriens cumularet, duo Philipporum millia huic Residentiæ legauit. Prioribus ædibus relictis, nouæ coemptæ laxiores, præcipuo & saluberrimo vrbis loco: has futuro Collegio, si quando futurum erit, destinauimus, in quod totius vrbis vota conspirant.

SEPTEM Bastiæ residet socij, Sacerdotes tres, Præceptores duo, totidemque Coadiutores. Feros insulanorum mollire ritus, & ad pietatem inflectere præcipua cura fuit. Concionator per quadragesimam plurimos ad vitam retextam confessione expiandam impulit. Primarij templi, & sacri Odæi disciplinam restituit, & quotidiana eleemosynarum arrogatione (quæ prius bis tantum in hebdomada colligebantur) multorum inopiam subleuauit. Nunquam Corsos tam frequentes concioni interfuisse, quam illo dicente, senes affirmabant: nec tantam Corsorum multitudinem in vnum collectã à se quisquã visam esse meminerat, quam cum sex elegantes theças Roma acceptas certarum optimarumq; reliquiarum maiestate conspicuas, in nostro sacello primo visendas exposuimus. Vidisses non locum ipsum modo, sed ingentem ferocium hominum cœtum horrore tranquillo, & pauore venerabili perfusum.

Tres

Digitized by Google

Tres Congregationes instituţ, pro tribus hominũ generibus. Prima est discipulorum; altera nautarum, tertia honestorum virorum, quibus, & sacramentorum frequentia curæ, & misericordiæ in miseros exercendæ munus incumbit. Catechesis, quæ primo insuetis molesta erat, modo pronis auribus, & magno auditur concursu. Mos est Corsis ab antiquo superstitionum fonte deriuatus, pręficas ad lamentandam propinquorum mortem adhibere. Comitantur hæ funus, & cum ingenti vlulatu, ac lacrymis, os vnguibus carpunt, crinem vllunt, pectusque pugnis contundunt. Bastienses pueri stato tempore, collibus turmatim insessis, hinc, atq; inde in aduersam partẽ saxeam procellam emitebant. Pueris viri succedebant, ludo satis amaro. Vterque abusus Bastiæ nostrorum opera sublatus. Episcopus diœcesim lustraturus, nostrũ sacerdotem in partem itineris, & consiliorum vocauit. Hic loca omnia concionabundus percurrit; dies, ac noctes non modo in pagis, sed in mediis campis confessiones excepit, & in ijs generales plures, cum ingenti cuiusque ordinis, etiam clericalis emolumento. Eminet in Corsis minax animi, ac frontis toruitas: sed Patris illius vel priuatis, vel publicis sermonibus ita deliniebantur, vt summa fiducia, ac mansuetudine, ei pectora aperirent, ad eiusque se nutum fingerent. Multi igitur in gratiam cum inimicis redierunt, male parta restituerunt multi. Aegri, & inualidi ex antiquo, & laudabili instituto, piam aliquam precationem descriptam à sacerdotibus petunt. Nostri, innumeris tale quid flagitantibus, formulam miserunt eius precationis, quæ à sacerdote sacrificante pro infirmis recitatur; his verbis subscriptis,

Beate

Digitized by Google

Beate Pater Ignati ora pro eo, vel ea. Renuntiatum deinde est, cœlestis huius medicamenti efficacitate conualuisse plures morbosos, aut membris captos, quosdam repente, serius alios, nonnullos etiam salute iam desperata. Sed in hæc diligentius inquirere nondum vacauit. Domus nostra Corsicæ totius oraculum iure dici potest. Huc vndique vel ab Episcopis, & Parochis missi, vel sua sponte homines confluunt, Pœnitentiæ sacramentum, & consilium, & dubiorum casuum solutionem accepturi. Societatis nomen apud hanc gentem verendum.

PROVINCIA VENETA.

HABVIT hæc Prouincia in domiciliis sexdecim, Socios centum quadraginta quatuor, è quibus Sacerdotes centum sexaginta, Magistri non sacerdotes viginti septem, Studiosi sexaginta, Coadiutores temporales centum viginti duo, Nouitij septuaginta quinque. Domus Professorum vna. Collegia vndecim. Residentiæ tres: totidem Missiones. In Domo Professorum Veneta quadraginta duo. Patauij centum decem & septem, quorũ Nouitij septuaginta quinque. Parmæ quinquaginta quatuor. Brixiæ triginta. Bononiæ triginta tres. Ferrariæ viginti. Placentiæ viginti quatuor. Mutinæ quindecim. Vno minus Foroliuij. Nouellariæ triginta duo. Veronæ vndeuiginti. Mantuæ viginti. In Residentia Cretensi sex.

Digitized by Google

sex. In Foro-Cornelienſi totidem. In Vicentina quatuor. In Conuictu Parmenſi ſeptem, quibus omnibus addendus R. P. Prouincialis cum duobus Socijs. Miſſiones tres, Cremonenſis, Mantuana, Mutinenſis. Vita exceſſere ſex. Admiſſi in Societatem quinque ſupra quadraginta.

VENETA PROFESSORVM DOMVS.

Hoc annus Patres duos votorũ quatuor profeſſione inſignes, velut ex ærumnoſo mortalis vitæ ſalo in tranquilliorem immortalitatis portum inuexit. Alter fuit P. Ioſephus Fabricius Chriſtiana facilitate connſpicuus, annos tres, & ſeptuaginta natus, quadraginta octo degerat in ſocietate. Huius induſtria in aliis regendis egregie conſtitit. Alter P. Marcus Beringutius ſummæ vir nauitatis, ac diligentiæ, à B. P. Ignatio in Societatem adſcriptus, noſtram Prouinciam à Mediolanenſi diſcretam primus Prouincialis obtinuit, Sicilienſem inuiſit, ac luſtrauit, Romæ partes egit primi monitoris. Collegia, quibus præfuit, præclare adminiſtrauit; omne vero ipſius munus, cum potiſſimum ſingulari qua manſuetudinis, qua caritatis gloria floreret, haud plus ad ipſam Societatem, quam ad alienos homines iuuandos ſtudij contulit, pro quibus nec ſemel iugulum oſtentauit. In claſſe illa ornatiſſima, quæ Turcarum Tyrannum iactantem militum nubes, ac fulmina obruit, ſumma chriſtiani nominis cum gloria, quàm egregiè vel officium præſtitit, vel ſuã probauit alacritatem? Quinquaginta domum annis

Digitized by Google

nis animorũ ſaluri datis, Venetæ domui Præpoſitus, cuius gubernacula diu tenuerat, per interualla temporũ, ad beatitudinis premia receptus eſt. Grauiores muſas, quarum curriculum ſemel, atq; iterum exactum eſt, valere tantiſper iuſſimus, cum amœnioribus, initio licet amarioribus rationem habere cœpimus. Gymnaſium tres in claſſes tributũ, celebratur à multis adoleſcentibus claro loco natis, centum circiter quinquaginta, tum ſecunda ciuitatis voluntate, tum accenſis quotidie magis diſcipulorum olim à litteris vel abhorrentium, vel aberrantium ſtudiis. Declamarunt ſæpius magno clariſſimorum virorum affluxu. In templo feſtis diebus matutinas, pomeridianaſque conciones multo ante locus occupat, nec verbi Domini ſemẽ in aquã iactatur. Pijs exercitationibus. Præſules, atq; alios perpolitos; adoleſcentulas pudoris alea exemptas; mulierculas ab æſtu libidinum aut in vadũ, aut in matrimonij portum traductas; rudimenta Chriſtianę fidei expoſita, aliaque eiuſmodi ordinaria miſſa facio. Epiſcopus Taruiſinus virtutis, idemq; Societatis amantiſſimus ſimul priſtinis in nos officijs, ſimul vitę laudabiliter actę auream addidit coronidẽ: nobis luculenta ſane Bibliotheca, & omnibus omniũ exemplo virtutum relicto. Affixum lectulo Antiſtitẽ, noſtri Antiſtiti affixi & verbis confirmarunt, & quibuſcumque potuere rebus adiuuerunt. Orator Gallus nullum ornandi familiam noſtram, & exornandi locum prætermittit, apud nos cũ vxore, atq; cohorte, ſacra obit myſteria confeſſionis. Bononię duos nobis filios commiſerat inſtituendos, nuperrime addidit tertiũ ex ipſa Hęreticorum colluuione euocatum. In aliam quoq; nos vocat curarum partẽ. quicumque Galli homines

Digitized by Google

homines seu Episcopi, seu Proceres Venetias appellunt, ad nos simul ipso authore appellunt; eos Sacramentis, aut consilijs pijsque libris instruimus, bono successu, optimo fructu. Diuisæ sunt & in diuersa loca vigiliæ nostrorum; Taruisino, & Parentino Episcopis omni voto expetentibus, diæceses obitæ, maiorine bene merendi voluntate, an fructus vbertate dictu difficile, animorum expiationes, Catechismi scholæ, oratoria instituta.

COLLEGIVM PATAVINVM, PARMENSE, ET BRIXIENSE.

VIRORVM iuuenumque cœtus eundem tenuere cursum Patauij. Primarij Sacerdotes nostris instituti commentationibus. Breui quandoque excursioni, multiplex negotium nõ exemit ocium. Parmensi Collegio, Sereniſſimo Duce flagitante, addita est quarta Grammaticę classis. Iuris Medicæque artis Doctores in alias ædes commigrarunt; turbidaque turba semota, nos ex nostrarum legum præscripto Philosophiam, Theologiam, aliasque omnes facultates, à nostris studiis minime alienas, non minori cum quiete animorum, quam auditorum frequentia profitemur. Sacerdotes duo fato functi, Pater Franciscus Monesius, qui vndequinquagesimum vitæ annum, Societatis vigesimum septimum explerat, cum triduo ante imminentem obitum prædixisset. Ætatis omne tempus ad magnos labores, egregiasque virtutes, pietatis maxime, prudentiæ, integritatisque

Digitized by Google

tatisque diuulgatum fuit. P. Petrus Paulus Saracenius agens in Societate annum secundum supra quadraginta, die S. Luciæ sacro apoplexia luci ereptus mortali. In Diuam Virginem præcipua quadam pietate ferebatur, pristinum diem in eius gratiam ieiunus exegerat, homo antiqui officij, & cum alijs virtutibus, tum misericordia in afflictos apprime clarus.

BRIXIÆ & sedatæ rixiæ, & discussæ cædes magno ciuitatis vel fructu, vel lætitia. Filio cuiusdam negotiatoris vita ferro erepta erat, & inuidia facti supra gratiam omnino videbatur: Diuino consilio factum, vt inuictus precibus, victus dolore pater nostrũ audiret concionantem. Hic vbi saluti magis, quam aut iræ, aut dignitati consulendum videt, *inimicitijs animo discussis, pacis consilia admisit; defixis admiratione ijs, qui nullum non mouerant lapidem, vt gratia componeretur. Sic iniurijs vel propulsatis, vel remissis, magnus ad ciuium in nos beneuolentiam cumulus accessit. Boni sane viri, quorum in animos odium nostri nominis altius insederat, ad Societatis studium reuocati. Dies sanctissimo B. Aloysij obitu nobilitatus appetebat. Certatur ingenio, certatur & pietate, vt pijs litterarum munusculis B. Iuuenis memoria clarior, quam luce sua, dies honoretur: & vero carminis vel copia, quæ dignitatem, vel varietas, quæ iucunditatem augeret minime defuit, tamen supra facultatem fuit singularis voluntas, supra industriam fuit egregia pietas. Apud Oratoria, Sodalitatesque, pietatis, & summæ virtutis studium viget; duodecim, tredecimue ad Capucinorum familiam gradum fecere, maximam partem clari generis, ad alias alij, sex ad nostram.

Collegium

Collegium Nobilium condidimus prosperis initiis, spe lętissima. Alumni fuere quadraginta è prę-cipua ciuitatis nobilitate, apud nos liberalibus studijs operantur, noſtra quoque ad res alias opera vtuntur. Domi cum prefectis, Collegij moderator eos tuetur, ſcholiſque præeſt repetendis. Prima rei familiaris cura primatibus incumbit. Deceſſit pridie Kal. Mart. Claudia Balneolia hereditate duodecim millium aureorum nummum Collegio relicta, cui licet onera quædam adiuncta ſint, vſque dum viuant legatarij, aliquando tamen vectigalis fructus amplius quadringenûm aureorum efficietur. Io. Baptiſta Calinus, in quo pietas cum litteris & fortunæ bonis certabat, nobis legauit Bibliothecam mille ferme librorum, vernaculo ſermone conſcriptorũ, vna cum ſphęris, Globis, Geographiæ vt appellántur mappis, & id genus alijs, item Belgica ſex prope recentia periſtromata. Nos præterea ſcripſit heredes à ſextanti, quibus ipſi bonis perfruemur poſt mortem eius, cui legatus eorum vſus fructus. Hieronymus Barberius quo medico vtebamur, recentium aulæorum paria tria, quibus nomen à Belgis, & pecuniæ ſeptingenta pondo, annis quator pro rata parte numerandæ, teſtamento reliquit.

COLLEGIVM BONONIENSE, FERRARIENSE, ET PLACENTINVM.

GYMNASIVM in dies magis magiſque celebratur, vt exedras bene amplas laxare neceſſe

Digitized by Google

ceſſe habuerimus, aulam & ad ſpeciem, & ad vſum amplum adiunximus, quæ ſcholaſticis dramatis, ſodalitijque ſplendore florentiſſime clareſcet; è diſcipulis varias religioſorum hominum diſciplinas, atque inſtituta profeſſi; è compluribus Societatē affectantibus tres minime præteriti.

ORATORIVM nouum nouos Ferrariæ edit fructus, nō iam addit celebritatem ędi, nam colligunt ſeſe multi, moreſque conformāt. Multi ſacra exhomologeſi, ſynaxique, operantur. Huic Collegio peculiaris eſt domus velut officina erudiendi per catecheſim; quā hoc anno, ne qui carent vrbe careāt vrbis bono, cum ſumma Epiſcopi voluptate, tum ingenti ruſticorum emolumento in pagos inuexímus; eodem enim tempore patefecerunt plurimi, qua in re per omnem vitam declinaſſent ab religione officij Chriſtiani. Vincti, vinclis eratorum ſoluti, nauataque ijs ſuprema opera, qui ad ſupplicium rapiuntur. Ex ijs quos pietas nobis adiungit, quidam Collegio aſperſit particulā hereditatis; fundus ea fuit, ac domus. Cubiculis inſuper, gymnaſioque Collegium auxit eleemoſyna.

AD culmen hoc anno perductum, quod priore inchoatum fuerat gymnaſium, allexit primam nobilitatem. Habenda nimirum eſt gratia perilluſtri arcis præfecto, qui nobis ad optime ſperandum quaſi ſignum aliquod ſuſtulit, ita noſtri ſtudioſus, vt non ſibi, ſed Societati viuere, ita officioſus, vt non dare beneficium, ſed accipere videatur. In templo, cuius ſacrum inſtrumentum eſt adauctum, concionatores, & confeſſarij fecerunt operæpretiū. Prōcus virginis caſtitatem delibare conatus, eam non magis virginem, quam viraginē eſt expertus, cum ab illo nequiuerit vin-

Digitized by Google

ci. Mulier patientia quam opibus clarior, rapinã bonorum passa non leuem, adeo leuiter tulit, vt plerique non dolorem consolarentur, sed virtuti fœminæ gratularentur, quæ in graui vulnere fortior, in acerbo casu erat felicior: adeuntes se, vt sua gratia cælitibus agerent grates, etiam atque etiam hortabatur. Salutaris exempli manauit vtilitas. Altera Deum Opt. Max. precata, ne se vel expertem tanti meriti, vel irritam spei pateretur, mox nuncianti, nonnihil etiam auri sui simul ademptum, arrisit, vt non cupierit ardentius, quam tulerit patientius; illa nihili opes externas, interiores maximi pependit.

COLLEGIVM MVTINENSE, ET FOROLIVIENSE.

MVTINENSIS ædes frequentia floret hominum sacra mysteria frequentantiũ. Quidam inimici cædem anhelãs, vnius è nostris colloquio emollitus iram repressit, atque diuinis etiam sacramentis futuræ sanxit amicitiæ fidem. Dum nos animis, B.P. Ignatius affectis corporibus subuenit. Quidã lethali subinde corripiebatur dolore; aliquando cum mortem non tam metueret, quam expectaret, sese in fidem, ac patrocinium B. Patris Ignatij ignitis precibus, votoque concepto contulit, nec fiduciam fefellit B. Pater, quippe tanquam in funere reuixit. In dispari causa, par ferme auxilium idem præstitit. Mulier per scalarum gradus præcipiti ruina voluebatur, cum pari ardore ac pietate, B. Ignatij opem implorat, nec frustra; timuit enim magis discrimen, quam sensit.

Digitized by Google

ſit. Infixum eſt memoriæ beneficium: affixa B. P. ex argento votiua imago.

SACRA Beariſſimę Virginis, numen ſuum mirifice declarantis, effigies, qua templum noſtrum triumphat ampliſſime, multos ad ſe mortalium prolectat: id etiam vel frequentiam auget, vel pietatem, quod feſtis, ac dominicis diebus fides Chriſtiparę ſymphonię cantu imploratur; quo interim ſpatio velamine deiecto, aperitur diuinum ſignum, cuius adſpectu religione animos illapſa, ſenſim ſine ſenſu in cæleſtium rerum amorem rapiuntur. Id vel magno ſit argumento, quod apud nos plurimi & vitæ maculas eluunt, & cæleſti pane ſeſe paſcunt. Neſcio quid piorum munere acceſſit ad templi ſpeciem. Templū lateribus pereleganter ſtratum. Turris ad iuſtam altitudinem eductæ faſtigium, plumbo coopertum, perſonat campano ære maiori. Omnia fere quæ ſpectant ad animorum ſalutem, Epiſcopus per nos agit.

DOMVS PROBATIONIS NOVELLARIÆ.

NOVELLARIÆ decurſis litterarum ſtudijs, tertium Probationis annum obire iuncti noſtratibus Mediolanenſis Prouinciæ alumni; numerus videlicet amplior, fructū reddidit ampliorem. In ipſo prope Nouembris exitu, latiſſimus ſeſe aperuit bene merendi campus; tanta vis hominum confluxit ad ſacram exhomologeſim, vt cum Patres minime ſegniter in ſuo munere verſarentur, omnis tamen ægre ſufficeret induſtria: maximam partem longinqui, nulla viarum longitudi-

Digitized by Google

ne deterriti ad nos effundebant seſe. Conciones eo tempore, quo ab Eccleſia celebratur expectatio virginei partus, habitæ in templo noſtro, adulta, ſæuienteque hyeme non ſemel in maximo. Nec abijt feriata æſtas à frugifero munere; Conſilij, Comitiſque clariſſimi rogatu recluſus iterum ludus aliquamdiu clauſus. Sacerdos cum comite oppidum Erydano impoſitum, Colurnum indigitant, quod excurrerit egregiam nauaſſe videtur operam. Demarchus, & coniux quantum poterant replicare memoriam preteriti temporis, exemere ſeſe noxarũ vinculis, meditationibus exculti noſtris; ac ne quid in moribus flueret quodammodo lutulentum, officij præceptionibus ad omne decus, virtutemque faſtigio parem expoliti. Eſt in vrbe proxima Virginum cænobium magni nominis, nec benemerendi opportunitas prætermiſſa, nec vero à ſpe diuiti diſſenſit euentus; maculis confeſſione ablutis, cæleſti delibutæ gaudio ad longe meliora ſeſe reuocant.

COLLEGIVM VERONENSE ET MANTVANVM.

IN ęde noſtra Veronenſi magno cum fructu per quadrageſimam conciones habitæ; Illuſtriſſimus Cardinalis huius ciuitatis Antiſtes eximiam nobis præſtat beneuolentiam. Gemina Sodalitas B. Virginis tum virorum nobilium, tum hominum obſcuriorum maiora, cepit incrementa. Ad Gymnaſium iuuenes è prima nobilitate accedunt, duo præclara indole in noſtrum ordinem cooptati.

Mantuæ

Digitized by Google

Mantuæ quædam honestissimæ Matronæ Serenissimæ ducem secutæ, puellas ducentas supra mille Christianis institutunt rudimentis. Gymnasium vniuersum bono Auditorum nobilium numero frequentatur, liberalemque inter doctrinam virtus adolescit. Vir quidam in Principibus nouo cumulo auxit officia pristina, quingentos aureos ad templi absolutionem legauit, alij duo sacram supellectilem duplici calice argenteo locupletarunt.

SEDES VICENTINA.

NOBILIS adolescens dum Parmæ agit nostræ disciplinæ alumnus, virtutis auidus ad Societatem animum appellit, trium fratrum pellectus exemplo; quibus nimirum communione sanguinis coniunctus erat, dissimilitudine vitæ disiunctum se noluit. In Seminario Romano alius pios cum literis spiritus hauriebat, Societatis incundæ cerru- cum hoc molitur, nescio quid nuntij perstringit suspicacem animum patris: nihil non mouet, vt filius pertrahatur Vicentiam; cum res facultatem nō haberet, ad vrbem ipse; adolescentis animum versat in omnes partes, tandem ad vitæ nostrę rationes adhęrendi potestatem vel inferior filio, vel superior sibi permirtit. Reuertens Parmam deflexit iter, vt alterum filiū, qui studijs sese imbuebat in Collegio conuictorum, secum abducat, veritus, ne fraternis insisteret vestigijs, vbi Vicentiam attigere, Pater lethali morbo correptus est. Adfuit animam agenti Sacerdos è no-

Digitized by Google

stris, à quo singulari studio contendit, vt per literas à Patre Nostro Generali veniam, retardati diutius adolescentis exoraret. Nam alterum in pristinum restitui locum iussit. Quæstor septuagenarius exigua in spe trahebat animam, accersito nostrorum vni de peccatis confitetur, corpus Christi religiosè sumit, mortuo proprior erat quàm viuo: at cœlestis vita, quid aliud afferat nisi vitam? Æger noxium humorem expuit, surgit è lectulo, ad nostrum templum se confert, vt vitali medico vitam deuoueret, & secundæ quasi originis à Christiana pietate duceret commendationem. Hic corpotis, altera diutinum euomuit animi virus. Mulier quæ confessario, præ pudore noxas integrè nunquam explicarat, Vicentiam accessit; vt ædes conspicata est nostras, animum memoriæ tetigit, ea se tecta, antequam in nostram venirent possessionem, fœdasse peccatis: quapropter sacram per confessionem, totius anteactæ vitę crimina expiare ibi voluit, vt qui locus ad exitum exitialem viam aperuerat, idem ad æternam salutem aperiret. Controuersiæ, quæ ad conscientiam pertinent, nostros intra parietes antea pertractabantur, modò explanari cœptæ in Episcopio, vt simul Auditorum commodo, simul pio Episcopo deseruiatur.

FORO-CORNELIENSIS SEDES.

ASPICIENTE numine res huius sedis adolescunt. Diuæ Agathæ ædes superiore anno inchoata, hoc ipso anno ædificationi transmisso,

Digitized by Google

missio, ijs creuit auctibus, qui spem faciant propinquam imponendi fastigij, atque habendi, vbi nostrorum omnis sese explicet, ac dilatet industria. Tanta scilicet incrementa, spem ciuitatis superarunt. Senatus collectitiam pecuniam suggessit, qua & sumptus tolerati, & nostræ, quos alit piorum benignitas, egestati subuentum. Nec parum tulere caritatis decus oppida finitima. Mirum ad cœpta nostra promouenda, quam ardeant omnium animi. In ijs locis ab vno de nostris, concionibus aliquot habitis, tantum incessit operæ nostræ desiderium, vt omnia polliceantur liberalitatis officia ijs, quos ad se traducere decreuerunt. Illic spes animorum lucri affulget magna, nec in vrbe minor, cum habeat hic annus nouum magistrum, de quo ciuitas Patrem nostrum fatigarat. Eum custos vrbis, ac patronus Cardinalis à sancto Cæsario exorauit. Antequam studia Magister auspicaretur, in æde summa, cui Societas Gymnasia constituat, orationem habuit; eam præsentia sua Episcopus, vrbis Præfectus, primarijque viri decorarunt; eam magistratus in publicas tabulas referendam proposuit.

MISSIO CREMONENSIS.

IN primis aditus Antistes à nostris in eam Prouinciam missis: qui satis, superque explêsit desiderij omnem expectationem: non enim modò quæ forent vsui omnia professus, verum etiam ad omnes, qui in suam essent ditionem, patentibus literis munuit, & ad pias sacrorum globulorum

Digitized by Google

lineas, libellos, icunculasque, coemendas pecunia instruxit, & quod grauissimum est sua illos auctoritate auxit. Neque Curiones transuersum vnguem ab humanitatis, officijq; regionibus aberrarunt, cum vel operam, vel beneuolentiam nauarint opinione nostra longe maiorem; exiis, ceteriſq; qui ecclesiasticum aliquem obtinent honoris gradum, ad noxas nobis aperiendas face cunctis prælata, sese per eos dies nobis in disciplinâ quodammodo tradiderunt, Deo gratiâ prosilientibus lacrymis agebant, quod pietatis studio insistendi, atq; ad summę fastigiũ virtutis adnitendi in sinum deuolasset opportunitas. Indictæ atque apertæ inter Curionem, Paganosq; intercedebant simultates, quas Patrũ industria nõ modò extinxit, sed ad beneuolentiam singularem, amicitiamq; traduxit.

MISSIO MANTVANA.

MIssio in agrum Mantuanũ obita permagno fructu: mirè obsecundantibus Curionibus, & certante cũ iis de beneficentia multitudine, cui egestatẽ nostram publico sustentari placuerat sumptu; at ii desponsam, destinatamque sibi laudẽ decerpi minimè passi. Quidam ex eodẽ ordine cui corpus annis infirmũ, ingenium sapientia validũ, literas ad Episcopũ dedit nostrorum laudibus cumulatas. Apud multitudinem nihil æque obtinebat admirationẽ, atque in donis remittendis constantia. Confessiones auditæ permultæ: ex his de tota vitâ circiter trecentę. Templum à pœnitentibus ante lucem occupabatur, se interdũ & nos secũ somno fraudantes. Septimus iã annus effluxerat

rat ex quo quidam anathemate perculsus fuerat: is nostrorum opera ad Ecclesię communionẽ rediit. In oppido Voltâ duabus fastigii magni familiis atrox incesserat discordia, quæ in duas factiones oppidum pẽnè distraxerat; nõ iam modò increpare arma, micantesq; fulgere gladii, sed humus sanguine purpurascere: hinc efferuescens matris animus ad prosequendam filii necem exardescere, vt nullas nõ aucuparet occasiones odii expromendi. Aduersarii aduersariũ iure cæsum, se vicem interempti fratris vltos. Incendium longè, latèque in dies bacchabatur, vt non aqua restingui, vix ruina opprimi posse videretur. Nihil assiduæ amicorum preces proficiebant, clarissimorum etiam hominum in ea re conatu maiore, quã euentu desudarat industria. Oppidani in tot ęrumnas proiecti ad nos confugiunt, vt nec suæ, nec verò diuinæ causæ desimus, enixè obsecrãt. Per iteratas preces & hostias imploratur cæleste præsidium, plus spei ex diuina misericordia, quam metus ex humana peruicacia concipitur; spei respondet exitus. Concioni mulier interest, concionator in omni amplificationis genere exardescit, omnes adhibet dicendi faces. Quid plura? cœleste fulmen extinguit terrestrem ignem, & quamuis recens obuersaretur animo cruor, pax tamen certis est legibus constituta. Tanta feminæ virtus defixit oppidanos stupore. Omnes Deo per confessionẽ sunt reconciliati; qui prius fuerant proximis per pacificationem: quod quidẽ non admirationis minus, quàm voluptatis tulit oppido: nec Societati nominis minus addidit, quã beneuolentiæ. Reliquias simultatũ aditu nec difficili aggressi, exitu nec ingrato persecuti. E quattuor inter quos sopita odia, vnus lethalis vulneris

vulneris grauitate, non tam humana arte, quàm diuina ope leuatus. Institutę Catechismi scholæ tribus in oppidis; alibi prolapsæ sunt restitutæ.

MISSIO MVTINENSIS.

PRÆCIPVVS huius missionis fructus in peccatorum pœnitentia, & rudiú catechesi constitit. Nam confessiones quidem à nostris exceptæ plus mille quadringentis. Et tamen alij quoque, hortatu nostrorum, excepere. Ad Catechesim verò tantus fuit feruor, vt expectationem superarit. Nam dum nostri populum Christianis ritibus informarent, permulti vt interessent, remanebant ieiuni ad vesperam, vel certè secum allato prandiolo, sub arbore vescebantur; alii apud consanguineos, vel affines cibum capiebant; quo sæpè fiebat, vt nostri ad sacram Catechesim necdú pransi euocarentur. Parochis inuigilandi suorum saluti, iniecta voluntas, & demonstrata necessitas; quorum plerique anteactæ vitæ confessionem instituerunt, idque tanta lacrymarum copia, vt non profanis tantum, sed nostris etiam hominibus admirationi fuerint; in quos etiam optimè animatis, atque perofficiosis, nihil ipsorum digressu molestius visum est, nihil acerbius.

COLLE-

Digitized by Google

PROVINCIA LVSITANIÆ.

CENSVIT Lusitania socios sexcentos, & viginti quatuor, sexdecim sedibus distinctos, quarum domus Professorum tres, Collegia nouem, Residentiæ duæ, totidem Missiones. Domus professa Olisiponensis Socios octo supra quinquaginta numerauit; totidem, Collegium. Ducentos & quindecim Conimbrica, in quibus tyrones duos, & sexagenos. Ebora Nonagenos vltra centum, quos inter scribuntur triginta duo è tyrocinio. Braccharense Collegium tres & triginta. Portuense vndeuiginti. Brigantinum vno minus. Villauiçosæ domus vndenos. Quatuordecim Turdetana. In Funchalensi Collegio septemdecim militauere. Sexdecim in Angrensi. In D. Michaelis residentia seni. In Angola septeni. In Missione Viridis Promontorij quatuor. Tres Vallisoleti. Vitam amisere vnus, & viginti; sexaginta assumpti ad eorum supplementum.

DOMVS PROFESSA OLISIPONENSIS.

ANNVS hic professæ domui trium fuit operariorum iactura infestus, quibus veluti columnis suffulta nitebatur. Prior concessit P. Emmanuel à Costa, qui Præpositum in domo Turdetana

tana agens, dum in templo ad concionem se accingeret, subita defectione virium correptus, Olisiponem ad patriam est translatus, sed eam nulla in re benigniorem expertus, maximis subinde doloribus torquebatur; Quorum molestias tum solum clementiores reddi asserebat, quoties animum cælesti pane recrearet: Vir spectatæ in externos & domesticos charitatis. Doloris inuexit deinde montes Pater Franciscus Cardosus, ob egregias animi artes omnibus gratissimus, properata, licet non immatura morte absumptus. Qui cum primarum partium concionator esset, ita se puerorum, lixarum, & seruitiorum institutioni impenderat, vt præ illa, quam ipse voluptatem appellabat, grauiora semper munia reiecerit. Adeo contemptor rerum animus soli arundini adhæsit, qua puerorum greges dirigebat; illo sceptro plures quam concionum momentis, cælo se indidisse attestatus. His distentum curis lethum acerbissimum occupauit. Tertio decimo Kal. Octobres Luculentam in nostro templo habuit concionem de viduæ filio, qui extra ciuitatis Naim portas defunctus efferebatur, cuius in eum diem è sacra historia commemoratio obuenerat: Vbi plurima de mortis præfatus insidijs, sic omnibus lacrymas excussit, vt cum semper eximie diceret, nunquam dixisse melius putaretur. Pomeridianis horis in Catechismi explicatione, eandem de morte, quam præsagiebat animus, incudem repetens, infinitam hominum multitudinem suspensam attinuit, qui cigneam illam vocem non sine dolore postea recordabantur. Die insequenti, quæ B. Euangelistam Mathæum præcessit,

Digitized by Google

ceſſit, eundem poſt horarum recitationem vehemens aliqua cogitatio, ſeu morbi violentia inter ſanctorum Patrum lectionem ſellæ affixit, quem aliquis oſtio tum forte applicitus noluit interuertere. Non multo ante meridiem æditiuus ibidem extinctum comperit, ea tranquillitate vultus, vt tum maxime viuum crederet: ſed nequidquam ſæpe inclamatus, noſtros & externos in eiulatus grauiſſimos coniecit. Ipſa Beati Mathæi luce, cum noſtrum in templum omnes ordines ad curandum funus accurriſſent, & ſuggeſtum intuerentur, in quo ipſe ſuperiori die inſtitiſſet, pectus tundere, fædare crines, vultum lacerare, inconditis omnia clamoribus conuellere. Templum quamuis ſit admodum capax, maiorem confertæ multitudinis partem excludebat: Cuius in aſpectum cadauer vt proceſſit, Religioſorum, & illuſtrium hominum humeris importatum, qui ſingultus, quæ lamenta percrebruerint, facilius quiuis coniectura, quam meis ex verbis aſſequatur. In eam partem omnes irruebant; & periculum foret ne diſcerperent, niſi valentiores homines obſtitiſſent; cum pars globulos, pars ſudariola, ſacerdotes pileum illius tactione conſecrarent. Preces funebres noſtrorum, & Religioſorum magis lacrymis, quam vocibus perſonabant, ſed ea qualeſcumque canentium linguæ, populi clamoribus ſuperabantur. Fortunatiſſimum ille ſe putabat, qui manibus oſcula ingereret. Nil ſimile vidit vnquam Oliſipo. In lucem perendinam ſymphoniacorum Sodalitas ab eodem erecta, inferias retulit ea celebritate, vt Regibus funus æque ſumptuoſum reddi

di vulgo negaretur. Fuit qui ex dolore morbum, dein mortem contraxerit. Omnes fere insidiantis lethi formidine perculsi, confessione animum purgarunt; sic non morte minus, quam toto vitæ tempore, visus est egregius concionator. Crebro dictitauerat, se non lecto languidum, sed stantem, vt impigrum bellatorem decet, absceſſurum. Rocentem cicatricem vlcerauit P. Gaspar Aluarus, spiritualis negotij adiutor, nulli suo in ordine secundus. qui labore indefesso, carcerem, triremes, nosocomia, & infimæ sortis plebeculam, per triginta annos confessionibus excoluerat. Cum semper damnatos capite ad supplicij locum deduceret, illorum pater vulgo audiebat. In eo vulgaria, vinctos exoluere, alieno concluſos ære subleuare, ægris nocte, dieque incumbere. Grassante pestilentia in Missionem digressus, apud Hieronymianæ familiæ patres per dies aliquot diuertit, nunquam foras egressus (vt ipsi non sine stupore recensebant) quin à Cœnobiarcha pacem expoſceret; Cumque adulta nocte ad matutinas preces euigilarent, eundem crebro ante diuinam Eucharistiam, innixum genibus demirabantur. Aliquot dolore victi ob illius obitum, pulla se veste deformarunt. Nostris subiungam Illustrissimam feminam Helenam Mascarenias singulare specimen virtutis, Petri illius Mascareniæ vxorem, qui Romæ ad Pontificem, Ioannis Tertij Legatus, Societatem deuexit in Lusitaniam. Nostro semper nomini impense dedita, suum B. Xauerio, & primis nostri ordinis parentibus, in confessione patefeciſſe animum gloriabatur. Adeo vitæ diuturnitatem (nam quintumdecimum supra centum exceſſit annos) vt pietatis pre-

Digitized by Google

pretium obtinuit. Quibus vita ſuperſtes fuit, in Societatis inſtituto operam induſtrie locarunt. Concionibus luſtrata ciuitas, confeſſionibus claſſes, & triremes, Eleemoſynis vinctorum cuſtodiæ, & deſperatæ valetudinis ægroti. Ex aduenarum numero, qui in hoc emporium commeant, hauſtum Lutheri & Caluini venenum, ſex & ſexaginta euomuerunt: è quibus duo veram vbi fidem ſunt profeſſi, à viuis abiere. Inter peregrinos homines, qui à noſtris animorum expetunt medicinam, Batauus quidam in Orthodoxa fide eductus acceſſit, vt Deo ſacra ſynaxi munitus, inſigne beneficium gratificaretur, quod ita ſe habuit. Eo die, quo Bacchanalium furore omnia perſtrepunt, pompam in nobili Batauiæ oppido Hæretici concinnarunt, vt Catholicis ritibus illuderét, licentioré aliam in diem cinerum relegantes, qua tremendum Euchariſtiæ myſterium ludibrio circumferrent: id tamen ſacrilegium impunitum minime abſtulerunt. Cum enim tanto flagitio initium facerent, cælo, ſaloque conſpirante, finem quærere coacti. Nam cœlum ita valide fulgetris, & fulminibus tonuit, vt diffracta ædificia ad ſolum quaterentur; pelagus etiam ruptis obicibus inundans, quidquid ignibus fuit reliquum, abſumpſit; tot inter ruinas, vna Catholici huius domo illæſa, quod minus fidei haberet, niſi multorum teſtimonio fulciretur. Adoleſcens à parentibus in Germaniam ad linguam ediſcendam allegatus, Turca hortatore fidem abnegauerat, ſed acta cum ſacerdote noſtro confeſſione, impietatem expunxit. Salutari aqua inſperſi octodecim, qui Mauritaniæ Luſitaniam, & Mahometanæ ſectæ, Chriſtianam Religionem prætulere: Quendam

flagi-

flagitiorum multitudo in eam desperationem compulerat, vt in locum densis oppletum arboribus secesserit, vbi dæmones sæpius compellans, sui deditionem proprio firmatam sanguine pollicebatur; quidquid tamen ruri deliquerat, nostra in domo compensauit. Sacerdos, qui ob Ecclesiastici beneficij iacturam, & alterius litigium, fugam ad Mauros ornabat, nostri consilio retentus. Feminarum, quæ apud nos confessionibus dant operam, pudicitia, vnò vel altero notetur exemplo. Quædam nocturnam adolescentis audaciam, forficis (hoc ei telum fors obtulerat) petitionibus compescuit. Altera noctem solidam in abigendo oppugnatore desudauit. In tutũ locum seducta viduæ nobilis filia, ad quam duo illustres adolescentes, viam impudenter muniebant. Alteri quæsitum domicilium vbi tutius, quam sub parentis negligentia delitescerent. Viduæ sortem natus, & binæ filiæ ob egestatem periculo confines aggrauabant; sed illarum grandior, in clarum, & opulentum virum nostrorum ope collocata, vniuersam domum ab eo labore recreauit. septem Virgines in tutum abductæ, ne suum corpus stupris impedirent. Tres quæ à parentibus auolauerant, in cœnobij cauea concluſæ. Quæ cum viro vxorem habente fugam alio meditabatur, sanctioribus nuptijs illigata, hunc animum deposuit. A Deo mulier, & à marito annos triginta exulauerat, quæ nostri sacerdotis monitu in salutis regionem est traducta. Altera è quinquennali turpitudinis cœno emersit. Vir primariæ nobilitatis, ita redactus est demens ex concubina, vt illam secum publicitus produceret; quod vxor vbi resciit, indignabunda eandem

eandem fecerat in vincula compingi. Et plane in deterius res erumperet, ni sacerdos noster acrius incumbens, mulierem ad confessionem prius adigeret, & pulchra instructam dote in religiosam familiam ascriberet. Hominem diuitijs, & sanguine potentē, & domum vniuersam, ludus immodicus ad egestatis terminos redegerat, nam totos viginti mille aureos, quos annui reditus suggerebant, per nox alea excoquebat: Quem vnus è nostris aggressus eo conuertit, vt ludo nuntium remitteret, & oblata dextera, futuram cautionem sponderet. Cum vero promissis postea facta supperetere[n]t, domus pæne emortua reuixit, non sine hominis procliuitatem noscentium miraculo. Feminis septem, quæ parentibus orbæ paupertatis fasce premebantur, dotes oblatæ. Honestum virum attrita penitus vestis domo egredi vetabat, cui ad alterius coemptionem viginti aurei corrogati. Vir perillustris mortem oppetens, quatuor mille aureorum summam Patri Præposito, in pios vsus interpartiendam legauit, quæ consulto distributa multorum leniit paupertatem. Hibernorum hominum nauigium, diuturna fluctuum iactatione conuulsum, & omnibus truncum armamentis, fœda tempestas Olisiponem detulit, qui nostrorum charitate excepti, ad septuaginta octo Eucharistiam participarunt: sed cum corporis etiam fomentis indigerent, quingentos aureos ex ciuium liberalitate conflauimus, quibus nuditatem obtegentes, famem etiam sedarunt: filios, ac filias, quas idem oppressit casus, potiores familiæ libenter alimentis sustulerunt, quod à nostris id esset commendatum. Cum ad hanc domum ex orbe vniuerso infinitus confluat numerus, peri-

Digitized by Google

ristylium interius frequenti semper multitudine incolitur, quæ ne otiosa sursum deorsum cursitaret, tabularium piis ornatum libris est repositum, quibus intenti, eorum patrum quos adeunt, accessum cum voluptate præstolantur. Catechismum non pueri tantum, sed sua præsentia celebrant omnis generis, & ætatis mortales ad quatuor mille, vel amplius. In eo distributa Virginis rosaria bis millena, piaculares ex ære, vel stanno icones, supra quatuor mille; solemni hoc Catechesis apparatu celebre vinctis omnibus, & prostratæ curæ ægrotis prandium est inuectum, vrbe tota circumspectante, in qua subacti panis modij supra ducenos expensi, carnis & orizæ plurimum: dulciares etiam ægris cupediæ abunde suppeditatæ. Heroicam consuetudinem nocturnæ flagellationis, quæ olim vrbem totam cogebat nostrum in templum, iustis de causis intermissam, maximo omnium assensu reuocauimus: in Collegio Aduentus tempore, in professa domo (quibus cardinibus Olisipo vertitur) Quadragesimali. Templi suppellex aliquibus aucta donariis; signum præstantissimum D. Brigitæ erectum. Peristroma clarum ex holoserica, & Attalica textura coagmentatum, ne quidquam foris quærere oporteat, ad templi parietes inuestiendos. Diuorum ossa, quæ nostro in templo asseruantur, religiose suspicit ciuitas, multis expleta beneficijs. Femina, de qua pæne fuit conclamatum, leuari sensit valetudinem, vbi D. Gregorij Thaumaturgi tiaræ oscula impressit. Non vrbis tantum mœnibus nostrorum labor continetur, sed finitimos etiam pagos complectitur. Centobricam nobile oppidum, sacerdos per quadragesimam excolens, turbaram multorum

Digitized by Google

multorum pacem composuit. Villafrancam concionibus alter erudiit, tanto confinium etiam confluxu, vt in suggestum semita non esset, nisi populus magistratuum imperio truderetur. Falso quidam latrocinij stigmate ab alio inustus, capitalem eidem pestem moliebatur quam inferret, nisi falsidici hominis vxor, nostri instinctu, finita concione in omnium auribus, veniam quæreret per Christi in cruce pendentis effigiem, quam incredibili audientium sensu, noster è suggesto ostentauerat. Itaque simultatibus deletis, amicitiam postea coluerunt.

COLLEGIVM OLISIPONENSE.

OBIIT P. Ioannes Soërius sanguine Lusitanus, patria, & factis Africanus, qui quadraginta quinque annos Societati addixerat. Transmarinarum Prouinciarum negotia sine otio curabat, miram apud omnes nactus fidei, & sanctitatis opinionem. Somno duas aliquando, semper vnam saltem horam deducebat, vt animum longiori distenderet oratione. Totidem apud nos transegit annos Sebastianus Gondiçaluus, P. Soërij in curis socius, quem morientem etiam est consecutus. Mortis vtriusque dolor, Indos pulsabit & Iaponios, nam castra illic militantium, fouebant in Lusitania. Lenta præterea tabe duo absumpti iuuenes, Antonius Riberius, & Petrus Ludouicus, prior tres, posterior quinque in Societate vixere annos. Ille patientiæ laude commendabilis. In hoc licet morbus longinquam fe-

Digitized by Google

cit moram, immodicæ appetitionis vestigium nemo dispexit. Agglutinatæ inter plurimos amicitiæ, exempla aliquot subiungam. Quidam inflictæ alapæ dolorem, ferientis cæde conabatur extinguere, hic tamen impetus à nostro est repulsus. Alter acceptam iniuriam sic animo infixerat, vt licet vniuersa misericordiæ Sodalitas, die Iouis maioris hebdomadæ Christum pendentem, & sanguine illitum obiecerit, se in genua deuoluens, auellere non potuerit; præduratum tamen animum solius nostri authoritas infregit. Inter Religiosos, & eum hominem, cui gentilitio iure monasterij patronatus accesserat, graues cooriebantur turbæ ex domo, quæ ob importunam iniuriam monasterio erat infesta. Cum eo actum vt fenestras imminentes calce occluderet, & propinquiora ædificia monachis impertiret; quod munus, quanta eos solicitudine liberarit, nobis crebra gratulatione significarunt. E nostris vnus viri præclari mortem præuertit, futuram malorum ingentium seminarium. E carcere quatuor vendicati, e quibus vnus citra dubium suspendij mactandus erat infortunio. Capitale supplicium tres milites expectabant, ad quorum miseriam leuandam, in ipsa die nostri accersiti, se ad classis præfectum contulerunt, & obnixe flagitantes eum flexere ad misericordiam; ita tamen vt ad triremes, lentius mortis genus, eosdem relegaret. Sed nostri aures eiusdem precibus obtundentes admonebant, ne incœptam munificentiam, quauis fœdaret acerbitate, sed solidum pararet beneficium: sic ante dies quindecim eos à triremibus exemerunt. Duo qui in Africam exules solum vertere cogebantur, ab ea calamitate sunt erepti;

quod

Digitized by Google

quod vt fuit arduum, sic factu pulchrum: nam valentissimos nacti erant aduersarios; & eorum alter sua opera quinque tollebat filios, qui nostra ope videbantur ex orci faucibus, ad lucem translati. Honestæ mulieris filiam, quidam libidine coopertus secum ductabat in Brasiliam; ad capitales Triumuiros res delata, finem profecto non habitura, nisi cum abactoris supplicio, & multorum dedecore: qui cum ad nostrorum aras confugerent, raptorem perpulimus vt statim appulso in Brasiliam nauigio, eandem sibi necteret vxorem, quod vbi confectum, nauis è portu soluit: hac videlicet indigebat aura. Trecenti aurei ex pijs hominibus corrasi ad Virginis cuiusdam dotem: ipsa interim pudicitiam sub Monialium septo tutatur, donec amplitudo dotis cum generis claritate congruat. Duo Clerici mulieres voluptatis incitamenta abs se segregarunt: quorum alter, cum per annos octo conscientiæ vellicationem nihili faceret, audita nostri concione, se illi tradidit imbuendum. Alter assiduis multorum, & Episcopi hortationibus contemptis, nostri tantùm vocibus fuit audiens. Vir antiqua gente perillustris mortis vicinitate deterritus, licet multos sanguinis propinquitate nexos in aliis religionibus agnosceret, nostros sibi morienti adesse postulauit: Quorum munitus consilio, triginta mille aureos pauperibus, & tenuioris census propinquis elargitus, mira quiete animam efflauit: inuisentibus identidem inculcans, soli Societati posse quemque tuto salutem animi concredere. Egressus socius è Collegio, in hominem forte irruit, qui sibi venenum propinauerat, quem verbo increpitum, præsentibus deinde medicaminibus recreauit ab ea pe-

Digitized by Google

ſte, quæ iam ſæuierat in præcordijs: poſtero die peccatorum etiam veneno illius animum exhauſit. Viri primarij Curatorem, fur clandeſtinus clauſi furtifica, ſubductis vaſis pluribus expilabat, quæ præter grauiſſimam fidei iacturam, è ſuo peculio ſoluere tenebatur; ſed noſtro interprete effectum, ne miſeri hominis fides, & latronis conſcientia labaſceret: nam cunctis reſtitutis præſtructæ viæ, ne ad ſimiles inſidias pateret aditus. Concinnata etiam velamina holoſerica, & Damaſcena, quæ cæleſti repoſitorio conferunt venuſtatem. Ibidem Euchariſtiæ cultus iacebat adeo, vt quidam è populi turma in Sodalitij principem deſignatus, ſuam premi crederet dignitatem, ſi plateas ad ſtipem cogendam perreptaret: Nobili Dynaſtæ perſuaſum, vt grandior eiuſdem filius, tam facultatum, quam pietatis hæres illi oneri, atque honori præficeretur: qui nunc pecunias vndequaque ad Sodalitij ſumptus oblatas ſedulo perquirit. Imo quod mireris amplius, vterque obſignato ſyngrapho, ſuos ad idem munus capeſſendum, poſteros obſtrinxit. Exigua populi corona Euchariſtiam tegebat, cum ad ægros deportaretur; nunc audito ſigno, nemo non negotia abrumpit. In Xenodochio ægroti arcta rerum difficultate vrgebantur, nec è lecto poteſtas erat ſacrum audiendi; duceni aurei congeſti ad damnum vtrumque depellendum.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM CONIMBRICENSE,

IN hoc Collegio maximum Libitina quæstum fecit, nam ex eo nou[illegible] ad communem locum abiere: quos inter grauior Patrum duorum secessus. Imprimis obijt P. Ludouicus Crucius, vir præter singularem religionis prærogatiuam, expromptо & versatili, ad omnia in quæ se verteret, ingenio; natũ diceres ad id vnũ, quodcumque ageret. Musas venustiores æuo florente coluit, per annos duodecim Rhetoricam professus, ea linguæ volubilitate, vt in Latinam quã vernaculam pronior, fræno potius, quã calcaribus indigeret. Quicumque tota in Lusitania, paratis ob scientiam fruitur honoribus, in Crucij schola ferulæ se manum subduxisse gloriatur. Cum iam in ætatis, diuinarum literarum & concionum palæstra spectatus satis, & rude donandus videretur, se antiquo iterum per duos annos Rhetoricæ ludo includit, difficili plane, & iuuenibus etiã laborioso. Ligata ipsius in psalmos periphrasis, omnium teritur manibus: Comædiarum, & tragædiarum opus, excussoria nunc premitur officina. Extremum ipse ætatis actum lecto, & podagræ molestijs addictus, tragicè confecit: & incommodam penitus senectutem, ne quouis otio tepesceret, fusis ad Deum frequenter precibus, & multorum epigrammatum confectione sedulus exercuit: quæ illius auditores curabimus, vt à blattarum & tinearum epulis asserantur. Illius mors vniuersos ordinos grauissimè vulnerauit, vt singulari beneuolentiã

Digitized by Google

deuinxerat. Cæleſtium etiam impleuit numerum P. Heronymus Carualius, per annos viginti quinque ſpiritualium rerum in eo Collegio præfectus, & omnium ad virtutem pædagogus: qui rigidæ ſectator diſciplinę, illius ſeueritatę vno & perpetuo vitæ tenore ductam, ad extremũ produxit anhelitum. Illius ad Socie[illegible] acceſſus inſtar habuit miraculi. Cum Tago aduerſo præternauigaret, vento nimio grauidi velorum ſinus, cymbam ad naufragium impulerunt, qua tempeſtatis inuerſa impetu, cum omnes & ipſius parens hiantibus fluctuum vorticibus truderentur, ſolus in ſumma carinà ſe diuina ope locari ſenſit incolumem; indè Societatem tanquam tutiſſimam tabulam complexus, accepti beneficij magnitudinem vitæ intaminatæ pretio reſoluit. In eo nullum orationis ſtudio antiquius, cui ſubductis cautè rationibus ſex minimum horas, in dies ſingulos conferebat, ea corporis ac manuum intenſione, vt otioſos etiam & oſcitantes, ſua præſentia componeret. Corporis ſui capitalis ſemper vindex fuit, illud ternis conſtrictum cilicijs, bis quotidie, ter ſæpius, flagellis inſcribebat. Genua ſubmittebat centies: ſemotum ab arbitris amabat locum, ſcalarum gradibus ſuppoſitum, qua frequens eſt tyronum commeatus, vt eorum plantis ea ſaltem ratione tunderetur; In Beatiſſimæ Virginis cultum ſemper viſus eſt impenſior, ad cuius amorem (vt ſemper factitabat) cum è domeſticis vnum commoneret, Virginem dicebat non criminibus tantum veniam, ſed purgatoriis etiam flammis contractiores pœnas deprecari: idque ſibi ab eadem dictum aſtruebat; quod verbum etſi imprudenti excidit, qui aderat prudens adnotauit

adnotauit. De eodem genere plura subnecterem, ni breuitas epistolæ aurem velleret. Tantus quantus fuit, modestia fuit delibatus. Paupertatem matre, semper habuit priorem in extrema illius linea constitutus: Externus vestitus reliquijs tantum accommodus, internus omnino inutilis; quadam illius parte centones nonaginta numerabãtur, quos manu propria curiosè farciebat: Calceos gerebat multis è præsegminibus conflatos, & ne detererentur, clauis minutioribus præferratos: aliquando maximas fratri retulit gratias, qui sibi laceros & situ putres à sutore exorauit. Animorum saluti nemo magis sedulus excubabat. Bacchante non multos ante annos pestilentia, vt in illam se immergeret, ad correptos tabe homines confessionibus leuandos extorsit, oblata superiori syngrapha, quam propria demissio, & diuinus amor sua conflarunt officina: ibi enim singillatim superioris vitiæ conscripsit errata. Denique vt multa compendio absoluam, pauca in antiquis heroum legeres annalibus, quę in illo desiderares. Vitæ terminum multò ante præfinierat, illius enim scriptum lectitauimus, quo testabatur, sibi vitæ quindecim supereſſe annos: & alibi sibi tum temporis quinquagenario, decem annorum tantum protendi inducias; quod verum fuisse vaticinium res ostendit, cum sexagenarius obierit, & paucis ante mortem diebus, nullo adhuc tentatus morbo, sibi lethum instare propediem asseruit. Filiorum multitudo, quos religionis lacte innutrierat, profusis vbertim in illius manus, & sepulturam lacrymis, sunt testati, illius à se auulsi memoriam, non eodem quo cadauer, tumulo continendam. Obijt etiam emeritis

Digitized by Google

tis Theologiæ ſtipendijs Emanuel Gondiçaluus poſt duodecim exactos in Societate annos, confirmata virtute iuuenis, & nulli earum rerum affinis, quas ſecum infert adoleſcentia. Totidem nobis commodauerant annos Coſmus Oliuerius, & Gaſpar Georgius è Coadiutorum centurijs, quorum prior vnum è noſtris peſte infectum medicamentis fouit, & ſublatum humeris ſepultura donauit, vitamque poſtea eidem contagioni obtulit, vt ægrotantibus ſuppetias impenderet. Ioannes Baptiſta, & Antonius Diazius pertinaci febre confecti, & diuturna patientia clari, vitam morte mutarunt. Quibus comes additus vnus è tyronibus Petrus Fonſeca, cæleſte donatiuum, vt credimus, accepit. Feliciori aliquantulum fuit ſorte Thomas Pererius, quem ipſa die, qua depoſito tyrocinio, votorum ſe vinculis Societati illigauit, tenax oppreſſit valetudo, nec multo poſt exultantem lætitia conſumpſit. Eleemoſynam ſæpe ad carcerem noſtri, reiectis pallijs, & lebetibus onuſti detulere, mirantibus ciuibus & academia, noſtros ſordida hęc ambire munia. Data in theatrum Tragicocomædia, de inſigni D. Paulini liberalitate, tantus fuit agentiũ lepor, tanta venuſtas, vt nihil ſupra. Illud ſpectatores miraculo aſcripſere. Cum diem perpetuum ſudo, & placido cælo vſi eſſemus, vbi chorus vltimus pedem theatro extulit, tanta ex improuiſo horruit tempeſtas, vt adſtantes domum large madidi, lautique redierint. Impeditæ duorumcædes. Duobus obtenta venia, quos ſuus quemque frater acriter accuſabant, & in furcam adigere nitebantur. Qui laqueo gulam frangere meditabatur, cum ſceleribus, hanc ſimul amentiam ablegauit. Quandam

in

Digitized by Google

in domum velut in flagitij ſtabulum, ad famam multorum diſcerpendam, plurimi coibant, quem manipulũ ſacerdos noſter, à Sodale monitus, diſiecit. Ex hoc Collegio milites velut ex equo Troiano emiſſi, Conimbricenſem, Viſenſẽ, Lamacenſem, Braccharenſem, Eborenſem, Igæditanam, & Tudenſem in Gallæcia diœceſes quadrageſimali labore percurrerunt.

A Monte Maiori impuri quidam hiſtriones, adoleſcentum illebræ, & pernities exacti, quod alibi quoque factum. In oppido quodam rixæ grauiores quinque tranquillatæ: quas inter, inueterata ab annis viginti, duarum ſororum concertatio, & fratrum diſſidium: quorum alter, præter duodecim annorum litem luculentum alteri vulnus indiderat, cuius hic obſtinate ſemper ſpiritualem defugit medicinam. Non tam lac lacti ſimile, quam par ſuperiori, duorum iuuenum diſceptatio. Feminam affinitate attiguam in publica platea ligno quidam male multauit, & luxatis membris reliquit exanimem; quæ odium ita pertinaciter imbiberat, vt omnium voces, & conſilia reſpueret: illud tamen publice expuit, noſtri ſupplicationibus exorata. Puneti, præter cetera, illud memoria dignum accidit. Duos iuuenes ſe in platea, intentis ad exitium mucronibus, impetentes, diſpulit interuentu ſuo ille forte præcurrens Catechiſmi apparatus; quo in templum coacto, alter gladio incumbens oſtium obſeruabat, & ingredienti aduerſario, minas iuratas obiectans extremũ certamen, in Catechiſmi finem indixit: ſed in tantùm feruor ille noſtri ſermonibus intepuit, vt quæſitum oculis hoſtem in tanta frequentia depreſſis genibus fuerit amplexatus. Oppidum

eſt

Digitized by Google

est in agro Orichiensi cui nomen à Diuo Iacobo, hic in vxoris pectus, cuius maritus ab æmulis venabulo fuerat confixus, petitiones illæ, ac vulnera alte descenderant, quin possent diuturnitate temporis coire: præsertim cum miseriâ cumularet trium infantium orbitas, quam non poterat pro dignitate consolari alimentis. Sæpe precibus, sæpe pactionibus tentata, dolori tantum cedebat. Hanc nostro, post absolutam de Christi tormentis concionem, constanter aggresso, videre fuit nobile inter humanum dolorem, & Christianam pietatem spectaculum. Nam licet animo consternata mulier, & oppleto lacrymis vultu, ostenderet illa recordatione crudescere cicatricem, illam generosè obduxit, nullum relinquens pecuniæ locum, cuius magnitudine ad alendos pueros inuitabatur; cum nollet tanti meriti gloriam lucri sordibus contaminare. Cum adolescente egit, ne accepti vulneris iniuriam: cum fratre, ne cæsi fratris vindictam exequeretur. Vir factiosus, equo & hasta correptis, in aduersarij villam aduolauit, vt eundem per summam crudelitatem vita abiudicaret, sed irrito ob illius absentiam conatu. Moram concessit noster, vt dies feruentem leniret ægritudinem, qua lentiore hominem permouit, vt pedes & supplex velut amicum inquireret, in quem antea furebat eques.

TVDENSIS ciuitas in finibus Gallæciæ, cum nostri instituti ignoratione laboraret, primum hæsitabat, quo nostros lætos redderet stipendio: sed commonita Societatis esse quæstum, quam maximè omnium seruire commodis, in locis etiam quibus se posset auctius infarcire,

in

in tantam impulsa est admirationem, vt Episcopus post duos pueros, Doctorum stemmatis nobilitatos, Societatem mirifice collaudauerit, quæ ex puerili ætate incocta plerumque & intempestiua, non flores tantum carpat, sed etiam fructus. Ipse cum ciuibus, in forum se inuehebat, vt Catechismi præceptiones exaudiret: cuius agmen vnus è nostris præibat tintinnabulo, alter vexillo sublato claudebat. Eodem ritu lustrati mercatus, qui confluxu maximo in vtriusque regni finibus exercentur. Quodam in oppido institores, in templo merces exponebant; sed electi à nostris, licet principio quæstus cum honestate atrociter depugnaret: quod si regrederentur, tabella obsignata promisit magistratus, eos se nexo à funiculis flagello expulsurum. Vacationum tempore, ad impertiendas indulgentiarum diuitias Societati in quadriennium à Pontifice concessas, sacerdotes vndecim æstuosa anni parte, animis feruidiores excessere. Duo bis millenos de peccatis audierunt: qui à Lamacensi Præsule acciti, eundem & familiam, illo beneficio publice communicarunt: ijdem ab Episcopo Visensi Ioanne à Bragantia, ad nobile Monialium cœnobium Ferrariam euocati, quod oppidum paterni Marchionatus caput fuit; vbi gliscentes inter senos discordias oppresserunt. Abrantij (nobile est oppidum Tago imminens) duo, horas plerumque decem, sæpe duodecim, vni loco per mensem affixi ad confessiones, nullo noctem à luce discrimine separabant. Catechismum, ne interdiu à suo penso laborantes homines auerterentur, prima nocte in foro multis funalibus collu-

collucente explicabant, ad quem pupillorum cætus albicanti veste insignis confluebat, sub vexillo à nostro sacerdote, ibidem nuper in hûc vsum instituto. Trancosium profectus alter, in agro, qui latissima planitie expatians, sacra D. Bartholomæo luce, mercatum excipit totius Hispanię celebrem multitudine, è loco edito habuit concionem. Circumfusa corona præter omnes ordines, Visensem Episcopum, & regium castrorum metatorem complectebatur, qui sub finem prætensis dextera virginis Rosariis, cælo gratius edidere spectaculum, quam cum olim locus idem deprælianti ossibus fuit obtectus. Vrbane dixit postea Visensis præsul, posse propolas nostro homini diem dicere, quod tunc tepescente mercium commutandarum feruore, deteriora ipsis redderentur vectigalia Quidam falso impositam sibi ab altero labem, illius cruore abstergere inhiabat, nec dubium quin perficeret, vt erat ferox viribus, atque animo indomito, nisi hic de cuius vita pæne actum erat, nostrum sibi precatorem pararet, qui irritatum iniuria animum perdomefecit: cumque tum fumaret prandium, curatum vt simul accumberent, & acceptas iniurias in vino scriberent.

Homini, cuius malæ colaphus in templo hæserat, vindictæ acerbitas cor extimulabat; quam nostro hortante sic concoxit, vt nullum foras eruperit vestigium. Inflicta alteri in foro alapa, litiũ, & sanguinis campus fuit, iam enim è propinquis duo gladiis se inscripserant. Vtrosque noster conuenit; sed is quem alapæ indignitas mordebat, tempus longius poposcit ad pactionis rationes colligendas; Tandem acceptis centum & octo-

ginta

Digitized by Google

ginta aureis ad vulnerum, & sumptuum in lite leuationem, quieuere; quos hic tumultus distractos abripuerat. Vt inimicitiarum tenacius est persequens genus feminarum, quædam vitali calore iam penè exhausta, cum magno adstantium mœrore, vultum alio detorsit, ne posset mulierem obtueri, quę ad petendam veniam supplex accedebat; Quandam tamen tunc Deus à mortis legibus auertit, vt noster deuotum tartaro animum, in cœlum conuerteret: quæ licet refractaria ceruice iugum decuteret, ad extremum fuit emollita. In domesticam consuetudinem vir & vxor permoti, quos conuenire nunquam posse, clamabat multorum annorum à secessione diuturnitas. Bini à carcere exempti, quos aduersariorum perfidiæ, & fallaciæ falsis criminationibus diuexabant. Trecentæ censitæ confessiones, quibus vita vniuersa percurrebatur, in his multi sexagenariam, & septuagenariam peccatorum sarcinam, in diuinæ misericordiæ pelagus exonerarũt. Duo alij Sacerdotes aliquot Auerienſis Ducis oppida circumiere. In quoddam, velut in arcem ab omni aditu præruptam, odia profugerant, & principum munita vigilijs, omnes externas copias excludebant. Quinquaginta è primoribus gladiatorio se vbique animo adoriebantur. Sed assiduis nostrorum pluteis & substructionibus difficulter concussi, & tandem expugnati; in templo ad mutuos complexus ruebant: toto deinde oppido in pompæ speciem circumlati, vxores ad fenestras grato spectaculo acciuere, quæ gratulationibus, & faustis acclamationibus, nostrorum aures tot laudum pertæsas cumulabant. In his pacificati quatuor iuuenes, è quibus bini æneis se fistulis plumbo

plumbo, & puluere tormentario fartis, iam inuaſerant, & diuina penitus ope euaſere: Bini in eandem proni vindictę illecebram voluebantur, quamcumque viam ad mutuam internecionē ſagaciſſimè odorantes. Alibi quidpiam in pacem contulere, neutiquam ſupprimendum. Poſtquam femina Clerico longum aſſueuit, eodem infamiæ liuore iunctam honeſto iure mulierem iniuſtè fœdauit, in quam à marito ſanguine erat vindicandum, niDeus mature innocentiam detegeret. Huius tamen conſanguinei, famæ detrimento perculſi, ex his, quibus vita auro eſt venalis, ſicarios aliquot ſubmiſere, qui illius interceptæ vultum cutè nudarent, & corpus vniuerſum fruſtillatim diriperent. At noſtri deuotos gladios ab eiſdem extorſere, mulierem cogentes, vt publica venię in templo petitione, obligatam cædi vitam redimeret. Cum eadē poſtea concluſum, vt coloniā mutaret, ne cum æternus ſit contumeliæ aculeus, aduerſarijs vlcera crudeſcerent. Auerij Magiſtratus, Villæ-Regalis Marchio, & Illuſtriſſima ipſius ſoror, contentè à P. Rectore temporis exegere prorogationem, cum longiſſimum etiam populi deſiderijs videretur perexiguum. Quinque millia aureorum mala fide parta, in verorum dominorum familiam ſunt reducta. Octingenti cuidā reſtituti. Eradicatæ ſiniſtræ de religioſis hominibus exiſtimationes, & ijdem largè eleemoſynis adiuti.

Collegio inſitum eſt tyrocinium, in quod annuo delectu inſcripti triginta nouem, qui antiquiorum iuncti numero, ſexagenarium ſuperarunt. Cum per dies aliquot peregrinantur, auguſtiores corpore verſant animos. Fuit qui muto eorum aſpectu, ad religionem capeſcendam, non inani

Digitized by Google

ani cupiditate inardesceret. Alter sextum iam annum in peccatorum luto hæsitans, eorum surrexit adminiculo. Eremita, quem solitudinis satiet ceperat, firmatus vt propositi constantiam sectaretur. In nobili oppido quidquid ostiatim contraxere, gratante populo, victorum addixere necessitatibus. Cibi penuria premuntur aliquando, nunquam opprimuntur Deo cuarente; duos fermè dies gustauerant nihil, fixoque poplite orationi se tradebant, cum liberales accessere viri qui accessu tacitò, plures dapes obiecere. Ex ijs terni binos domuere, qui à quinque annis dissidentes, sex litigia persequebantur. In virum illacrymabilis ingenij alicubi incurrere, qui matris suæ interfectorem, eadem luce pernici insectatus fuerat indagatione, quin potuerit comprehendere, hunc amentatis lacrymarum reliis sunt aggressi. Qui potest fieri, dicebat, vt cum eo reueniam in gratiam, qui iracundiam, quam in me uon potuit, in matrem innocuam fœdis quinque vulneribus effudit? At fieri potuit reddidere tyrenes, vt Christi corpus quinque esset hiatibus patefactum, quin vel leuiter vllo intinctum esset flagitio: illius ergo sis æmulator animi, assecla patientiæ. Nil magis proficiebant, quam surdo si narrarent fabulam. Omnia tamen labori cedunt. Diu cum eodem conflictati, molli guttatim lacryma toties animum pulsauere, donec excauarunt. Veniam tandem concessit, & sorores geminas quæ furiato adhuc perstabant animo, suo ad pacem vocauit exemplo. Huiusmodi factis impulsi oppidani, concionatorem nostrum à P. Rectore votis omnibus contenderunt. Alio in oppido ob falsi criminis insimulati-

Digitized by Google

onem alia dissensio trudebat aliam; res ad trium tyronum aures aduolauit, hi scelerum artifices adiere, sed cum obseptæ odio essent aures, precum & lacrymarum largi, quatiebantur foras. Tyrones ergo, ne victor diabolus insultaret, Catechismum præ illorum foribus conduxere, ibique ter, magnis adstantium, puerorum præcipue clamoribus, diuinam in obstinatos homines misericordiam sunt imprecati: Quibus vocibus, vt tormentis bellicis, in angustum adeo oppidum eorum copias concluserē, vt perterrefacti dederint manus ad pacificationem. Missa facio plura, ne ex longa, longiorem concinnem huius Collegij tractationem.

COLLEGIVM EBORENSE.

VICENI bini ad nostrum accessere numerum, quibus se inseruit sexagenarius sacerdos adultæ auctoritatis & nominis in concionando; qui licet sub ætatis noctem accesserit, æqua primis nititur stipendia promereri. Regale Collegium, quod à Virginis Purificatione mutuatur nomen, ad fastigium euectum, viginti quinque alit conuictores, quibus educandis, reditus olim præstiti à Rege Henrico. Vir B. Virgini admodum obsequiosus, elabi nullum sinebat diem, quin eiusdem templum inuiseret: Ad illud viam intendit aliquando lethali crimine obligatus, sed ecce subitaria dolorum incursione misere colliditur, seque autumat in tartari, ac mortis fenestras præcipitem volutari, sic tentabat

Digitized by Google

tabat hominem retundere materna castigatione, Virgo altrix misericordiæ. Lugere miser, pallere, trepidare, animum excutere, cum subito delicti conscientia reputantem perculit; hinc illas extillari sensit lacrymas, hinc illam dolorum contorsionem. Voto fidem Virgini alligat, à se peccati grauitatem emungendam, si feruor ille extingueretur. Factum dicto fuit citius; in ipso articulo dolor abscessit, nostroque idem templo successit; mox ad Virginis ædem, qua solebat quiete, gradum alacris promouit. Nostrorum labor finitimis est ob quæstum minium gratiosus. Vir turbulentus multorum tranquillitatem seditionibus turbauerat, qui ex concione sic indoluit, vt in forum monstrante pœnitentia se coniecerit; vbi ex loco sublimiore impetrabilem veniam exposcens, fuit omnibus miraculo; & maiori postea, cum publica ictus contumelia, non gladium, vt solebat, sed Christianæ taciturnitatis clypeum prætendit. In rixa tumultuaria, insontem hominem vita deuoluit aduersarius, ea celeritate, vt confitendis criminibus locus non fuerit. Magnum propinqui vindictæ ardorem animis conceperant, & primam nostri hominis congressionem confirmate eluserant, qui orbitatem filiorum homicidæ perpendēs, nihilo segnior redditus, aduersum oppugnationi pectus iterum obiecit, donec tandem in illius leges perpulsi, largam pecuniam, qua inescabantur, neglexere; ne quisquam apud eos, nostri orationem auro diceret posteriorem. Aliquis è Misericordiæ Sodalitio, in eiusdem opere, quod remittendas docet iniurias, se minime exercebat, sic enim à tribus annis odio indulgebat, vt neque Sodalitij

dalitij principem, nec virum alterum è limine salutaret, sed nostro connitente, in arctiorem coniunctionem, & intima vtriusque conclauia est immissus.

MAGNVM erat in Transtagano solo oppidum, odiorum feraciſſimum, eo cultu difficilius, quod capita iam corruperat ægritudo. Nam Ecclesiasticos duas in partes sejunctos, pertinax odium obarmauerat; suum quæque tegebat ducem, & altera à tribus annis templi ingressum ignorabat, ne in alteram saltem oculis incurreret. Profugi ergo, & palantes, nostrorum sedulitate in templum primo illati, firmam iniere amicitiæ rationem; qui factionis erant principes, diffusis in publico amplexu lacrymis, odiorum labes exemerunt, & communi subscriptione noxis omnibus addita impunitas, ne in posterum ad malitiam illa pateret ianua.

QVIDAM plateam forte percursans, intorto desuper in caput saxo, horrenda penitus maceratione est contusus, & lapidem secum traduxit domum, vt ab ea silice plures eliceret odij scintillas, illudque filijs doloris esset fomentum, & vindictæ incitamentum. Ad quem noster crebro se ferens, ipsum & propinquos ita semper saxeos inuenit, vt crederet in lapidem eorum præcordia obriguisse. Neque enim cælestes ipsos si descenderent, illud posse odium auellere, impij vociferabantur. Omnia tamen frangit assiduitas, toties noster saxum illud voluit, donec odium simul cum illo expressit, memorabili victoria. Debitor abiuratos iam apud iudicem centum aureos, nostri suasione reddidit creditori, & à iudice impetratum, vt periurij punitio tegeretur dissimulatione. Concubinam à

suo

Digitized by Google

suo contubernio is demisit, quem per tres annos nec Prælatorum monita, nec denegatus sacramentorum vsus potuit coercere.

LONGA firmatum erat consuetudine, vt Misericordiæ Sodales, quinta sanctioris hebdomadæ feria, lauto & dapsili exciperentur epulo, quo labor ex nocturna pompæ circumductione contractus leuaretur, peracto iam ferè ieiunio. Præfectũ noster inuenit opinione duriorem, dum verebatur, ne sibi possent ab æmulis auaritiæ, & parci ingenij probra obiectari; sed noster omnium sodalium animos tanta dexteritate pertentauit, vt vltro illius se dederint arbitrio, & præfectus Christi exemplo pauperibus duodecim pedes abstersit.

FÆCVNDVS etiam fuit Catechismus, amplo à pueris fructu percepto, maxime in abolenda perperam iurantium consuetudine. Admonitus à puero vir grandæuus, insignem alapam eidem incussit, quam hic virili animo lætus extulit, vt Christianæ notam patientiæ. Clementiori genio natus fuit alter, quem humana lapsum procliuitate, corripuit infans, deprecatus vt se potius colapho redderet insignitum: iam manum ponderabat, iam colaphum librabat vir feruidus iracundia, cum in tutiorem mentem coniectus: Quin tu, ait o puer famosam mihi impinge alapam, quando hac dignum arguis increpatione. Superiores vnius comitas antecessit, qui pueri sic fuit audiens castigationi, vt aperto capite, & detecto vultu, puerilis dextræ crepitum expectauerit. Illud sit verbis postremum, quod re primum fuit. Quidam vt ætate, sic iurandi prouectus consuetudine, nostrorum congressu,

Digitized by Google

& cohortationibus eandem videbatur exuisse. Difficile tamen auelluntur, quæ temporis diuturnitas infixit. Iræ aliquando fumo obcæcatus, magistris moribus linguam tradidit quam tamen in cursu medio repressit: tum dispulsa jam caligine dum illetabili se constrictum assuetudine perpendit, in lacrymas dissolui, pugnis caput tundere, vultum colaphis aggerere, barbam vellere indignabundus, seque vt indignum sole, in conclaue tenebricosum abducere. Itane, inquit, truncus es, ita plumbeus, vt tibi semper idem fueris, sic venenum hauseris, vt tuis videatur innatum præcordijs? in eodem luto hæsitans, ad idem semper te receperis ingenium? te miseris, vt es dignus, tractabo modis. flagella corripit, verberibus in se animaduertit, quorum acerbitate concidit exanimis, & acrius de se ipso, sibi redditus, sumeret supplicium, nisi essent flagra è manibus extorta.

COLLEGIVM PORTVENSE.

PRIMVM vertentis anni diem aperuit, ad superos euolans P. Antonius Petreius laborioſi ingenij confessarius: qui carceres, nosocomium, egenos, & aduenas suam in Prouinciam asciuerat, quam nulla non hebdomada percurrebat. Nocturnis se confessionibus ita deuouerat, vt tunc solum in ipsum caderet indignatio, cum alius è lecto exciretur, è quo ipse vix dū monitus se velocissimè abripiebat. Morti fuit, nimia ex labore lassitudo; sub illam asseruit, nullo animum stimulo fodicari; & Christi passio, vt sibi legere-

tur

Digitized by Google

mr expoſcens, in eadem placidiſſimè obdormiuit. Cum perceptus eſt in vrbe campani æris ſonus funebris, innumeri ad Collegium mortales confertim accurrerunt, & in templo edidere doloris ſignificationes; his, quas Oliſipone recenſuimus, nullatenus inferiores. Vbi fama eadem delata eſt Braccharam, cuius culturæ diu fuit intentus, veberes multis lacrymas, & vlulatus ſuppeditauit. Ægrotabat quidam ex morbo æque, ac libidine, eum hoſter edocuit, vt morbum ſi vellet, extruderet ilicò concubinam; quam vt eiecit, morbus ſubitò elanguit. En paulò poſt ſus ad idem regreditur volutabrum, ſed non impunè; nam veteris morbi pertinacia eidem tenacius infigitur, cuius fomitem hoſter iterum oſtendit ſubminiſtrari a flagitijs; vt ad mentis ſanitatem hominem redegit, corporis deleta eſt penitus ægrotatio, non citra miraculi ſimilitudinem. Alius per annos multos confeſſionem intermiſit, & grauiſſimo oppreſſus morbo, vitam potius ſtatuit, quam crimina deponere. Sanctiſſimæ tamen Virgini votum nuncupauit, ſe reſtituta valetudine, apud nos tentaturum animi curationem. Voti compos ad noſtrum Collegium ſe conferebat, ſed pudor præpoſterus ter eundem retruſit, & ab incepto itinere deflexit, donec tandem ſacro Virgini die ſuum vicit animum, & ſimul cum criminibus vmbratilem illum à ſe terrorem ſegregauit. Pater diuino timore ſeptus perfugam è monaſterio filium, & duos annos oberrantem efflictim lugebat, neumque precibus, ac miſſę ſacrificijs deliniebat, vt illum ab exitiabili diuerticulo reuocaret. In viam redijt, ſed qualem pater nolletristi confectus macie, miſera oppletus ęgrirudine, de corpore

conclamatum, de solo animo quidquam sperandũ. Precibus adegit nostros pater, vt cœnobij Prælatos ad conciliationem perducerent, qui diuulsam, & direptam à lupis ouem, suo iterum gregi annumerantes, extinctam propediem religioso funere extulerunt, cum celebri parentis, & omnium bonorum, quos ille casus turbauerat, gratulatione. His insui potest alterius factum, qui vxori bis venenum frustra propinauit, cumque parum prospere succederet, aliud violentius iusserat condiri; cuius animum noster alio condiuit iure, nam ad confessionem prius, deinde transtulit ad pacis pharmaca amiciora. Quidam mulierem diuturno habuerat pellicatu, quam (vt Veneris initia solent in martem immigrare) grauiter postea vulneribus admutilauit: Ocyus subuenere nostri, & corpori simul atque animo medentes, in charitatis sedulæ admirationem multos conciuerunt. Cruenta duorum fratrum rixa, & persimilis inter alios ob lethale vulnus concertatio, nostro consilio deferbuit. Extinctę seditionum flammæ in Magistratuum causa, quibus nisi opportunum remedium aduigilaret, vniuersa flagaret Ciuitas. Cum enim eo ventum esset periculi, vt dicta iam sententia, aliqui primates magistratu essent exuendi; curatum à nobis, ne tanta iniuria eorum animi irritarentur; cum victurum semper esset in pectoribus quod præsens casus inureret: itaque primum factum, tentauit mutare nemo. Denique ciuibus & Episcopo grata est nostrorum opera; Hic vellet vt decisiuo suffragio parochorum approbationem clauderemus, in quo tamen nec latum vnguem à nostri instituti ratione secedimus. Casuum schola varijs quondam turbata concionibus,

Digitized by Google

nibus, multos nunc excipit auditores.

COLLEGIVM BRACHARENSE.

BRACCHARAM mors tetigit Patrum duorum raptu, qui spiritualium coadiutorum gradu continebantur. Ex eis P. Antonius Morerius triginta & sex annos, P. Emanuel à Couto quadraginta in Societate consumpsit : ad quorum vitam, si reliqui se confessarij componant, cęlo numerum, viuentibus sui augebunt desiderium. Decem ingenio, & indole florentes in Societatem assumpti. Vnius constantiam prodidit longa cũ propinquis conflictatio, quibus vt subcoluit, quod moliebatur iuuenis, nunc minis, nunc pollicitationibus versantes, illum reluctantem ad patriam transtulerunt. Hic tamen cuius animo Societas insederat, fuga se abripiens ad nos transuolauit, testatus in ea pugna scutum abijcere sibi fore pulchrum, effugere in primis glorioſum.

VIRGO nobilis cum inclementius, quam par erat, haberetur à parente, illius domum deseruit, in quam iterum redijt; actumque cum parente vt liberali, & propitio deinceps in illam vteretur animo. Magna vis pecuniæ à falsis dominis restituta. Centenos vicenos aureos quidam : ducenos quinquagenos alius : ter centum, & octoginta tertius reddidit, cum tabulis quas apud se asseruari abiurabat.

CONIVGES pacati : in amiciorem animum se collegit vxor, quæ tanto mariti tædio nauseabat

bat', vt diceret malle se Acherontem, quam illius domum incolere. Cum gymnasijs summam Collegio affigamus manum: numero florent, & diligentia, hi præcipue, qui sub Virginis patrocinio merentur stipendia.

COLLEGIVM BRIGANTINVM.

BACCHANTES in vrbe morbos nostri quo potuere studio placauerunt, nunc distributis eleemosynis, nunc Confessionibus. Omnes extremæ ducunt felicitatis, sui morientis lectum à nostris hominibus obsideri. Illud esto communis beneuolentiæ argumentum. Cum in concione dicacior quidam nostrum institutũ dentatis verbis carperet, auditorum in se concitauit iraeundiã, qui in eundem exarsere irritatis crabronibus sæuiores; nostrumque ordinem tot extulere laudibus, vt pudor scribenti submittat frænos. Virginis sodales prælucent omnibus. In Carechismo non Elementares tantum pueri, sed casuum etiam auditores honori ducunt, de Christianis rudimentis dissertare. Adolescens sibi ex generis claritate, & propinquorum multitudine nimium arrogans, cum alio ferebat iocos, iurgijs deinde, ac fustibus irritauit. Huius consanguineos commouit dolor, & odijs æque, ac telis instruxit. De vita actum foret, nisi nostrorum monita, ad alterius pedes supplicem iniuriarum autorem demitterent. Parem sortita fuit exitum, trium fratrum in partiendis paternis hereditatibus dimicatio, nam duo maiorem natu verbis & gladijs concidentes,

Digitized by Google

dentes, ad noſtrum Collegium vt aſylum profugere: atrociorem vero cauſam parabat, quod læſus ille inter magiſtratus cenſebatur, ſeque ad iudicem ferebat recta: tum Noſter eleganti fabrica illius impetum compreſſit, illi ſe præſtans obuium, & rixæ quodammodo ignarum, furori primum indulſit, poſtremo ad concordiam illexit.

COLLEGIVM ANGRENSE.

AD inferiores inſulas Fayalem, Picum, & D. Georgij, facta à duobus ſacerdotibus expeditio; feſtiuis vbique cymbalis, & confertæ in globos multitudinis vocibus excipiebantur. Magiſtratus, & Miſericordiæ ſodales obuiam egreſſi, qui non poſſent noſtra ſubmiſſione inhiberi. Licet noſtrorum hoſpitium apud ſe multi ambirent, Miſericordiæ prælata eſt domus, in quam ſolam ab Anglicis prædonibus nihil præteritis annis ſæuitum fuerat. Vulgares confeſſiones bis millenas exceſſerunt, centum vitæ totius ſordes exhauſere.

PRÆFECTVS Inſulæ odium obliterauit, quo inſtigatus virum è Summatibus in vincula deuoluerat, quod ad belli prælufionem accitus, imperium detrectarit, & geminos illius filios acerba vexarit obtrectatione. Siluit noſtrorum auctoritate, tumultus certantium è Miſericordiæ fano hominem auellere, qui irruentem in ſe aduerſarium lethali ictu tranſuerberauit. Confeſſus vterque ſe flagitijs elauit. Hic vero, cui vulnus eſt inditū, intra tres dies, impunitate hoſti conceſſa, obiit, & vno tantum dolore diſtractus, quod conſan-

Digitized by Google

sanguinei multarum essent tragędiarum auctores.

FLORENTEM genere Virginem ludificatus adolescens, matrimonium abnuebat, nā facultates ampliores propinquorū illius inhiabat, quas obfirmata cunctatione tentabat aucupari; quin sæpe à nostris conuentus animū ad nuptias appelleret, aut ab insano amore diduceret. En nocte quadam ad explendā libidinē se volutans, in medio cursu, graui telluris motu concutitur, & horrendas sibi laruas, portentosaq; instare vidit terriculamenta, quę eundem domum repulere; vbi virium atq; animi labefactatio linguā multo tempore præligauit: post multū spatij anima redijt, sed non animus; Nam veterem in scelere conformitatem sectabatur; donec subactus omnino nostris vocibus, nuptias admisit, & integram recuperauit sanitatem.

MISSIO CAPITIS VIRIDIS.

INTER Insulas, quæ Athlanticum oceanum conserunt, antiquis notas per caliginem, illæ numerantur, quæ quartumdecimum gradum ab æquatore distant, Plinio dictæ Gorgades. Earum præcipua à Capite viridi nomē vsurpauit: Lusitanę ditioni paret, & totius Guineę commercijs nobile reddit emporiū. Rex Catholicus inde vberiora cęlo, quā sibi vectigalia reddi pręoptans, P. Nostro Generali pergratū sibi fore significauit, si aliquos è nostris illuc, ad curandū spiritualem Lusitanorum, & Incolarum quęstū transmitteret. Quatuor expediti, quos P. Baltazar Barrerius affectæ ætatis, sed non animi, quē multos annos sibi eommodum

modũ experta fuit ſedes Angolana. Quinto ſupra decimum die, poſtquam ſoluerunt Oliſipone, in eam Inſulam appulere, tanta ſemper vſi tranquillitate, vt nec vela leniter inflectere minima turbatio ſubegerit. Inſigni omnium, in plauſum ac lætitiam, conſenſu excepti, ſolidam in primis voluptatem Prętori Regio obiecere, qui noſtris liberaliſſimum, & congruentem cum generis claritudine, animum, exporrexit. Aliquam tamen ſubſtructionẽ dęmon excogitauit, qua gaudium publicum contaminaret. Nam præterquam quod Oliſipone in nauigij poſſeſſorem ſe tot hoſtes expromperẽt, vt peſſum daretur penitus, niſi noſtrorum vigilantia obſtitiſſet: in portu ipſo non multum abfuimus à naufragio. Sub veſperum ſubitò, imbribus, ventiſque ſæuientibus, tempeſtas ingruit, quę ſic deinde turbinibus mare incitauit, vt afflictum ad cautes nauigium, è continenti Guinea recens aduectum, mira celeritate deuorauerit. Mox ex octonis quę in portu alligabantur, infertum mercibus Myoparonem, vehemens concuſſio vadis alliſit; alijque fallentibus anchoris, qua ventus impellebat, agebantur. Celeriter noſtri ſe in terram exonerarunt, mirumque fuit celocem fluctibus nõ opprimi, quod multos tetigit infortunium. Ergo illi myoparones noſtrorum nauigio incumbentes, illud tribus anchorarijs funibus, roſtro, ac rudentibus euerterunt, & cautibus adeò propinquum applicuere, vt ſpe caduca, nautæ ſibi in terra perfugium quæſiuerint. Etſi ſpectaculi fœditas noſtrorum animos commoueret, ab ſpe tamen minimè deturbauit, quippe qui tenerent, Sanctorum oſſibus, quę in nauigio deportabant, illius commiſſum eſſe gubernaculum, nec falſo fuere animo:

mo: Ex ipsis scopulis erumpens fluctue decumanus, nauigium in placidam transmouit stationem, quo miraculo in spem inducti nautæ, in ipso tempore subuenere. Hunc dolorem excepit alius. Adolescens nostrorum socius, maceratũ infausta ligni contusione caput è naui extulit; sed Deo annuente salutem cum terra simul vidit, quæ benigna est & clemens admodum, capitis vulneribus. Indictus est in primam diem dominicam Catechismus, ad quem incredibili alacritate, omnes confluxere. Festo symphoniacorum, & tibicinum concentu decursa fuit ciuitas, Prætore, ac Prouisore, qui vicem Episcopi fungitur, comitantibus. Tanto reddebantur omnes gaudio delibuti, vt nihil vererentur magis, quam ne regionis facies nostris non probaretur. Dies alius locandis sanctorum Reliquiis præfixus; Magistratus omnem instruere apparatum, quem Lusitanæ vrbes, antiquo more, in maiori sacrosanctę Eucharistiæ solemnitate præferunt: plateæ odoribus, aulæis, ac tapetibus ridere: ciuitas personare cantibus, cymbalis, & tormentorum reboatu; infinita vndique multitudo glomerari. Nunquã tot ibi mortales simul visos affirmatur. Cum in Misericordiæ templum pompa coacta esset, ilico dimitti multitudinem oportuit, ne tumultuario concursu obruerentur; qui certatim ad oscula Relliquijs imprimenda anhelabant. In nos adoleuit amplius beneuolentia, postquam è concione monuimus, vt nobis ad suam æque, ac seruitiorum salutem vterentur. Nunc de Regione carptim aliquot delibabo. Insula decem atque octo leucas in longitudinem porrigitur, latitudo in nouenas funditur. Sterilis & confragosus è mari prospectus videbatur; asse-

tunt

Digitized by Google

runt tamẽ indigenę nil posse fingi amœnius, postquam tellurem pluuiæ irrigarint; quarum initium mense Iulio, quo nostri sunt illò delati. Amœnitatis index fuit vicinum flumen, multis arboribus vtraque ripa vestitum, quod potest cum gratissimo totius Lusitaniæ contendere. Graue cælum quondam fuit, sed redditum mitius, postquam perflare cæperunt fauonij; gleba ditissima sacchari, dactylorum, palmarum, & eorum fructuum, qui vel in America, vel in Europa laudatissime proueniunt. Vilissima est rerum omnium annona: Vitulus simplici aureo, bos duplici ad summum constat. Gallinæ syluestres ac domesticæ, putescunt multitudine. In Guineam transuolare quamprimum nostri maturabant, ni callentes locorum homines dicerent, eos conatus celerem mortem accersere, si vellent immigrare, priusquam imbrium rigor mitesceret; quo silente, se conferent ad explorandam regionem, & Regum barbarorum mores perdomandos, eorum maximè, qui Montes incolunt à Leænæ nomine appellatos: hi enim cum adhuc Mahometana peste non sint infecti, cutis nigredinem, vt auguramur, candido Euangelij colore dealbabunt.

PROVINCIA TOLETANA.

VERSANTVR in hac Prouincia Socij sexdecim supra quingentos, in sedes duodeuiginti distributi; è quo numero Sacerdotes sunt cen-

Digitized by Google

centum nonaginta tres; Litterarum ſtudioſi ſeptuaginta nouem; rerum domeſticarum curatores vndecim ſupra ducentos; Nouitij triginta tres. Domus Profeſſa vna, Collegia duodecim, Domus Probationis duæ, Reſidentiæ tres. In Domo Profeſſorum Toletana, ſunt è noſtris quadraginta. In Collegio Complutenſi, ſeptuaginta ſex. In Mantuano ſeu Madritenſi, quinquaginta ſex. In Murciano, ſeptuaginta. In Optenſi, vnus & viginti. In Belmontenſi, ſeptemdecim. In Carauacenſi, viginti tres. In Placentino, duobus plus. In Seguritano, ſexdecim. In Conchenſi, vndecim. In Ocanienſi, quindecim. In Toletano, ſeptẽ. In Oropeſano, quadraginta. In Domo probationis Villaregienſi, viginti tres. In Mantuana, quadraginta duo. In Reſidentijs IESV Montani, & Naualcarnerenſi, quę pertinent ad Collegium Complutenſe, vtrobique ſex. In Almagrenſi, octo. Admiſſi in Societatem vndeuiginti; obierunt vndecim.

DOMVS PROFESSA TOLETANA.

MVLTA eſt Sacramentorum frequentia domi, eaque cum multo fructu. Catecheſes, & Xenodochia obita. Doctrina Chriſtiana plurimo puerorum agmine celebratur, & poſt eam exhortatio ad grandiores, multa cum ædificatione totius vrbis. Excurſiones quoque factæ ad Vicinos populos, tum ipſorum poſtulatu, tum vero Illuſtriſſimi Cardinalis Archiepiſcopi, qui ſuas eleemoſynas noſtrorum, qui mittuntur, manibus diſtribui vult. Ad tria præcipue oppida ſeptembri menſe

se duo de nostris destinati, multa peregerunt difficilia; in his graues inimicitię sedatę inter populi viros Principes, à quibus, diuersis inter se litibus excitatis, non iam de pecunia solùm, sed etiam de capite agebatur. Itaque nostrorum suasu lites & odia deposita, quin etiam se mutuò amplexi & osculati sunt, gratia reconciliata, & familiaritas, tanta cum populi admiratione, vt passim dictitarent, nihil iam esse dæmoni negotij Membrillę, id nomen est loci, nisi nouam de integro telam ordiatur. Homicidæ prętera duo, qui decem iam annos vagabantur, impetrata per nostros ab aduersaria parte venia, ad sua rediere.

COLLEGIVM COMPLVTENSE.

COMPLVTENSE Collegium in externis Scholaribus, ad omnem doctrinam instituendis, & ad omne officium excitandis, cum magno studio, & fructu laborauit, vt solet: carceribus item, & nosocomijs cibum, libertatem, solatium de more prouidit: omnino nihil ex antiqua proximos iuuandi contentione, superioribus annis perscripta, remisit. Ceterum ingens accepit vulnus, sibi cum tota Societate commune, Patris Gabrielis Vazquez obitum immaturum. Singularem eius viri doctrinã cum veris, ac solidis virturibus coniunctam, nouerunt Roma & Hispania, quę docentem & disputantem eximio concursu exceperunt; scripta vero nunc auidè euoluunt, multò plura, nisi mors impediisset, habituræ. Eam Pater obijt extremo Septembri, acri dolore sto-

Digitized by Google

machi confectus, dum in villa IESV montani moraretur. Complutum delato, supremum officium ritu solemni persolutum est, cum magno etiam externorum dolore, qui frequentes ex Vniuersitate, & alijs religiosis familijs aderant, viri probitatem & eruditionem prædicantes.

COLLEGIVM MANTVANVM.

QVAMQVAM post regalis curiæ migrationem magna hic est in templis ceteris, & cœnobiis solitudo, in nostro tamen egregia semper fuit frequentia, præsertim nobilium, qui plurimi ad nos confessionis Sacramento expiandi, & salubribus monitis instruendi ventitant. Laicorum Sodalitas superiori anno instituta creuit ad sexcentos. Hi octauo quoque die confessionis, quinto decimo Eucharistiæ Sacramentis sese muniunt. Dominicis diebus vesperi audiunt conciunculam. Quibus exercitationibus quantum & ipsi, & ipsorum exemplo alij contineantur in officio, Prætoris dictum egregiè demonstrat. Rogatus enim, quid ita, de tam paucis nunc supplicium sumeret? (ex reorum suppliciis pauperes in carcerem detrusi aluntur) Vt, inquit, Societas IESV Sodalitatem istam fundauit, nullum est supplicium, quippe nullum est maleficium. Videtur sanè diuino consilio instituta eo tempore, quo ob Regis discessum, plebs in eximia erat inopia, afflictione, & solitudine, in multaque flagitia lapsura videbatur, nisi his rationibus fuisset detenta: quæ vt ipsi prædicant, omnem laboris & miseriæ

mo-

Digitized by Google

memoriam tollunt.

ARGENTEI ad quatuor mille eleemosynæ nomine donati. His & vestes sacræ, & luculenta Crux ex argento, maximo altari ornando, sunt coëmptæ. Sacerdotes duo, totidem Coadiutores obierunt. Aprili medio Pater Antonius Martinez ex oppido Quintanar, annos quatuor & triginta natus, vir magno virtutum omnium feruore, pœnitentiæ inprimis, qua vel ob leuissimas noxas, acriter in se ipsum sæuiebat. Iuuandis pauperibus qui in nosocomio, aut carcere detinentur, strenuam aliquot annos operam nauauit; eamque maximè capite damnatis, quos morum sanctitate & vi verborum, qua multum valebat, ad scelerum detestationem, & supplicij patientiam egregiè conformabat. Post hunc discessit Pater Michael de Reyno, spiritualis coadiutor, è Carauaca, ætatis anno septimo & quadragesimo, & in docenda grammatica, cui muneri sese addixerat, totos viginti annos diligenter versatus. Raræ ac singulares in eo virtutes eminebant. Erat quippè in oratione assiduus, in Dei beneficiis memoria repetendis & æstimandis sedulus, eaque scripta in schedula gerebat suspensa collo. Castitatis vero adeo studiosus, vt constitutum apud se haberet, id quod re ipsa præstabat, nullius vnquam discipuli, pueriue caput manu demulcere, etiam ad honestum finem. Laboris & patiens & appetens, quo liberare ceteros cum magna alacritate contendebat. Perfecit has virtutes ardentissima erga proximos caritas, quorum salutem diu noctuque videbatur cogitare, ita multas rationes illos iuuandi à se inuentas superioribus assiduo suggerebat, tam felici euentu, vt initiũ à Deo fuisse manifesto

Digitized by Google

constaret. Testantur id tum alia eius consilia, tum laicorum sodalitium, de quo dixi, & Christianæ catecheseis explicatio. Hanc diu expetiuit, & in profligandis difficultatibus, quæ plurimæ obstabant, vehementer laborauit. Cumque de ea re deliberaretur, sacerdoti cuidã dixit. Hoc tibi, Pater, pro certo habe, nullum huic Collegio futurum fundatorem, donec catecheseim publice doceamus. Quæ verba non temere, sed Deo suggerente fusa (quidni hominẽ ea probitate, simplicitate, & modestia à Deo illa accepisse credamus?) rei probauit euentus. Nam, cum ab huius Collegij initijs quadraginta omnino fluxissent anni, nec quisquam se illi fundatorem præbuisset, tandem anno millesimo sexcentesimo, quo ipso, Patris Reyno suasione catecheseis publicè tradi cœpit; Augusta Imperatrix Maria Austriaca, testamento illud fundatricis nomine suscepit, & amplissimis redditibus ditauit. Virtures P. Reyno strenuè æmulatus est Franciscus de Moratalla, ex Hinicsta, coadiutor temporalis, quem medio Ianuario Deus transtulit ad meliorem vitam. Hic permultum proficiendi cupidus, sensus omnes ac motus, diuino instinctu in oratione, concione, aut Missa sibi iniectos, literis consignabat, quo illorum memoria sese ad officium diligenter, & accuratè implendum incitaret. Id autem duabus maximè rebus, humilitatis studio, & laboris amore contineri censebat. Hinc illa euius vox. Patientia & humilitas, vocationis gratiam comitantur: Qui coadiutor ab his inops, Dei familiaritatem quærit, tam amens est, quam qui alis destitutus volare in Cælum contendit. B. Parentem Ignatium egregia semper pietate coluit, vtque ad Societatem quam plu-

Digitized by Google

plurimos alliceret, diligenter operam dedit, sanè non irritam: multos enim eosque industrios, & consilio, & exemplo traxit. Claudat vita functorum numerum Ignatius de Roxas, cum in alijs domesticis muneribus, tum in ianitoris magna cum laude versatus; erat quippe in eo læta oris modestia, cum grauitate coniuncta, ex recta animi constitutione, & proximorum studio orta, quæ nos adeuntium animos conciliabat, ij singularem hominis virtutem, vrbanitate, & affabilitate, temperatam admirantes, diuinum aulicum vulgò appellabant. Ad mortem, ex vita in officio transacta, spem adeò certam Dei videndi concepit, vt lætitiæ plenus à confessario mandata, si quę haberet ad Cælum, peteret, à se videlicet, quod credimus, breui deferenda.

COLLEGIVM MVRCIANVM ET OCANIENSE.

PHILOSOPHIÆ curriculum absolutum est; minori quam fuerat inchoatum, scholarium frequentia, quòd pars maior se religioni addixerit. Duo ex ijs vehementer ad nostram Societatem aspirantes, cum aditum sibi in hac Prouincia intercluſum viderent, Hispalim alacres aduolarunt, vbi audierant à Procuratore Petuano scholasticos in Peru traijciendos in Societatem adscisi; adsciti, & magna ipsorum voluntate, ad Indos sunt profecti.

EXPEDITIONES multæ in adiacentes populos susceptæ; sed hæ micuerunt. Per Quadra-

gesimam, Villenæ vrbis rogatu; Sacerdotes duo illò sunt destinati, nec sine ingenti animorum fructu, & populi admiratione, beneuolentiaq; redierunt. In annum proximum iam ciuitas enixè illos ipsos expetit. Per aduentum alij duo Ziezam adierunt, &, vt verbo dicam, Societatis muneribus egregiè adiuuerunt. In reditu ad oppidum diuerterunt, in quo quidam, præ magna rei familiaris iactura, eo mœroris & furoris redactus erat, vt iam propemodum de suspendio cogitaret: hunc sacerdos noster conuenit, alloquitur, & Beati Iobi exemplo ad patientiam hortatur. Mentem homini ea verba reddiderunt. Nam proxima nocte sacerdotem quæsiuit, enixéque orauit, ne ante discederet, quam ipsius confessionem exciperet. Id quod cum magno pœnitentis gaudio, & aliorum bono exemplo, die altera factum est. Ciuitas aureos mille & quingentos, ad perficiendam gymnasia iam dudum inchoata, nobis donauit. Quos vt pluris æstimemus, facit tùm Senatorum omniù in eam rem consensus; & etiam eorum qui Societati parum fauent; tum tempus: quoniam hoc anno ciuitas, magnis sumptibus in publica ædificia factis, in magna erat difficultate numaria. Sacram supellectilem auxit vir vnus pius casula vna nigra, quæ quinquaginta aureis æstimatur: alius duabus, ex Damasceno candido; alius item duabus, ex aureâ tela viridi. Vnum & alterum templi sacellum elegantibus sacellis muniuimus, centum & viginti aureorum impensa, quos piorum liberalitas suppeditauit. Sic templo non parum decoris, & maiestatis accessit.

OCANII ad nostras conciones magni concursus hoc anno facti sunt, eosque vberrimus confessionum

Digitized by Google

num, & communionum fructus excepit, cum aliorũ, tum trium feminarum, quæ nostri concionatoris vocibus à meretricio quæstu abductæ, totius vitę flagitia facta confessione expiarunt. Duæ se religioni addixerũt, tertia rite nupsit. Alia mulier, cũ ęgestate, aut libidine solicitata, lupanar peteret, turpe lucrũ deinceps corpore quæstura, suggerente Deo, in ipso itinere, eius instituti fœditatẽ cœpit cogitare. Substitit; & consilio diligentius examinato, animi salutẽ corporis voluptati prętulit, Deumque audire maluit, quàm dæmonem, qui nigrę auis figuram indutus, circũ caput volitabat, & ad progrediendum enixè hortabatur. Ergo regreditur: & nostro sacerdoti rem narrat, confessionisque sacramento animum perpurgat: tum in statu commodò constituitur, in quo cum magna alacritate inseruit Deo.

COLLEGIVM OROPESANVM, ET CARAVACENSE.

MATHEMATICARVM prælectio superiori anno instituta viget. Nostri ob eximiam doctrinæ & pietatis opinionem, vel à longè remotis de dubijs conscientiæ consuluntur, omniumque votis plene satisfaciunt. Itum sæpe est cum magno operæ pretio ad vicina oppida, concionibus, & cathechismo excolenda, itineris sumptus suppeditante Oropesano Comite, ne alijs graues simus. Sacerdotes duo in quodam eius ditionis oppido, Quadragesimam totam morati, egregie cunctorum animos ad virtutem incita-

runt. Feminæ lethali morbo oppressæ vir è Societate apparuit, monens, vt vni è nostris confiteretur, æternamque à Domino salutem speraret; paruit illa, magnaque religione, vsque ad extremum spiritum B. P. Ignatium coluit: haud dubio indicio, salutare consilium ab eo profectum. Petrus Franciscus Exquex, scholaris, è Cæsaraguſta, diuturno hecticæ febris morbo, quem virili plane constantia tolerauerat, confectus, moritur vigesimo ætatis anno. Desperatus à Medicis illud subinde in ore habebat: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. S. Pater Ignati, ora pro me; sibique, si quando vox deficeret, à circunstantibus suggeri postulabat: instante iam morte, ex breui quiete, ceu somno ad se reuersus, præclarum, inquit, à Deo beneficium accepi. Sanè in perquam amœno prato, cæleſti harmonia sonante, Virginem pulcherrimæ formæ vidi, cuius me valde recreauit aspectus, & certa spe Dei continuo videndi erexit. Quibus in verbis animam efflauit. Diem obijt Pater Ioannes Baptista Martinez, coadiutor spiritualis formatus, in hoc Collegio totos viginti septem annos confessariũ egerat, raro cum exemplo, & ædificatione, adde etiam, fructu satis vberi, vt sua opinione miser, & inutilis, omnium existimatione vir plane sanctus haberetur. Cumque iam præ nimia senectute confessiones audire non posset, curabat saltem comitari eos Patres, qui domo exibant ad carceres, & Xenodochia, vt confessiones exciperent. Eius memoria, Carauacæ in benedictione est. Imago B. P. Ignatij in templo nostro proposita, populi deuotionem excitauit. Mulier parturiens, triumque dierum dolores

lores acerbos sustinens, eius inuocatu tandem peperit: Altera tactu imaginis eiusdem à grauissimis doloribus, & spasmo liberata: Altera precibus fusis impetrauit, vt filius perditis moribus resipisceret, cui neque minæ neque preces, neque alia adhibita remedia quidquam profuerant. Res mira prætereunda non est, quia ab vno ex nostris sacerdote cepit exordium. Pictor huic patri confiteri solitus, conductus est, vt in quodam oppido sacras imagines pingeret, in summo templi delubro proponendas. Prius tamen animum expiare confessione voluit: & noster sacerdos ei commendauit plurimum deuotionem erga Dei matrem, quam præsto esse dixit omnibus pie inuocantibus. Hæsere verba pectori, profectus pinxit. Absoluto que delubro, ad summam pecuniarum, quæ pacta fuerat, quinquaginta argentei desiderati sunt: Ille memor Beatæ Virginis dixit, se eam pecuniam libentissime condonare, ac remittere ob amorem matris Dei. Rediens Caraüacam in agro dormiturus recubuit, ibi enim illum nox occuparat: Repente sicarij aggressi vulnera viginti, quatuor infligunt, quatuor transfoderunt corpus, & in vno quarta ensis pars remansit infixa, vnum in capite accepit, vnde cranij rupti partes exciss sunt: pollex vnus, alijque duo digiti subneruati. Interea ille implorare Dei matrem, ob passionem filij, obsecrans id saltem, ne sine confessione moreretur. Pro mortuo igitur derelictus à sicarijs, surrexit, & vtut potuit, multo vulnere fere exanguis, reuertitur in oppidum dimidia fere leuca distans. In Xenodoxium ducitur frequenti multitudine stipatus, Deique matrem semper inuocans: Accedunt chirurgi, partem ensis

Digitized by Google

fis extrahunt, & ignari quid facerent, vulnera obligant ſtupa, & linteis, & reſina oblita. Poſtridie mane curaturi redeunt, illumque ſanum omnino, & integrum reperiunt, ita vt ſtatim è lecto ſurrexerit, nihil prorſus mali ſentiens. Nimirum Beata Virgo poteſt, quidquid vult, & reſtituit debita cum fœnore. Narrabat homo, ſe ea nocte vocem hanc audiſſe: eſto bono animo, iam ſanus factus es: vulnera quæ excepiſti, inſtar ſunt ſpineæ coronæ, vt in cælum conſcendas: atque ita viſum ſibi videre angelos coronam geſtantes. Habita res pro grandi miraculo, ne ſine fide poſteris referretur, publico teſtimonio munita & conſignata.

DOMVS PROBATIONIS MANTVANA.

OBIIT ex nouitijs Ioannes Lucas, coadiutor temporalis; ex oppido Hontoba, annos natus ſeptemdecim, iuuenis eo orationis ſtudio, vt in eam ſucceſſiue omnia tempora, à culinæ occupationibus, (cui cum magna humanitate & ſilentio inſeruiebat) libera, ſtudioſe poneret. Diuturno morbo vexatus, & iam morti proximus, videre ſibi viſus eſt Chriſtum Dominum, è cuius aſpectu vehementem dolorem peccatorum traxit, lacrymis & verbis abunde teſtatum. Tantum deinde gaudium animo concepit, vt eius indicem riſum, moribundus nunquam intermitteret. Cauſam lætitiæ rogatus, in triſtitia, inquit, ſunt hoc temporis articulo, qui Deum ſibi iratum habent; ego vero, quæ Dei eſt bonitas, cum nullius culpæ mihi conſcius ſim, quidni lætitia geſtiam?

Digitized by Google

ſtiam? dum ſolitis precibus moribundi animam noſtri Deo commendarent, ille validiore, & contentiore voce clamans, Ecce, ecce; quantum theſaurum, quantum theſaurum! ſpiritum Deo reddidit. Templi ædificatio, & cubiculorum, quę nouitijs nunc anguſtè habitantibus neceſſaria ſunt, vrgetur ſtrenue, nec longè abſunt à faſtigio.

RESIDENTIA ALMAGRENSIS.

NOBILIS quidam vir cum alijs vitijs, tum ludendi & peierandi conſuetudine deprauatus, vidit per ſomnium, ſe ad Dei tribunal rapi iudicandum, ibique grauitate obiectorum criminum vehementer premi, & æſtuare, ex iis vero anguſtijs auxilio & precibus cuiuſdã ex noſtris, qui imagini B. P. Ignatij erat perſimilis, ſe tandem liberari. Somno ſolutus rem cum Sacerdote noſtro communicat: cuius præcepto, monitionem diuinam illam fuiſſe ratus, totius vitæ flagitia ſacra confeſſione expiauit. Vix menſis præterierat, cum in grauem morbum incidit, exquo obiit ipſa die B. P. Ignatio ſacra, quem morte proximus diligenter inuocabat; & cum imagine Chriſti crucifixi eo amore & deuotione loquebatur, vt omnibus & admirationem, & certa ſalutis argumenta præberet. Oppidum Almagro proximum, quod noſtros votis omnibus exoptabat, ſinguli ſacerdotes (plures non permiſit eorum paucitas) ſingulis Quadrageſimæ hebdomadis adierunt, & egregium ex eo fructum reportarunt. Quippe audierunt permultos vitiuerſæ vitæ crimina nunquam

Digitized by Google

quam antea ritè expiata, confitentes. Sacerdos vnus, isque valetudinarius, vna hebdomada viginti, aut eo circiter eiusmodi confessiones excepit: ex quo ceterorum coniecturam facere licebit. Eodem in oppido, sacerdos noster constituit inter duodecim viros primarios Sodalitatem, cuius cura, & industria in Eucharistiæ cultu est; eam cum celebri pompa in publicum efferre, singuli mensibus singulis curant suis sumptibus; prosequitur plebs frequens cum accensis facibus, frequensque eo die est confessio, & Eucharistię perceptio. Præter quotidianas eleemosynas, quibus nostri in hoc Collegio aluntur, calix, & duæ casulæ ad sacra facienda donatæ sunt. Domestica etiam supellex nonparum aucta,

COLLEGIVM HVETENSE.

DOMESTICO sacello ornando, donata Beatæ Virginis imago, valore aureorum fere viginti. Insigne miraculum hic gestum est, quod quoniam B. P. N. Ignatij, & Beati Francisci Xauerij sanctitatem, & potentiam in dæmonia egregiè confirmat, pluribus exponam. Mulier leui ex causa irata filiæ, tribus illam dæmonijs deuouit, quæ præsto adfuere, & miseræ filiæ corpus occuparunt. Re post tertium mensem certis indicijs deprehensa, mulier ad Parochum Ecclesiæ Sancti Stephani, gratia eijciendorum dæmonum nobilem adducitur. Ille pro suo erga Societatem studio, in templo nostro pridie Non. Ianuarij, Principes tenebrarum aggressus est oppugnare;

gnare; ac Sanctorum reliquiis feminæ applicitis, dæmonium vehementer cruciauit, sed nulla vehementius, quam epistola Beati Patris Ignatij manu subscripta. Hanc manu cepit dæmonium, magna vi Exorcismorum coactum; repugnansque, & inuitum, dixit tandem illam esse Sancti Ignatij, quo nominando, dixit identidem, & gestibus demonstrauit, se angi, vri, & maiorem capere dolorem, quam explicare posset; Nec vero minorem statim cepit, cum ad eius & Beati Xauerij osculandas imagines, modis omnibus coactum est. Vrget Parochus, vt à femina discedat; illud tandem, multis verbis vltro, citroque habitis, promittit se mense integro exacto discessurum, fideiussoresque dat BB. Patres, eorumque meritis tam citam hanc discessionem adscribendam affirmat; adiungit tertium Beatum Antonium. His contentus Parochus, (nec enim post multam operam plus extorquere potuit) edicit dæmonio, vt totum eum mensem in minimo digito sinistri pedis feminæ moretur, & a reliquo corpore torquendo, & turbando omnino abstineat. Quieuit per has inducias mulier, vno excepto digitulo, quem dæmon male habebat; & peracto mense ad templum nostrum reducta est; ibique in magno omnium ordinum concursu, quem vitare frustra contendimus, salua & incolumis relicta à dæmonio fremente, & dictitante se fideiussorum merito & torqueri vehementer, & domo expelli. Tranquilla videbantur omnia, pacis hoste fugato, verum non multo post, mulier denuò exagitari, horrendis spectris turbari, & varijs technis ad

despe-

Digitized by Google

desperationem trahi cœpit; Commorantis dæmonij non obscura indicia. Veritas Exorcismorũ vi extorta, cognitumque est tria dæmonia à primo in mulierem immigrasse, ex ijs vnum Beati Patris Ignatij meritò electum; quippè Parochus cum vno tantum sermonem habebat, & vnam discessus tesseram de more postulauerat; manere duo altera, breui etiam exturbanda. Hoc illa ipsa dum faterentur, tremebant vehementer, & huc, illucque sese vertebant. Parocho tantæ turbationis causam interroganti, eam reddiderunt, quod inter maximum frigus, & ardentissimum calorem perpetuò versentur. Quo tandem, inquit, modo, cum corporis sitis expertia, qualitatibus istis cruciamini? Modũ, aiunt illa, nouit ipse, qui cruciat. Leuiora quædam mulieris peccata cum magna voluptate narrabant, enixeque contendebant à Parocho, vt potestatem illis faceret narrandi plura. Conflictiones alijs diebus cum dæmonijs habitas, vt breuitati consulam, prætereo, venio ad extremas. In magna populi frequentia, quæ ad nostrum templum confluxerat, quæsiuit à dæmonijs Parochus, quodnam eorum primum ex muliere pulsum fuisset, cuiusque virtute? Maximum, responderunt, nomine Barabbam ob Diui Ignatij merita fuisse pulsum; manere duo altera, quibus Beelzebub, & Sathanas nomina, meritis Diui Francisci Xauerij repellenda. Quid ita, rogat Parochus, viros hosce appellatis Diuos, qui nondum in diuorum numero sunt adscripti? Enimuero, aiunt illa, & Diui sunt, & cœlum tenent. Eos, quibus cœlestes honores nondum sunt decreti, vos minimè diuos appellatis, nos verò maximè. Id videlicet nobis Deus imperat, & sanctos

iuxta

Digitized by Google

iuxta ac se vult honorari. Instat ille, licetne vobis hos nominare, diuorum titulo prætermisso? Minimè, inquiunt; imo magna nobis erunt subeunda supplicia, si ipsos non appellemus Diuos, sunt etenim. Pergit Parochus vrgere, vt discedant, & discessionis, quam promittebant, fideiussores Sanctum Dominicum, & quemuis alium ex nostra Societate petere; annuunt, & cum Sancto Dominico, B. Stanislaum præbent, adolescentem illum Polonum, nobili loco natum, qui in domo Probationis Romana, cum magna sanctitatis opinione nouitius obijt, anno ætatis (quod dæmon nũc interrogatus affirmauit) octodecimo Post hæc iussus dæmon fideiussorum imagines, quæ aderant, cum reuerentia exosculari, ad B. P. Francisci Xauerij, quæ proxima erat, contendebat, cum subitò angi, & conturbari cœpit, perterritusque & obstupefactus, vultum, & colorem mutare, variare vocem, hærere, & cum altero colloquens, verba inter se parum apta, & cohærentia efferre. An ignoras id nobis iussisse Deum? Quid ita nos persequeris? Quid mali tibi à nobis est? Tu illam vel maximè ames, licet. O pereat mulier. Maiora nunquam subij tormenta. Tandé post ingentem conflictum, & cruciatum accessit ad imaginem, & manum osculatus est supplex, Rogatus quidnam rei vidisset, Sanctum Franciscum Xauerium respondit, qui huc descendit, meque grauiter obiurgauit, quod ab ista muliere non abirem; addidit, sancti vultum videre sibi non licuisse, sed solam vestem, qua præsenti Parocho erat similis. Nempe Parochus præter communem nostratium sacerdotum consuetudinem, tunicam gerit solutam, vt B. Xauerius vsitato Indorum

dorum more gessisse fertur. B. P. Ignatium a se non visum, at à dæmone, qui discesserat primus, in ipso discessu visum tunc temporis, cum vehementer infremuit. Post reuerentiam, & osculum imagini B. Francisci Xauerij exhibitum, ad B. P. Ignatij accessit, iracundiaque, & stomacho exardescens clamauit, Ah, tibi me sanctitate æquare potui. Tergiuersanti, & questibus, ac lamentis tempus trahenti, Parochus moram increpat; ille negat potestatem sibi factam osculi; qua facta, primum B. P. Ignatij, deinde B. Stanislai imaginem osculatus est. Magnam admirationē ea res cunctis mouit, præsertim Parocho, qui cū plus quàm duo millia dæmonum eiecisset, eiusmodi apparitionem, nunquam a se auditam affirmabat. Dæmon ipse, quasi noua quadam flamma adustus, & ingenti perculsus metu, multum ac sæpe orauit Parochum, curaret, ne sibi iterum ea visio contingeret, eam quippe se magnopere formidare. Feria tertia hebdomadæ sanctæ, qui dies præscriptus erat dæmoni ad discedendum, mulier ad templum nostrum adducitur, cruciatibus, & doloribus à dæmone acceptis, fere exanimata. Dæmon multo ferocior, & vehementior solito, furere, sæuire, mugire, fremensque clamitare; Hem Paroche, Paroche, vicissitudo rerum omnium est. Dispeream miser, & mea consilia pereant; pereat dies, qua creatus sum, pereat mulier, & mater, quæ ipsam peperit, pereat etiam male. Tantam istam ferocitatem, dæmon repente mitigatus posuit, supplexque, & demissus nemine iubente, ad imaginem B. Francisci Xauerij rectâ tetendit, gressu ipso apertè demonstrans, se omnino repugnantem magna quadam vi illò trahi, tum prostratus

stratus ad imaginem, illamque magno cum dolore, mulieris ore osculatus clamauit: Discedo, discedo, viderat nempe, (quod ipsemet Parochi iussu aperuit) B. Franciscum Xauerium in veste alba, pendente ex collo cruce, cælestibus quatuor faces ferentibus comitatum, sanctis Michaele, Gabriele, Angelo custode, diuoque Dominico. Tum ad populum conuersus, voce, manuque contenta, Moneo, inquit, vos omnes, qui adestis, & me præsentem intuemini, vt caueatis à maledicendo, vt nec canes, nec catos, nec quicquam omnino deuoueatis dæmoni; vt fugiatis peccata, ne ad pontem, ad castellum, ad puteum, ad abyssum, ad rotundam domum, ad ignem sulphureum tandem rapiamini. Tot enim sunt tormentorum genera, vt si alicui animæ ad superos inde remigrare liceret, nullus plane, qui rum ea vsus, & consuetudo foret, damnaretur. Optarem quidem potius mille annos iacere in inferno, quam de his vos monere, verum id mihi inuito imperatum est. Tum imagines aspiciens, Ecce, ecce vobis ambos, clamauit, iam, iam abimus, & absque cuiusquam imperio, propius imaginem B. Francisci Xauerij, ægre, & quasi per vim tractus accessit, eiusque manum osculatus, os ad terram applicuit, petijtque, vt (quod dæmoni molestissimum esse solet) ceruices sibi conculcarentur. Id dum fieret, & litaniæ, & Psalmi recitarentur, dæmon, velut in mortis agone constitutus sudabat, & angebatur, nostrorumque auxilium implorabat, quo malè moreretur, & citius abiret. Nec mora, lingua mulieris exerta obolum eiicit, consuetam fere abitionis notam, intortam aciculam præbuit alter, qui post hunc non minori cum angustia eru-

Digitized by Google

pit ex femina, lassitudine, & diuturnis molestijs confecta, auditnque priuata, quem tamen post dies octo, (sic dæmon fore prædixerat) recepit. Miraculi magnitudo fere quotquot aderant ad Dei, Diuorumque laudem excitauit, & à maledicendo deterruit. Aderant autem præter promiscuam turbam, ex familia sanctorum Dominici, & Francisci religiosi non pauci, Prætor ciuitatis cum nobilibus, & Clerici nonnulli. His gestis, ecce præter omnium opinionem, die ipso resurgenti Christo sacro, dæmones in domum veterem remigrant, mulierem corripiunt, & diuexant; confestim illa ad nos adducitur, & exorcismi adhibentur, quibus constrictus Barabbas, quem trium illorum maximum esse dixi, confitetur se atque illos, non quidem libentes, sed Diuorum iussu compulsos huc redire, vt cunctis testificentur, se meritis diui Ignatij (& eius imaginem tremens suspiciebat) diui Francisci Xauerij, & diui Stanislai fuisse exturbatos, nimirum, vt qui id prius non crediderant, nunc credant. Tunc ad imagines versus expauit, & mutato vultu, conturbatusque retrorsum cedebat instar fugientis, sed frustra, nam præsentia Diuorum compulsus, eorũ imagines velocissime petiit, & osculatus est: quippe qui affirmabat diuos Ignatium, & Xauerium eximio splendore circumfusos, adesse præsentes. Cuius rei & mulier fidem fecit, sui compos facta; nimirum dæmon tũc temporis (quod nonnunquã facere solebat) sua sponte illius caput liberum, sanumque reliquit, inferiora membra occupare contentus. Quærit Parochus, Maria nunquid vides noui? miratur illa ceteros non videre, quæ sint præoculis, &, En, inquit, lux, & claritas magna hucusque

Digitized by Google

que pertinet, & partem hanc templi (eandem plane designauerat dæmon) luculenter illustrat. Diuos præ nimio splendore satis perspicere non valeo, intro latent; qui fieri potest, vt vos illos non videatis? huc, huc quæso contendite, hinc eos licet videre, & flexis genibus: O diuos, o rem pulchram, clamabat, eiusmodique alia, simplici, & puro animo dicebat; quæ dæmon, eius capite rursus conscenso, confirmauit. Hac ratione feminæ in solatium, dæmoni in supplicium Sanctos monstrare voluit Deus. Secuta est confestim dæmonis concio, quam sibi à Deo imperatam dicebat, nec recusare licere, Eam cum magna contentione sic orsus est. Non feminam, sed inferni dæmonem Barabbam loquentem auditis, maiorem proculdubio fructum ex hac vna concione, quã ex omnibus quadragesima habitis capturi. Haud dubiũ, quando dæmon concionatur, quin mundo instet finis. Quid vtilitatis, quæso, ex sermone feria secunda proxima ad vos habito, cepistis? Quid de cogitationibus, de verbis, & operibus constitutum habetis? effluxit plane animis totus sermo. Num Christiani estis? sunt ne vobis animi? vbinam illi, in capite, aut in pedibus? quem fructum ex concionibus reportatis? qui illis auditis, statim ridetis: certe sic ridendo mouetis nobis risum. Mundus vbique gentium sui est similis. Quid boni confessione peccatorum, quid sumptione Eucharistiæ consecuti estis? Quid confert ornato, & constricto collo incedere? præstaret quidem alia ratione constringi; inanis est profecto fiducia vestra. Me ex cœli vertice ad barathrum deiecit peccatum, & vos vllum in terra locum tutum existimabitis? Eundum igitur vobis erit, nisi caue-

Digitized by Google

tis, cum inferis ſathanis ad ſulphur, ad ignem, ad pontem, ad caſtellum ad fluuium, ad rotundam domum. His dictis, quam primum recta ad B. P. Ignatij effigiem pergit. Rogatus, an aliquod ſui exitus ſignum daturus eſſet, neceſſarium id eſſe negauit; cum adeſſent ibi, qui præceptis exire compellerent. Ardens inde, & quaſi iam impatiens moræ, petit a quodam ſacerdote ex noſtris, vt pede collum feminæ ſubiectum premat; & ab exorciſta, vt exorciſmorum librum aſſumat, detque operam adiurationi ſedulam. Aduolat ſtatim, ſeque ad B. P. imaginis pedes ſternit, & collo ſacerdotis pedibus vltro ſubiecto, quod ſupererat concionis contexens, & iam pæne languenti ſpiritu dicens, Vbi vobis animi? rapiemus hinc altos, niſi caueatis, per aëra. Hæc ſecum quaſi admurmurans, & fremens, admoto ore ſolo, ad pedes Beati Patris diſceſſit. Remanſit ex eo mulier quieto animo, ore & vultu ſereno, atque hilari, repetens cum incredibili admiratione, & gaudio, quod viderat: quantus ſplendor, quam auguſta forma, quæ maieſtas, quæ ſuauitas in ore ſanctorum Patrum! ita vt ipſa narrantis ſimplicitas & admiratio, & teneret & caperet præſentes. Geſta ſunt hæc xij. Kal. Maias. Eodem die ſub noctem, idem, qui paulo ante dæmon feminam obſederat, corripuit iterum, deduxitque nihil ſentientem in templum ſancti Dominici, vbi eodem imperu cruciabat, agitabatque, quo in æde noſtra. Adeſt exorciſta, vrget, vt cauſam edat, cur eiectus redierit. Reſpondet ſe inuitum redire, coactum ſcilicet, eius imperio, cui reſiſtere fruſtra conetur. Quam ob cauſam, inſtat exorciſta? Vt repetam hic, inquit, quæ dixi in

Collegio

Digitized by Google

Collegio Societatis, quod virtute, & merito sancti Patris Ignatij, sancti Francisci Xauerij, sancti Staniſlai, sancti Dominici expulsi fuerimus; simul repetens eorum capita, quæ apud nos dixerat. Et adiecit, illud non esse alienum à votis, & pietate feminæ. Nam ipsa, inquit, à Deo id sibi concedi rogarat, vt coram simulachris Christi verberati, & crucifixi, quæ ibi religiosè colebantur, partem aliquam dolorum in corpore suo experiretur, quos Christus Dominus cæsus, crucifixusque pertulerat. Vt ergo hoc in loco feminam excruciem, huc etiam à Deo missus sum, quod vbi primum perago, discedo statim, neque sane invitus. Habebat prorsus ita res, vt diabolus retulit: femina enim, quod nulli ante illud tempus significarat, in die Paraſceues, cum deuotionis gratia illas imagines salutaret, petierat, sibi vt contingeret eo in loco aliquid pati eorum, quæ ipse pro nostra salute subijsset. Annuit Deus precibus, & agente dæmone talia pertulit, qualia supra in nostro templo passa fuerat. Flexis igitur genibus feminam longo spatio ad Christi signa diabolus deducit: velum, quo tegebantur, remouet: & cum illud religiosus quidam facere tentaret, prohibuit dicens, id suarum esse partium; atque ibi, cum ad Christum quasi præsentem hæc fremens dixisset, Si illam vult, habeat sibi: quid enim ego ipsam velim? Eodem loco illam habeo, quo illa me: monuit eos, qui aderant, vt in eo extremo conflictu feminam teneãt, accurrunt ex eo numero sex religiosi, quos ita iactabat versabatq; femina, alioqui debilis, & viribus longa tot laborum patientia iam exhaustis, vt si res esset minimi

Digitized by Google

aut ponderis, aut virtutis. Exceſſit tunc impurus ille ſpiritus. Remanſit ex eo certamine mulier valde defeſſa toto corpore, ſed maxime lacertis, per quos ab alijs apprehenſa, tantam vim ſæuientis diaboli ſubierat: alio tamen vultu, alio totius corporis habitu, ſine vllo aut dolore, aut ſtupore in auribus, facili totius corporis & vſu, & motu, perinde atque ſi nunquam infeſti dæmonis vires eſſet experta.

CETERA COLLEGIA.

E TALABRICENSI Collegio frequentes excurſiones fiunt in vicina oppida, vbi noſtri cum bono operæprecio, & concionantur, & audiunt confeſſiones. Quo in miniſterio enituit etiam Seguræ noſtrorum induſtria. In ceteris Collegijs non minori ſtudio, aut ſucceſſu, quam ſuperioribus annis, in iuuentute docenda, curandis omni remedio animis proximorum, & pauperie leuanda laboratum eſt. Idem dicendum de domo Probationis Villaregienſi, in qua ſacerdotes quinque tertiæ probationis annum egerunt.

PROVINCIA

Digitized by Google

PROVINCIA CASTELLANA.

EGERVNT in hac Prouincia Socij quinque & sexaginta supra quingentos, sedibus viginti quinque: ex illis Sacerdotes ducenti, triginta & octo; Scholastici vnus & nonaginta; Coadiutores septem supra ducentos; Nouitij viginti sex: ex his Domus Professa vna; Collegia viginti vnum; Residentiæ duæ; vnum & alterum Seminarium. In Domo Professa Vallisoletana septuaginta; In Collegio quinquaginta quinque; In Salmanticensi duobus plus; In Metimnensi triginta septem; In Villagarciensi & annexa Probationis domo, quinquaginta duo; In Bellimarensi tres; In Abulensi viginti vnus; In Numantino sedecim; In Lucroniensi duo supra viginti; In Segobiensi totidem; In Legionensi sexdecim; In Palentino quatuordecim; In Arcualensi quatuor & viginti; In Vergarensi nouem; In Pompeiopolitano triginta quinque; In Ouetensi viginti duo; ex quibus octo Nouitij; In Compostellano viginti septem; In Monfortensi tribus minus; In Montis Regalis septemdecim; In Nauiaflauiano seu Bilbaënsi numerus non exprimitur, forte quod recens inchoaretur; In S. Emetorij tredecim; In Residentia Azcoitana tres; In Tudelensi sex; In Anglorum Seminario Vallisoletano tredecim; In Hibernorum Salmanticensi quatuor. In Societatem ascripti triginta sex; extincti duodecim.

Digitized by Google

DOMVS PROFES. VALLISOLETANA.

VNvs ex ijs, qui domesticis officijs inseruiũt, ex hac vita, migrauit, vir miræ humilitatis & patientię, & in abiectissimis muneribus studio, & voluntate versatus. In cuius locũ duos bonæ spei adolescentes diuina bonitas Societati dedit. Sacri Circumcisioni Domini, Diuo Antonio, & Eucharistiæ dies, solenni ritu & pompa celebrati sunt. Nam ad templi amplitudinem & ornatum accessit, tum egregij concionatoris vox, Tydensis videlicet Episcopi, qui si vsquam, maximè eo tempore, eloquentiam & pietatem præ se tulit; tum etiam Lusitanorum studium, qui suum ac proprium, B. Antonium sibi vendicant; in cuius cultum ac venerationem, quantum opibus & religione valent, libentissime conferunt. Miles clarus genere, perduellionis reus arctissima custodia tenebatur; vigebant rei militaris vindices, admissumque facinus turpi & ignobili supplicio dignũ iudicabant. Ille iræ impotẽs ęgre depellebat obiectum, ac secum falsè, & inique agi frustra querebatur. Cùm verò ex mœrore, graui infirmitate afficeretur, essetque morti proximus, salutarem confessionis medicinam effrenato impetu respuebat. Qui eius curam gerebant, deficientibus corporis remedijs, tantum de sanitate animæ agitabant. Quare acciri iubent vnum de nostris: is vbi ad lectum accedit, fouet primum ægrotum, hortatur deinde, ne se in omnium miseriarum barathrum immergi patiatur: vnam esse, naufragis tabulam

Digitized by Google

tabulam relictam : ad eam opportunè confugiat, nemini, quantumuis flagitiosus fuerit atque impius, desperandum. His ille vocibus nec flecti, nec ab illo furore auocari potuit : quin etiam iactabat, quoniam innocenti bona existimatio esset ablata, supervacaneum esse salutem seu corporis seu animi quærere. Tum Pater quasi mentis oblitus corpus curat, sordidas syndones, & stragulá mundis, & delicatis mutat : quærit dapes lautiores, saccaro delibuta bellaria adhibet, consolatur hominem & in spem vocat : nõ illud supplicium, quod vehementer horrebat, esse expromendum. Dictu mirabile, dat ille extemplo benefactori suo manus, nec tenet erumpentes lacrymas, nec prę singultibus vocem emittit : orditur deinde voluntariam confessionem : quam cum ritè, ac deuotè feciſſet, tabellionem vocat, iubet vt in consilium ad iudices eat, hisque significet suo nomine, atque exigat, vti, quas pœnas à se repetituros audierat, quamprimum exequantur : se neque recusare, neque deprecari, imo dignissimum esse fateri, in qué atrociora supplicia decernerent. Pro tabellione pater mandata defert, nõ ea quæ acceperat, sed quæ ipse composuit, militẽ diuina misericordia commotũ ac mutatum fuisse ; quod & ipsis Iudicibus admirationi fuit : dolere miserã eius conditionem, qui tã festinanter ducatur ad mortẽ : proinde obtestari christianos viros, vr quo magis ille seipsum colligat, ac paret ; quatriduo saltem pœnam differant ; nec irrita fuit eius postulatio, nec inanis labor. Voti enim compos ad pœnitentiam redit : excipit eius longiorem confessionem : tum Eucharistia munit : ad extremum sãcro oleo linit, quibus ex

voluntate

Digitized by Google

voluntate confectis, ante diem quartum in lecto, miles pacatè, tranquilleque è vita discessit. Extat eius paulo ante obitum illa sententia: propterea se in hoc ærumnarum pelagus deuenisse, quod iniustã parenti suo litem intendisset eumque viribus & facultatibus simul priuasset. Vnus Mahometanæ superstitionis cultor, viro ingenuo quidem & illustri, sed tamen scelerato seruiebat; quẽ cum Dominus sępe de religione moneret, optaretque vt Catholicæ Ecclesiæ nomen daret, verborum efficaciam, vitæ prauæ extenuabat exemplo. Patri è nostro idem propositum suadenti libere respondebat; quî ipse eam legem coleret, quę tam impios homines ferret? Quare pater ad Dominũ mancipij conuersus, eũ hortatus est, vt mutatis corruptis moribus, vitam ageret Christiano homine dignam, tum fore vt seruus, nulla praui exempli opinione deterritus, flecteretur; nec mora, illius animi mutationem, mirabilis Mauri commotio est consecuta. Nam vt vidit Dominum mansuetum, benignum, & à veteri peccandi consuetudine abhorrentẽ, Christi disciplina satis edoctus, salutari aqua lustrari voluit. Mauri item alij aliquot ad fidem conuersi. In his feminę duæ, quarum altera erat annorum tredecim, altera natu grandior, vtraque vanis Maurorum ritibus addicta, eiusdem captiuitatis consortibus, nefariũ quotidie virus infundebant, & ne se miscerent Christianorum sacris, neue ab auita patriæ consuetudine discederent, persuadebant. Cum vero ætate minor, Zara nomine, periculosè decumberet, sæpiusque à pijs viris induceretur ad fidem, tantum aberat vt sanis eorum monitis acquiesceret, vt etiam in Deum, & eius religionem maledicta

dicta contorqueret; quin subito furore percita, arrepto gladio, quoquo modo potuit, lecto desilijt, & in abstrusas ædium partes, nemine conspiciente seceſſit: cum quæreretur, longo post interuallo inuenta est operi intenta, quod Zala vocant, vt eo præmisso, pectori gladium infigeret, sicque importunas Christianorum preces euitaret. Latebris educta, lecto restituitur, tantisperque quiescit: ante duas horas (erat dies Epiphaniæ sacer) increscente vi morbi conflictari cœpit: adsunt Medici, vitæ retinendæ spem facile abijciunt, deseruntque pertinacem. Dum agit animâ, quamuis intempesta nocte, accersitur Sacerdos e nostris: quo ingrediente, quasi arctissimo soluta somno inconditos, & inusitatos clamores edit, indicans velle se ad Christi fidem conuerti. Accedit Pater, eamque blandis, & amicis verbis consolatur, rogat vt quâ tandem diuinæ bonitatis inspiratione impulsa, mentem repente mutarit, vere & aperte commemoret. Tunc illa; cum vel extincta, vel prope mortua essem eximiæ pulchritudinis Virginem, quæ bellum infantem brachiis sustinebat, oculis conspexi: illa meo me nomine sic compellauit; Cole, Zara, amabo te, Christianorum legem, ego quod iuberet, me facturam, spopondi, vnum si exciperet Christianæ religionis cultum. Fac obsecro, aiebat Virgo, saltem infantis huius amore, in quo sita est tua salus, quod à te peto: tunc vel reuerentia vel metu perculsa, Faxo, inquam, O Virgo, quod iubes, tuæque voluntati morem geram: Et vocabere, inquit, Agneris nomine: Vt libet Domina inquam. Sic illa discessit. Ego autem summis à te precibus contendo, vt me Baptismi Sacramento digneris. Pater,

Digitized by Google

ter, etsi longiorem Catecheſis moram poſtulabat, tamẽ ratus id, quod videbatur, morti eſſe propinquam, quam primum potuit, fidei myſterijs imbuit, & per regenerationis lauacrum mundiorem animo, viribus valentiorem reddit. Sequenti enim luce medici, cum terræ mandatã credunt, inueniunt integram, nullo infirmitatis veſtigio: & in hunc vſque diem in ſuſcepta fidei confeſſione maximo ſociorum bono perſeuerat; nam illi Agnetis exemplo, ad fidem inducuntur. Anus vero, quæ à ſuſcipiendo Baptiſmo cæteros deterrebat, etiam eiuſdem ſuaſu, cum puero germano, Euangelicæ veritatis lumen aſpexit. Diſcedenti Patri occurrit Domini cuiuſdam famulus, qui vnum è mancipijs aſſeruit grauiſſima ægrotatione conflictari: adit noſter, & de Baptiſmi effectu, de Religionis præſtantia, de Agnetis conuerſione, cum eo ſermones miſcet; quibus ille recreatus, atque erectus Patrem interrogat, vtrum in Chriſtianæ legis profeſſione ſaluari poſſit, qui in Mahumetana turpiter, & flagitioſe vixiſſet? Hanc Pater quæſtionem, complureſque alias cum expedite, & commode expoſuiſſet, popoſcit ille baptiſmum. Ergo Catechiſmo, quatum vis morbi ferebat, inſtructus, corporis aſperſione, munditiam animi, nomen vero Ioannis comparauit; Cumque è ſuperioris vitę ſceleribus incredibilem dolorem caperet, reliquum ſequentis diei, in colloquijs de diuina Beatitudine ponit: quærit quibus eam ſubſidiis conſequi poſſit. Vnum proponitur Euchariſtiæ Sacramentum, cuius amore ſic incendi, & inflammari cœpit, vt ſtudioſiſſimè illud expetierit, ſeque affirmarit ab hoc ſæculo ingenti cum gaudio migraturum, ſi ſibi detur illo cæleſti pabulo

Digitized by Google

bulo refici. Datum itaque illi viribus iam deficientibus sacrum Viaticum, vltimaque vnctio agenti animam, incredibili ipsius lętitia, ac solatio, vim lacrymarum fundentibus, qui morienti aderant: Hic ille IESVM dulciter compellans, quem cruci affixum manu tenebat, vitam finiuit. Vix autem obierat, cum socius simili periculo ęgrotare dicebatur: ad quem Pater accelerans, felicem Ioannis exitum, Agnetis visa, vtriusque de sua salute spem diuinitus conceptam commemorauit. Quibus auditis ille, iam pridem se conuertendum fuisse aiebat, nisi vel metus, vel rubor, quem Sodales inijcerent, præpedijssent: nunc non esse consilium in re tanti momenti diutius hærere: proinde velle se ad Christianorum sacra confugere. Fouit Pater nascentem hominis pietatem, & quam citissime fidei mysterijs explicatis, rite illi Baptismum impertiuit, cæterisque Ecclesiæ præsidijs munitum, Creatori suo reddidit. Cum efferretur, ecce duos eiusdem sectæ idem morbus inuasit, quibus opportune consultum à nostris, qui illos non minori charitate, è tenebris in lucem vocarunt, & Sacramentis in Cælum direxerunt. Denique ante diem sextum reliqui simili ægritudine, neque dissimili religione affecti, diem suum obeunt. Quibus etiam nostri consilio, opera, doctrina semper adfuerunt; cum mancipiorum Dominus magnis suis sumptibus viuos curaret, mortuos, quasi filij essent, funebri pompa, ac missarum sacrificijs liberaliter prosequeretur. Si quæris tot funerum causam; victus, quem more patrio sibi ipsi condierant (venenum apud nos est) mortem corporibus, vitam mentibus attulit.

Templum

templum imaginibus ornatum, altera sanctissimæ Trinitatis, altera Beatissimi Patris N. Ignatij, vtraque affabrè picta. Aræ Virginis, annunciatæ tabernaculum expolitum, decoratumque vnius Sodalijs sumptu, quē ab heredibus fieri moriens imperauit. Vasis argenteis, vestibusque pretiosis donati, ampliores tamen diuitias à Magdalena de S. Hyeronimo, religiosa femina accepimus, singula videlicet Thebęorum,& Virginum vndecim millium capita ex his reliquijs, quas pia mulier ex Germania in hanc vrbem transtulit.

COLLEGIVM VALLISOLETANVM.

INSTITVTVM est clericorum Sodalitiū sub B.V.patrocinio: sacerdotes honesti plures cooptari; quorum pietas in nosocomijs lustrandis, reficiendis pauperibus,curandis, fouendisq; mirifice elucet.Neque solùm eorum industriā,ac laborem exhortatio Præfecti assidua excitat, sed ipsius Episcopi, qui sese protectorem præbuit, exempla corroborant. Rector,in Galliam peimum, deinde in Flandriam. Nobilis quidā Dynasta nimio luxu vitam turpē,effrenatè ducebat:hunc vxor assidua, & faceta cohortatione traducere ad melioré frugem, interdum etiam genua flectere & statas secum preces B.Virgini fundere compellebat.Nam in tanta morum corruptela, vna viri in Virginem pietas supererat.Statuerat enim,ingenuéque promiserat, nihil à se Dei Matris nomine exposcendum, quod non statim rite persolueret.Huius voti memor cum quodam die, circumfusa pauperum

Digitized by Google

rum corona hominem teneret, ac pro eius in Dei-param ſtudio eleemoſynam peteret, cum æra minuta non haberet in promptu, aureos centum ſexaginta amplius, quos diſtrahere ludo cogitabat, libens egenis obtulit. Pridie igitur eius diei, quem ſpiritus ſancti aduentus inflammauit, cum ad immane quoddam facinus perpetrandum, cum tribus famulis, graui ſalutis ſuæ diſcrimine prodiiſſet, vocis diuinæ ſono perterritus, ac ſtupefactus ſubſtitit, ac in famuli brachia repente decidit; erat vox illa, Quo pergis? Quid agis? Quod ad ſcelus te te effrenata iactat audacia? moriturũ te eſſe quamprimum non ſentis? exigendam à te vitæ rationem, confeſtim non vides? muta iſtam mentem, contractas animi ſordes elue, ac de placando Deo, quàm de laceſſendo diligentius cogita. Tum ille attonitus confeſſionem, confeſſionem inclamat: Confeſſarius aderat nullus. Ergo domũ reductus, & ex eo terrore non nihil recreatus, ſacerdotẽ accerſit è noſtris, totius vitæ maculas emundat, ac profuſis lacrymis quotidie diuinam ante aras miſericordiam implorat, addit mentis dolori voluntarios corporis cruciatus, & in frequentatione Sacramentorum; & in ſubleuandis pecunia pauperibus ardentior, ſeptimo tandem menſe in morbum recidit. Quo morbo, etſi Medicis, leuior videbatur, tamen ipſe ſibi ex humanarum rerum colluuione migrandum prædixit. Neque mors eum remorata eſt. Ante diem decimum ſeptimum cum ſuæ ſaluti ſerio & conſtanter conſuluiſſet, obijt, vniuerſa curia tanti viri exitum non admirante ſolum, ſed etiam inuidente.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM SALMATICENSE.

MISSIONES quatuor in pagos, & municipia factæ, copiosam animorum frugem pepererunt. Multis enim conscientiæ stimuli erūti: multi ab incitatis iniuriarum repetundarum cupiditatibus ad mansuetudinem, & beneuolentiā traducti: quidam superioris vitæ maculas abstergere, quidam causas scelerum inueteratas, atque inustas euellere mirum in modum impulsi. Quodque insatiabile paganorum studium ostendit, certatim nostri alijs atque aliis variorum litteris, & precibus inuitantur, ac nonnunquam præeunti cruce, effuso in eorum aduentu populo, recipiuntur. Quidam confitendi causa ad nostri sacerdotis pedes accideratur, quem cum peccatis soluere iustis de causis minime adduceretur, vt vellet, contendebat pœnitens; se neque rudem esse literarum, neque doctrinæ expertem, qui non intelligeret, nullum esse absolutionis negandæ congruentem rationem; proinde ne quid hæsitaret in re clara, neue vllum dubitationi locum relinqueret. Noster vero; se multo diligentius eius rei studium capessisse, quam illum qui mentis cęca libidine perstrictus miseram animi sui conditionem non videret; multo satius illi esse, si cum Publicano dolorem mente conciperet, firmissimumque propositum tum vitandæ ocasionis, tum etiam veniæ suppliciter deprecandæ. Quod cum ille in secessu fecisset, redijt ad medicū tanta vi lacrymarum, vt cohibere pro vbertate non posset;

Digitized by Google

set; aperuit denique latentis pectoris plagas & vlcera, quibus prudens & constans confessarius curationem salutarem adhibuit. Alius Virginis Monialis crebris colloquijs, mutuis donis, frequenti consuetudine ardebat, & tanquam maleficis artibus, carminibusque deinctus bacchabatur. Is nostri opera periculosam sane familiaritatem abegit, & quamuis multis deinde machinis appetitus est, in suscepto tamen vitæ consilio perseuerat.

COLLEGIVM METYMNENSE, VILLAGARCIENSE, ABVLENSE, NVMANTINVM, ET LVCRONIENSE.

PIA quædã matrona, nostris confiteri solita, ad fundandam recollectarũ Monialium ędẽ bona sua contulit, & earũ numero adscribi voluit. Eadẽ pro augendo librorum numero, sacraque supellectili, aureos centũ annuos huic collegio adscripsit.

VILLAGARCIÆ ad pristinas Collegij rationes, & redditus accessere terna drachmarum millia, ex fundatricis testamento, quę eam summã primum Xenodochio legauerat, ea tamen lege, vt tum demum ad Collegium veniret, cum Xenodochio aliunde esset totidem censibus satisfactũ.

ABVLÆ prædium Garozæ, quod tertio ab vrbe milliario distat, legante Domino in Collegij potestatẽ venit, quod amplius duobus aureorũ millibus censetur: & licet inpręsentia sit exiguę, maximę tamen imposterũ vtilitatis fore nõ dubitamus.

NVMANTIÆ Pater Franciscus de

Digitized by Google

Salcedo Collegij Rector, è vita discessit. Vir planè perfectus, & rerum spiritualium tractatione singularis. Cuius mors ciuitati vniuersæ luctum, nobis vero squalorem, ac desiderium attulit. Erat enim charus, & acceptus omnibus. Sed paulo ante obitum flammas extinxit imminentis incendij, quod totam vrbem, nisi mature prouideret funditus euerteret. Quippe non ille solum regendo Collegio, sed iuuandis proximis ardentissime omnium insudabat.

Lvcronii externorũ Sodaliũ conuentus, & institui, & celebrari cœptus hoc anno. Quo fit vt multi in nostras ædes veniant, quarum ne limen quidem vnquam attigerant, assuefactique nostrorum consuetudini, piisque sermonibus, vt & peccata expient, & spirituali cibo mentes reficiant, populo vehementer admirante, atque plaudente. Nobilis, ac primaria femina, quæ nostro in templo sacris interesse, & Eucharistiam frequenter sumere solebat; ex accidenti nescio quo, morbo laborare grauiter cœpit, accurrunt medici, domestici externique lectum circumeunt; omnes veterem ægrotationem rati, remedia corpori meditantur, de salute animi nihil cogitant. Sub idem tempus Pater Rector periclitantis ignarus feminę, Sacerdotem vocat eum, quo ipsa confessatio vtebatur, vrget, vt quamprimum, & quam celerrimè ad certum negocium pergat: ille, quamquam id negotij differri posse, & in alium diem reijci commodius putabat, tamen dicto audiens accelerat, casuque in eiusdem feminæ domum incidit, ingreditur, inuenit agentem animam, quærit num confiteri cupiat? annuit; perfectaque mentis reconciliatione extremum spiritum

Digitized by Google

tum reddit. Videlicet Deus vere clemens, vere misericors, non patitur in extremis deseri, qui anteactæ vitæ cursum in pijs operibus honestisque actionibus contriuêre. Nefarius quidam ac perditus miles, per decem continuos annos puellam nubilem, nuptamque in delitijs habebat, publico ciuitatis scandalo, summa coniugis iniuria, graui diuini numinis offensione: quam furijs agitatus atq; amens, in hortis suburbanis fracta ceruice, cum sericis vestibus, aureisque monilibus iacentem, iugulatamque reliquit. Quærit Prætor de cæde, autorem odoratur, militē comprehendi iubet; ille enim vnus erat, in quem admissi facinoris omnis suspicio caderet. Quare in vincula coniectus, & homicidij atque adulterij delatus, vtrumque confessus est: nec mora, damnatur capite, nullo vltimo vitæ certamine confirmatur à nostris. Mox in forum ad supplicium trahitur, cumque recte ad subeundam mortem animatus videretur, productusque esset in publicum, detracto velo, quo tortor oculorum eius aciem obstrinxerat, astantem sibi distracto gladio æmulum videt (is enim sese carnificem præbuerat militi, qui vxoris eius carnificinam fecerat) tremit, horret, conflictatur, clamat vinctus, sese dæmonem intueri expectantem animi exitum: vt ad inferos detrudat. Quod si Christiani essent, ne committerent, vt ipse sempiternis tenebris mandaretur; adsunt è nostris sex, pugnantque pro viribus, vt hominem Deo concilient, diuinæque voluntati conformem reddant; hortantur vt illud supplicij genus, sibi pro suis sceleribus iustum ac debitum, lubens volensque suscipiat. Tandem post laboriosam quatuor horarum nostrorum

Digitized by Google

contentionem, ille ter, quaterue ritè, ac deuote confessus, ab extinctæ vxoris viro obtruncatus est.

COLLEGIVM SEGOVIENSE, LEGIONENSE, ET AREVALENSE.

SEGOVIÆ crescit in dies pietate, ac numero, externorum congregatio. Conueniunt enim octauo quoque die ad conciones audiendas, à concioncionibus ad Xenodochia, in ijsque ægrotantium corporibus subsidio sunt, & mentes eorum oportuna consolatione fouent. Qui cum sepultura propter loci angustias carerent, non minori defatigatione, quam pietate locum effoderunt, qui multos ad annos satis sit ad omnia vita functorũ cadauera excipienda.

AREVALI, eo die, qui sacer est Diuo Lucæ scholę instauratæ, & egregia magistri oratione non modo vrbis Prætor, & Optimates, sed religionum etiam Præpositi excepti, & summa cum laude & approbatione dimissi. Rei sacræ casula serica colore rubeo, filo aureo, opere hyalino intertexta, à Vallensis Marchionis coniuge dono data, itemque palla vna; vtriusque pretium est, centum triginta aureorum. Alia matrona nobilis & diues, Abulensis opera, quatuor & sexaginta aureis nostræ Bibliothecæ coëmit: plures etiam libri ad sexaginta aureos ex censu, quem D. Franciſca Melendez, eam in rem Collegio applicuit, comparati sunt.

LEGIONE missi Valentiam (oppidũ est in Castella

tella opulentum ac frequens) duo ex noſtris, multorum animos exomologeſi purgarunt: multis pellices & ſcorta, multis odia, & inimicitias extorſerunt. Duo item alij, per alios pagos vtiliter & fructuoſe vagati, non exigua animorum emolumenta reportarunt. Quod ad res pertinet domeſticas, condonata à ceræ opifice quingentarum drachmarum ſumma, addita vndetricena ſupra quingentos quadrantium millia, Petri Canſeci Saldanenenſis Archidiaconi liberalitate. Præterea D. Franciſca de Touar femina æquè nobilis, ac pia, & de noſtra Societate ſæpe alias optimè merita, antipendium ſericũ albi coloris multo auro, & argento Sinarum artificio elaboratum, cuius in medio diuinum IESV nomen enitet, quod tribus drachmarum millibus æſtimatur, Collegio attribuit. Iſabella de Gueuara eiuſdem pietatis, ac Religionis æmula, crucem ex argento affabre factam, ad centum aureos dono dedit.

COLLEGIVM VERGARENSE, POMPEIOPOLITANVM, ET OVETENSE.

REI ſacræ cultus auctus caſulis ſericis tribus, duabuſque imaginibus, quarum altera B. P. noſtrum Ignatium, altera B. Virginis ſponſum refert. Doctor Olalde oppidi Curio bibliothecam, propriaſque veſtes, & ſcutata ducenta nobis teſtamento dedit, ad ſacræ ſupellectilis incrementum. Diſceſſit è vita vnus ex ijs, qui res domeſticas tractant, vir ſane religioſus ac pius.

Digitized by Google

TENVITATEM Pompeiopolitani Collegij iuuat Prouincia quę in collegarum victum quingentos aureos suppeditat; totidem fere D. Franciscus Iberus Archidiaconus Tabulensis, cui cum multa debeamus, maiorem in dies, & expressiorem suæ in nos liberalitatis significationem præbet.

OVETI Collegio pars Probationis adiuncta. Lectionis casuum conscientiæ, vtilitas tanta est, vt vir alias grauissimus, Ecclesiæ Quitensis Decanus, in ea Academia, cuius fundamenta nuper iacere incœpit, gymnasium nobis proprium assignarit; veritus ne si domi nostræ lectiones haberentur, studiosis adolescentibus publicæ Academiæ aulæ vacuæ, & inanes relinquerentur. Hic amplissimus Missionum campus; hic locus, vbi nostrorum, qui proximis consultum esse volunt, excurrat industria. Etenim regio aspera & inculta, tenui victu & crasso, crebris montibus, nulla fere planicie, perangustis vallibus, homines fert etiam incultos ac rudes, tanta rei Christianæ ignoratione, tantaque barbarie, vt nisi vultus agnoscerem, humanam exuisse naturam iudicares. Ad hæc exigua fructuum, frugumque perceptio, facit vt Parochi & rari, & imperiti sint, nihilque minus curent, quam animarum salutem; quin etiam templa caprarum & boum stabula faciant; aras, linea, vestesque sacras, situ, puluere conspergi; cadauera ab immundis suibus effodi, & discerpi patiantur; innumeraque in ministeriorum administratione sacrilegia commitant. Hanc vineam, quæ iam fere operarum inopia in siluam degenerauit, nostri colendam suscipiunt; sparsi ergo per horrentes saltus magnam eorum partem modo

tribus,

Digitized by Google

tribus, modo duobus mensibus cõmorati lustrarunt. Vniuersæ vitæ confessiones audiere quam plurimas, cum non pauci ad eos accederent, qui ne proprio sacerdoti animi latebras explicarent, peccata misere supprimebant, quorum nonnulli, ne ad extremum quidem vitæ perducti, adduci potuerunt, vt lethalia vulnera familiari medico, quem suspectum habebant, aperirent. Quos diuina misericordia pæne ab ipsis orci faucibus, ad immortalis vitæ pignora nostris intercessoribus vindicauit: eos enim adeunt summa cum fiducia, & ab iis se duci, informarique sinunt, nec acutis conscientiæ stimulis agitari ante desistunt, quam per nostrum sacerdotem pacati, & tranquilli esse videantur. Quædam matrimonia lege soluta, & nulla; salurari remedio vel à Pontifice, vel ab Episcopo procurato, arctiori vinculo restricta. Mulieri cuidã in adulterio deprehensæ, venia per nostrum sacerdotem impetrata à marito, qui de abscindendo eius capite atrociter cogitabat, iamque ambo iisdem ædibus amice, & benenole continentur. Inter duorum ordinum Præpositos grauis inimicitia, nec sine populi offensione suborta, cuius acerbitas vtriusque subditos in dies magis, ac magis stimulabat: doloriſque sui significationem, quauis arrepta occasione, dare non dubitabant, ea tamen nostri Patris prudentia, & authoritate sedata.

Digitized by Google

COLLEGIVM COMPOSTELLANVM.

ANNVS Iubilæi extraordinariam bene de multis merendi facultatem præbuit. Nam præter ſtatas, ſolemneſque noſtrorum occupationes, quibus ſeſe promouendo populo exercent, incidit inuſitatus peregrinorum numerus, qui vel voti, vel indulgentiæ cauſa ad viſendum, venerandumque Beati Iacobi Apoſtoli corpus vndique concurrunt. Quorum excipiendis confeſſionibus, noſtri confeſſores ſemper accincti, atque parati fuerunt: Cumque innumerabiles quotidie ſceleribus abſoluerent, plures, quos alij ſacerdotes expiarant, cæleſti pabulo refecerunt. Quorum, nonnullis diebus, milleni ſupra ducenos numerati ſunt. Iam vero vt de concionibus frequenter habitis, de viſitatis carceribus, & valetudinarijs, de explicata publice Catecheſi nihil dicam; non eſt ſilendum, quod vnus è noſtris hæreſi infectum hominem, quem nulla ratio ab errore, nullus metus ab amentia reuocarat, cum iam iam prodiret in medium, vt ferali igne comburereretur, ad fidem traduxit, iniunctaque ab inquiſitoribus ſalutari pœnitentia, flammis, furijſque liberauit. Alij decem hæretici proteſtantes Galleciam tempeſtate proiecti, ad fidem conuerſi, atque in patriam dimiſſi ſunt. Galleciæ pars (terram montium appellant) Regio eſt ſaltibus, & ſalebris, ſpiſſiſque virgultis incluſa, & efferatis hominibus frequens. Nullus huc (quod à multis accepimus) diuini verbi præco

Euan-

Digitized by Google

Euangelicæ veritatis lumen inuexit, nullus cæleſtis doctrinæ myſteria promulgauit. Hanc noſtri prouinciam magno animo ſuſceperunt. Populos in primis in templa vocant, docent fidei rudimenta, hortantur, monent, & ad peccata eluenda vniuerſos inuitant. Incredibile dictu eſt, quam ſeſe montes explicuerint; hinc, illinc tanquam ouium greges emerſerint; confertæ multitudines è latebris eruperint. Certatim eorum parochi, vt ad ſe Patres diuertant, ſummis precibus contendunt. Vno verbo dicam, ſol noſtris in opere ſæpius ortus, ſæpius in eodem opere occidit laborantibus, quibus ne ad vires quidem reficiendas tempus ſupererat, cum ſibi ex probatis Curionibus nonnullos, quorum ſubſidio vterentur, aduocaſſent. Illud ſempiterna memoria dignum, quod terra montium mirabunda teſtatur. Cum de induſtria tumulis, ac collibus ignis eſſet iniectus ab incolis (ſic enim veteri exuti fronde, nouos pecori fœtus, teneroſque parturiunt, vel cinere aſperſi pingueſcunt inpoſterum) cumque aliquot iam dies ſubiecta ſiluarum materia ſerperet, totoque tractu ſumptis viribus ſeſe longe lateque diffunderet (nulla enim iam vis humana, ſi propius accederet, reprimere, aut retardare poſſe videbatur) accidit, vt quo tempore oppidani ad confeſſiones faciendas veniebant, repente ventus inflaret aduerſus, totumque incendium ad meſſes, oppidumque traduceret, nec iam ab agrorum, ædiumque conflagratione, tres quatuorue paſſus diſtarent. Inclamant miſeri homines, & de ſe ſuiſque rebus actum putant; accelerant,

Digitized by Google

si quo modo tantum malum possent auertere, laborant, sudant, nihil proficiunt: Venit eodem noster Pater, iacentes erigit, abiectos, prostratosque confirmat, & in spem vocat diuinæ misericordiæ, quodque in tanta omnium desperatione remedium proximum habuit, arreptam B. Patris Ignatij icunculam, quam secum ferebat, qua parte ignis vehementius se iactabat, & deteriorem cladem minabatur, facta precatione in medium coniecit: statim vis illa, furorque remittitur, flamma, quæ altissima erat, deijcitur, ac penitus euanescit, totum denique incendium retro ad fastigia, quâ descenderat, celeriter reuertitur. Stupent municipes, causam miraculi scisitantur: tunc mulier, quæ imaginis iactum attente perspexerat, in ipsos fumantes stipites insilit, digitis cineres scalpit, nulloque ardore impeditur, quin è medijs prunis iconem eripiat. Quod tantum, tamque illustre beneficium, Montium regio Parenti nostro acceptum refert, & grati animi recordatione colit. Eo periculo exempti Montani ad animorum curationem auidius recurrunt, deponunt peccatorum pondera, nec grauantur, quoquo se vertat Pater, eius percipiendæ opis spiritualis gratia commigrare. Centenarij sene, non pauci ad Patrem, vel adduci se iubent, vel sponte sua, quamuis ægrè ac difficulter, venire non dubitant: qui pacatis conscientijs, & totius vitæ sordibus generali confessione deletis, precari sibi felicem vitæ exitum Simeonis oratione cœperunt. Nec fefellit eos religiosa precatio, simul enim extincti sunt atque confessi. Coniunctus filiam à sinu, complexuque parentis abduxerat, eamque in siluas abdiderat, qua pro sua libidine abuteretur. Res erat nota, & infamis,

Digitized by Google

infamis, nemo tamen audebat raptori manus iniicere, quippe qui valeret viribus, polleret armis, minas, si quis conatibus resisteret, intentaret; ergo is nostri sacerdotis fama commotus, quo tempore in alium pagum per saltus iter haberet, obuiam procedit, facilem se, ac tractabilem præbet; rogat, si quis eũ miseri status dolor attingat, curet vt & sibi, & puellæ, quod vtriusque commodo fieri possit, opportune medeatur. Tum Pater benigne pœnitentẽ complexus, facta damni compensatione, & puella parenti reddita, ad melioris vitę frugem vtrumque conuertit, & in officio magna populi ædificatione continet.

MONS fortis Lemensis ditionis caput est. Lucensis Episcopus dum obit Prouinciam, huc concessit, vbi dies aliquot commoratus, hilari primũ gratulatione scholarum nomine, lepido deinde, & artificioso de quatuor anni temporibus dialogo exceptus, ac recreatus est; cum eius ex sorore filij, quos nobis informandos tradiderat, suas in scæna partes agerent, auunculiq; & studio, & expectationi responderent. Mox sacros ordines in nostro templo rite peregit, Pontificijs & vestibus, & vasis, totoque apparatu vsus, quem multiplicẽ, Cardinalis munificentissimus Collegio legauit.

AZCOITIÆ ET TVTELENSIS RESIDENTIA.

AZCOITIÆ difficultas rei familiari piorũ largitionibus subleuata, fundus mille aureorum domui construendæ liberaliter datus, multaque alia testamento legata, quæ mirificam in nos

Digitized by Google

nos animorum propensum, charitatemque declarant.

TVTELAM in Regno Nauarræo ad Hebrũ Socij incolunt sex. Duplex Virginis Sodalitium, alterum, quod ipsa Ecclesię Tutelensis capita, & pareciarũ lumina continet; omnes vel in dignitate, vel in Canonicatu, vel in alio ecclesiastico honore cõstitutos & viros conspicuos, & virtutis laude præstantes. Alterum quod ex Laicorum flore, & nobilitate constat. Tutelense capitulũ multa nostrorũ prudentiæ ac fidei committit. Cuius rei duplici negotio non obscurũ testimonium præbuit. Nam cum de redditibus, & decimis orta esset grauis, & molesta dissensio, post intricatas lites, post varios & ancipites rerum euentus, totam compositionis spem, in vnius è nostris arbitrio, & voluntate posuit, cum suas aduersarij partes ad Tarraconensem Archidiaconũ detulissent. Præterea cum Tutelæ ciuitatis iura & priuilegia, consinis Aragoniæ populus grauiter læsisset, ac violasset, iniuriæ vlciscendę causa militũ delectus habiti, quatuor millia peditum armata, acies instructæ, bellum denique publice illatum, hostium fines transiliri, agros vastari, armenta & pecora iugulari passim videres; quæ vis, dolentibus atque eiulantibus Aragonijs, insita, atque inusta, magnum seditionum, atque tumultuũ excitarat incendium. Ex Tutela enim ad ter mille ciuium capita, omnes ingenui proscripti, nusquam se commouere poterant, quin in hostium insidias, qui vias omnes obsederant, laberentur. Ergo relictis aliarũ religionum præfectis, noster Pater Rector ad has turbas, bellaque ciuilia comprimenda euocatus, semel iam & iterũ ad Dynastam venit, cuius in ditionem Tutelenses inua-

Digitized by Google

Inuaserant, vt federa & pacis conditiones feriat, totamque contentionem ad concordiam & securitatem redigat.

COLLEGIVM NAVIFLAVIENSE, VVLGO DE BILBAO.

QVONIAM hic annus Collegio Nauiæflauiæ initium attulit, in eoque varij motus, & seditiones exortę, quales à Societate condita in nulla Prouincia contigisse accepimus, rem altius repetam, & quemadmodum gesta est, fusius enarrabo. Dominicus Gorgolla vir Cantaber Nauiflauiensis, mille supra quingentos aureos in annos singulos, ad fundandũ hic Societatĩ Collegiũ testamento reliquit, eo pacto vt publicus oppidi Senatus nostros admitteret; illo repugnante, Compluti Seminarium externis adolescentibus fieret. Senatus re cognita, Societatem complexus est, & in eam sententiam venere ex omni hominum ordine principes, & capita ciuitatis, ipse etiam vrbis Prefectus omnium votis annuit, decretoque subscripsit: oppidum vero vniuersum idem à nobis, & à Regio consilio publice petiuit, deditque ad Patrem Prouincialem bis litteras, quibus auidissime exigebat, vt nouos incolas Collegio designaret. His ergo rebus Pater Prouincialis adductus, Sacerdotes quatuor Vergaram premisit, vt ibi domi nostræ tantisper, dum ipse iret, prestolarentur. Dum nostri se comparant Compluti, vbi Dominicus obierat, ipsi demortui voluntatis vicarij rem differre contendunt; & redditus,

Digitized by Google

ditus, quos certos, ac ſtabiles putabamus, in dubium vocant, vt mora ipſa Nauiflauienſium animos molliant, & à ſuſcepto noſtros recipiendi conſilio, ad ſpem externorum Collegarum, quos liberos & cognatos ſuos futuros eſſe dicebant, congruis ſuaſionibus auocent. Monachi deinde varij cum vniuerſo Clero, qui noſtrum ingreſſum arcere curabant, in nos aperte conſpirant; ſpargunt in vulgus, nos eſſe cupidiſſimos mercatores, commercia cum Sinis, cum Braſilijs, cum Pernambucis habere contracta & cohærentia. Vicatim per capita ſingulos adeunt, inuidiam conflant, odium nobis colligunt, non paucos peruertunt, tres etiam ex Senatoribus in ſuam ſententiam trahunt; Huc accedebat rumor populi, niſi cum redditibus ingrederemur, aditum nobis ſane intercluſum iri. Interea P. Prouincialis Vergaram venit, tranſitque Nauiam-Flauiam cum nemine locutus. Agit primum cum noſtris, quid fieri deceat, deinde quid expediat, dictiſque vltro citroque ſententijs tandem decernit, vt ipſe cum duobus ſacerdotibus eo ſe conferat, exploretque, & intelligat, quo ſtatu oppidani, qua mente Senatores ſint. Dum hæc noſtri inter ſe Vergaræ deliberabant, ecce tabellarius, qui nocturnum iter ſuſceperat, inalbeſcente die domus limẽ attingit: reddit literas, quibus Senatus, quoniam acceperat P. Prouincialẽ adeſſe, obſecrabat, vt quàm primum cum ſocijs eo conſcederet, ipſos ab omnibus iam pridem exſpectatos eſſe. Quibus acceptis litteris, noſtri abiecta omni cunctatione, ſeſe in viam expediunt, præmiſſoque eodem tabellario, per quem Senatum de ſua profectione docerent, noui fundatores proficiſcuntur. Exiſtimarat

Digitized by Google

istimarat Senatus illos eo die ad oppidum peruenturos; vt autem cognouit in pagum tertio ab vrbe milliario diuertisse, ante diem alterum tabellarium mittunt, quo duce in eas ædes recta pergunt, quæ sibi erant publice præparatæ. In diuersorio eius pagi, in quo proxima nocte substiterant, insidiæ, & exploratores erant, per quos antelucana proditione, monachi de eorum aduentu certiores facti, omuia moliuntur, quæ ad expellendos nouos hospites conducere credunt. Senatores cum Præfecto, primo quoque tempore summis lætitiæ signis domum venerunt; P. Prouincialem bene valere iubent, salutantque inuicem mira tum comitate, tum etiam voluptate; Quodvero res celeritatem postulabat, statim P. Prouincialis, quas ex illustrissimo Nuntio, ex Regio consilio, ex loci Episcopo facultates gerebat, notas facit: illi venerabundi, vt mos est, mandata audiunt, libentique animo sese obtemperaturos, ostendunt. Cum Prætori eadem innotescere operæpretium videretur, eum in foro versantem adeunt; rem indicant: quo loco repentino impetu, confertissimæ vndique turbæ loquentes circundant, fremituque ac furore cogunt, in senatum secedere. Eôdem cuncti stipati, & stricti commigrant, aduolat etiam P. Guardianus, Augustiniani ordinis Prior, & sacerdos quidam, quem Clerus quasi antesignanũ delegarat, a quibus in præsentia sexcentis opprobrijs, & contumelijs laceßiti, singulari modestia, ac religione, magisque silentio, & patientia, quam voce responderunt. Ille dies proximusque in expediendis medijs, consilioque capiendo consumptus. Aduersabatur

batur noſtris iuriſconſultus doctiſſimus ciuitatis, qui ſi aliqua ratione Collegij poſſeſſionem adirent, paſſuros vim populi, turbas, & ſeditiones minabatur: tandem, poſtquam ea de re diu multumque deliberatum, Prætor, qui ſeſe propitium, ac protectorem profitebatur, ſtatuit, vt altera die, hora octaua, ipſe cum Senatoribus, quorum pars maior nobis ſuffragabatur, cumque ipſo vrbis præfecto, Collegij poſſeſſionē daret. Aram noſtri ipſis in ædibus, quas acceperant, ea ſupellectili veſtiunt, quam Vergara ſecum eduxerāt, ornantque imaginibus, & ad ſacra facienda veſtes, calicem, reliquaque celerius comparant. Expectantibus Senatum, nunciatur à Senatoribus, impediri ſe graui negotio eo die, ſequenti certos fore, non eſſe in breui ſpatio temporis diſpendium aliquod metuendum. Noſtri id, quod erat, ſuſpicati, ſpeciem ipſos honeſtæ cunctationis quærere, reuera metu contrahi; nequid incommodi ex mora noſtro iuri accederet, diuino præſidio freti, adhibitis idoneis teſtibus, & notario, qui fidem faceret, ipſi per ſe poſſeſſionem adire decreuere. Ergo pulſato cimbalo, primum fit ſacrum, tertium & quartū, interturbante nemine. Interea Religionū Præpoſiti, quos Pater Prouincialis pridie amice ac familiariter viſerat, parique ab ipſis charitatis officio exceptus fuerat, in æde Sancti Iacobi, quę maxima eſt, frequentes conueniunt, multa ibi commentantur, multa conuoluunt, longo denique interuallo definiunt, noſtris ſiue inuitis, ſiue libentibus, poſſeſſione Collegij interdicendum, quantumuis res ipſa vim, ſanguinem & cædes requirat. Sub idem tempus duo ex noſtris (negotij neſcio quid habebant in vrbe) cum ingredi San-

cti

Digitized by Google

ti Iacobi templum vellent, in ipso vestibulo prohibiti, ac moniti sunt, si vlterius progrediantur, à Clericis, & Religiosis viris prohibendos esse; venit ipse Magistratus in eorum consilium, vt furentes sanet, prudentique oratione temeritatem, audaciamque contineat, re tamen infecta reijcitur ad nostros. Sacerdos etiam cum illo mittitur, qui pro ipsorum officio Patri Prouinciali suggerat, vti Socios campanam tollere, aram exuere, domum deserere, & vrbem iubeat; secus, vereri se aliquid grauis damni, cuius declinandi illa vna ratio reliqua sit, præterea nulla. Ad hæc Pater Prouincialis non se intrusum in oppidum, sed ter quaterque per litteras vocatum, atque allectum ab vniuerso Senatu, populoque Nauiflauiensi domicilium tenuisse, neque propria auctoritate; sed Regis, sed Nuntij, sed Episcopi, bonorum denique omnium facultate atque consensu, summi etiam Pontificis diplomatis eandem sedem Collegio Societatis destinasse; eius possessionis testimonium à duobus Notarijs publicis suscepisse, ac proinde non iam illam priuatam domum, sed Collegium esse, quod nec dissolui fas erat, nec rationi consentaneũ: ipsi vtpote Christi ministri, & eximia pietate, ac prudentia præditi, quid fieri oporteret, maturius prouiderent. Legatis Clericorum in hunc modum dimissis, fores claudunt nostri, seque cum duobus famulis, tertio etiam eius matronæ, quæ domum conduxerat, priuatis parietibus continent. In Religiosorum, & Sacerdotum conuentu vnum decernitur, vt quacunque ope possint, recentes Collegas possessione deturbent; quod quo felicius succedat, cum Cruce, & Acolytis, festiua cymbalorum pulsatione, cele-

Digitized by Google

bri pompa in noſtras ædes omnes ex ordine ventitant. Præcedebant trium familiarum fratres, ſequebatur clericorum capitulum, egregium claudebat agmen, indutus pluuiali, ſpectatus quidam lectuſque ſacerdos; In medio feretrum vacuum, quo ſacroſanctum Euchariſtiæ myſterium reportari deberet, vectorum humeris ferebatur. Pars gladios & pugiones veſtibus ſuperpelliceis, pars ſaxa manicis pendentibus occultabāt, parati in vtrumque ſiue res armis, ſiue verbis indigeret. Vbi ad Collegium perducti, tentatis valuis, cum ſibi vndequaque præcluſum introitum cernunt, cum noſtris, qui ad feneſtram ſeſe oſtenderant, colloquuntur, ac petunt ſibi domus oſtia patefieri. Pater Prouincialis pacato, tranquilloque animo ſe domi ſuę quieſcere, illos vim atque tumultum, nulla iuſta cauſa moliri: Si quid contra ius faſque, ſi contra Pontificum diplomata, quæ illis præſentia exhibebat, temere auderent, ſine dubio excomunicatione obſtringendos eſſe. Pater Guardianus, audita excommunicationis voce, aures cucullo manu applicato occludebat, ſuoſq; ſeparabat, ne cui ex ijs, quę Pater Prouincialis obteſtebatur, ſcrupulus inijceretur. Reliqui portas calcibus tundunt, deinde cũ integrę & immotę eſſent, frater Franciſcanus, homo videlicet ætate & doctrina pręſtans, qui alios ſacrā Theologiam docuerat, primus ſecuri percutit; tum ſacerdos inchoatum opus ad finem perducit, & portarum materiam in fruſta diſſectam, in terram proijcit. Noſtri priori tanquam muro deiecti, ſuperiora tabulata conſcendunt, obſtructoque aditu, in eam aulam, qua erat Chriſti corpus pixide incluſum, celeriter ſe recipiunt, flexiſque genibus vltimum

trage-

Digitized by Google

tragediæ actum expectant; ac ne qua occasio ira percitis præbeatur, monent famulos, vt se colligant, neue vllo armorum genere cuiquam occurrant. Patenti ostio, ingenti cum tumultu, & clamore, domus expugnatores ad interiora perrumpunt; scalas occupant, secundas portas effringunt, aram denique petunt. Tunc Augustinianorum Prior veritus cædes, & vulnera, monuisse fertur, vti à nostrorum iugulis, & ceruicibus abstinerent, neue manus, aut gladios religiosorum virorum sanguine cruentarent. Neque inanis illa suspicio fuit, neque vana & inutilis cautio, nam paulo ante in concilio quidam affirmarat, non defore certos puluetis sulphurei cados, quibus nostros disploderent, & in altum sublatos discerperent. Ingredientibus aulam, P. Prouincialis hilari vultu; Vellem (inquit) aliquid obsonij habere, quo vestras Paternitates in tanta lassitudine, & labore recrearem. Illi his verbis nihilo mansuetiores facti, concinunt; Tantum ergo sacramentum, & cetera. Interim præsbiter hostiam cum ipso nostro calice tollit, comites aram sacris vestibus, linteis, & imaginibus certatim nudant; lampadem extingunt, vas oleo plenum conterunt, atque diffundunt; mensam, quæ aræ, & Sacramento suberat, deiiciunt, & securi proscindunt. Erat in sublimi tecto campanula, quæ possessionem Collegii indicat; ad eam monachus repit velociter, sublatam induit in manicã, sibique tanquam propriam accommodat. Rerum denique potiti, lætique victoria, in sancti Iacobi eodem ordine & pompa se referunt; inclusoque in pixidem Sacramento, depositisque armis, domos suas glorioſi repetunt. Bi-

Digitized by Google

duo post, Pater Prouincialis vnum de socijs Vallisoletum mittit, qui de vi, de iniuria postulet. Magistratus deinde, ac Senatores, qui nobis præsidio erant, suarum partium interpretes, & oratores dant. Regis concilium, Pontificisque Nuntius rei turpitudine, & atrocitate commoti, quod in ora maritima, in hæreticorum prospectu. Euangelicæ veritatis præcones oppido prohibeantur, binos iudices eligunt; vnum qui in laicos, alterum qui in Ecclesiasticos quærat, restituatque nostros in suam pristinam possessionem. Per id tempus Socij in ciuitate afflicti, & squalidi versabantur, cum alij eos risu probrisque, alij dolore & misericordia prosequerentur; nullum tamen Societatis munus obire poterant, præter missarum sacrificium, quorum celebratione interdictum illis non erat. Vigesimo tandem die ad Cantabros perferuntur literæ, quibus de iudicibus delectis, & de illorum seueritate cognoscunt, quodque erat consequens, inopinato occipiunt metu, ex conscientiæ stimulis agitari; quare quo malum impendens consultius ante vertant, Clerici, redintegrata pompa, Sacram Eucharistiam solemniter, sine monachis Collegio reddunt, & quæcunque abstulerant, ædibus restituunt; quæ omnia nostri ea conditione recipiunt, ne quo in litis prosecutione afficiantur incommodo. Laici, qui aduersati sunt, Palinodiam recantant; ac primum potestatem, quam contra nos fecerant, dolentes reuocant; deinde ius suum, si quod habent, ad nos transferũt, & commune Nauiflauensiũ decretum, voluntatemque sequuntur, dummodo per nos, illi qui ferebantur iudices, retardentur. Monachi, vt diximus, cum essent in nos vehementius

Digitized by Google

mentius inuecti, non modo non resipiscere, sed quotidie magis infestos, atque inmicos volitare sentimus; quod & ipsi populo offensionem parit. Deinceps renouato templo, Patres in proximorũ salutem incumbunt, rudes catechismo erudiunt, populum concionibus inflammant, pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenris iuuant, ac sustentant, dissidentes conciliant, ægrotantes subleuant, publicas custodias visitant. Habent enim & in ciuibus & in aduenis, quorum multi hæretica prauitate sunt infecti, aptissimũ campũ, in quo ordinis nostri charitas excurrere valeat, sic hostiũ iniurias & maledicta, rectè factis studemus compensare.

SEMINARIVM ANGLORVM VALLISOLETANVM.

HABET hoc Seminarium ex Societate tredecim, alumnos quadraginta tres, ad varios domesticos vsus famulos viginti; pro suo instituto præclare & feliciter procedit. Collegij magnitudine & alumnorum numero, cum eo quod est Romæ, singulariter certat. Adolescentes enim domi quidem nobiles, foris humilitatem euangelicam amplexantes, gloriam Dei quærentes magis quam hominum; pietate & modestia omnibus exemplo sunt, eaque ad omnem virtutem & doctrinam indole, vt ab illis præclara omnia speranda sint, ad Dei gloriam & patrię salutem. His precipuè iuuandis, & ad pietatem & bonas literas promouendis, Patres, qui ibidem versantur operam dant, neque ita tamen vt alia

Digitized by Google

noſtræ Societatis officia negligant; parati proximorum ſaluti & neceſſitati, oblata occaſione, ſuccurrere, precipuè in confeſſionibus excipiendis, non Anglorum modò, aliorumque aduenarum, ſed etiam Hiſpanorum, qui quotidiè, præſertim vero diebus ſolemnioribus, eo confluunt, vt in hoc munere obeundo, Societatis noſtrę Collegium merito videri poſſit. Quo in genere dum hęc ſcribimus, quiddam accidit ſingulare. Venerat his diebus ex Anglia Valliſoletum Anglus quidã, ob ſua & amicorum negotia, vir de religione catholica non male ſentiens, ſed qui (vt eſt multorũ conditio) diuitiis & honori, animę ſuæ ſalutem poſtponebat. Iſta ergo tractantem & cogitantem, factum eſt, Deo ita diſponente, vt maligna febris inuaderet. Qua quotidie ingraueſcente, morbi tandem ac doloris impatiens, eò miſer redactus eſt, vt de morte ſibi inferenda non cogitaret ſolùm, ſed certò apud ſe decerneret, & de hac re dæmoni fidem daret; quam ſæpius præſtitiſſet, niſi bonus Angelus, inferni terrore obiecto, eum ab hoc ſcelere retardaſſet. Aderat ægrotanti Hibernus quidam, vir probus & Catholicus, qui cum miſerum illum deſperationis verba proferentem, & diabolum ingeminatis vocibus inclamantem animaduerteret, afflictum hominis animũ prout potuit conſolari, & ad Catholicæ religionis ſubſidia, ac diuinæ miſericordię fiduciam erigere conabatur; Patrem dicens aliquem breui adfuturum, qui ipſum diaboli faucibus eriperet: tum ille, Veniat, inquit, Pater, et ſi fieri poteſt, miſeram hanc animam ab inferno liberet, quod tamen difficile conſequetur. Quo accerſito, & cubiculum, vbi iacebat, ingreſſo, Heu me, Pater, exclamat,

Digitized by Google

mat, actum est de me, perij & anima & corpore. Tum Pater bono animo esse iubet, & diuinæ clementiæ confidere. Quid multa? ita cum eo agit, vt curatis per pœnitentiæ sacramentum conscientiæ vulneribus, pro diaboli mancipio, Ecclesiæ Catholicæ filium relinqueret; doloris quidem de peccatis suis plenum, sed diuinæ misericordiæ fiducia exultantem, & illustre hoc Dei erga se beneficium, ac fidei Catholicæ veritatem palam profitentem; hæreticis, qui eum ægrotantem inuisebant, alijs malitiosè murmurantibus, alijs diuinam in Ecclesia potestatem, & misericordiam tacite agnoscentibus: quod postea ad maiorem omnium admirationem cessit, cum in valetudinarium publicum, Patrum cura & diligentia admissus, ex periculosissimo morbo denuo conualuit, & ad animæ salutem, salus etiam corporis accessit. Nec minus insigne fuit, quod ijsdem diebus Domino Thomæ Palmero, Equiti aurato, viro corporis & animi dotibus eximio, illustri in Anglia loco, & magna apud ipsum Regem gratia, & auctoritate, accidisse vidimus; qui cum Hispaniæ visendæ, & linguæ addiscendæ gratia huc commigraret, & Collegium Anglicanum interdum inuiseret, & cum Patribus familiariter ageret, cœpit religionem Catholicam animo colere, vnâque hæresim, in qua educatus est despicere; præcipue vero hæresis ministros (abiectissimum scilicet hominum genus) a quibus in posterum se diligenter cauturum dicebat, ne ipsum animæ suæ salute defraudarent. Ecce autem dum sic cogitaret, inopinato & lethali morbo correptus est: ergo cum vitæ suæ periculum adesse cerneret, se Ecclesiæ

Digitized by Google

Catholicæ reconciliandum ſedulo curauit; atque ita ſacramentis omnibus ſuſceptis mortuus, & Chriſtianorum ritu honorifice ſepultus eſt; Anglis etiam hæreticis, qui in ciuitate aderant magno numero, funus comitantibus; ſumma ſcilicet omnium admiratione, qui hanc mutationem dexteræ excelſi facile agnoſcebant. Alia, quæ in hoc genere ad Dei gloriam ſcribi potuiſſent, quia quotidiana ſunt, omittenda duxi. Hoc adiiciam; Ea apud ipſos hæreticos de patrum charitate opinio inualuit, vt in fortuna aduerſa, vel rebus quoquo modo afflictis, ad ipſos præcipue, tanquam ad communem charitatis fontem confugiant. Quod ad ipſorum emolumentum, & ad ædificationem ita ceſſit, vt & alij complures id ſæpius, cum grati animi ſignificatione agnouerint: & inprimis ſummus Angliæ Admiralius, propace confirmanda, apud Sereniſſimum Hiſpaniarum Regem, Legationem nuper obiens, Patri cuidam Anglo, qui ceteris auctoritate præeſt, tum alias honorificum hac de re teſtimonium dedit; tum etiam inuitato, coram gratias egit, comiter & benigne accipiens, cum ad eum honoris cauſſa, Collegij Anglicani nomine ſalutandum accederet. Atque hac occaſione, & ſæpe antehac, ad religionis negotium tractandum, additus patefactus eſt, non ſine inſigni animarum fructu; & in poſterum maior patefiet, Anglis quotidie huc magno numero confluentibus. Quamquam Diabolus nullum non moueat lapidem, vt hanc etiam benefaciendi occaſionem Patrum manibus extorqueat, cum legum Anglicanarum contra Catholicos atrocitas, Anglos omnes ab omni Patrum commercio, & ſermone deterreat. Quod in publica, quam dixi,

lega

Digitized by Google

legatione maxime animaduertimus; vbi plurimi, Anglicanum Collegium inuisere cum maxime cuperent, minime tamen audebant, quia hoc ipsis in Patriam reuersis periculosum fore existimarent; vt sæpe necesse fuerit aliò, ad religionis negotium secretius tractandum, conuenire. Qui vero videndi gratia accesserunt, difficile dictu est, quantam de Patrum charitate, de Alumnorum pietate & modestia, & de totius vitæ nostræ instituto opinionem conceperint. Quam & sermone & lacrymis testati sunt, infelicem suam & Patriæ conditionem deplorantes. Ex quo non sit difficile coniicere, quantum religio Catholica in Anglia progressum faceret, si, quod assidue precamur & speramus, Deus in illo regno, ad libere euangelium prædicandum, & Sacramenta ministranda additum aperiret.

HIBERNORVM SEMINARIVM SALMANTICENSE.

IN Seminario Hibernorum Salmanticę degunt viginti duo alumni, quatuor Patres ex nostris, quorum vnus præest familiæ, alter à confessionibus, tertius docet, quartus spiritualibus institutionibus incumbit. Ex alumnis quatuordecim tertij anni Philosophi, reliqui Theologi. Rursus ex illis octo ingressi sunt Societatem, quatuor alias religiones. De doctrina, moribus, & institutione, Episcopus, Magister scholæ, & alij doctores; egregium testimonium præbuerunt. Quinque famuli diuersas religiones, pro vitę insti-

Digitized by Google

ſtituto, ſortiti ſunt. Alumnus vnus obijt feliciter cum voto Societatis; plures è Patria peregrini hoſpitio excepti, & vera religione imbuti, facta generali vitæ confeſſione in Hiberniam dimiſſi.

COLLEGIVM SANCTI EMETERII VVLGO SANTANDER.

SANCTI Emeterij Collegium inter Cantabricum & Aſturiacum Oceanum in ora ſitum eſt. Hîc duplex noſtrorum opera, & in exteris iuuandis, quorum magna copia nauibus mercaturæ cauſa aduehuntur: & in domeſticis promouendis enituit; illos, vt hærſi, ſiqua infecti ſunt, liberent; hos, vt ad pietatem & virtutem hortentur; & in tuenda chriſtiana religione, diuinoque cultu in ore & conſpectu hæreticorum ſacris myſterijs exhibendo, impigriores reddant.

DE ceteris huius Prouinciæ Collegijs ne quis miretur ea ſilentio præteriri, hoc vnum monemus; vel nihil habere quod dignum ſit annuis, vel quod à communibus ſeiungendum ſit.

PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA ARAGONIÆ.

SVNT in hac Prouincia Socij trecenti quinquaginta sex; Sacerdotes centum quadraginta duo; è quibus septemdecim Magistri; Studiosi sexaginta nouem; quorum octo Præceptores; Coadiutores centum & quatuor; Nouitij quadraginta duo. Continentur tredecim domicilijs, Domo Professa vna; Collegijs decem; Domo Probationis vna; vnaque Residentia. In Domo Professa Valentina triginta octo; In Collegio Valentino quadrageni quatuor; Gandiæ duodeuiginti; Cæsarauguſtæ duo supra quadraginta; Bilbili viginti vnus; totidem Turiasonæ; Barcinonæ & Gerundię, vtrobique triginta tres; Tarracone in Domo Probationis quinquaginta duo; Vigelli decem; Ilerdę sex; Maioricæ viginti octo; Perpiniani in Residentia decem, Admissi in Societatem duodeuiginti; missi ad Indos sex; emissi è corporis vinculis quinque, in quibus P. Petrus Villar Prouincialis, Monabrigæ in Aragonia natus, ætatis anno sexagesimo, Societatis vero trigesimo septimo, exemplar egregiæ probitatis, religionis, frugalitatis, moderationis, & integritatis incorruptæ. Præfuit Bilbilitano, & Valentino Collegio, singulis semel, bis toti Prouinciæ. Functus est officio Magistri Nouitiorum. Mors eius vitę consentanea, vix credibile est, quantum mœroris attulerit vniuersæ Prouinciæ.

DOMVS

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA VALENTINA.

CIRCVMCISIONIS Dominicę dies celebratus hoc anno, maiore quam vnquam antea apparatu, ornatu, cultuque. Nam peristromatum aureorum fulgor, luminum splendor, florum varietas, sacrarum imaginum species, symphoniæ cantus, pœnitentium denique, & communicantium numerus, admirationi & voluptati fuerunt. Rex ipse Philippus, cum magno illustrium aulicorum comitatu, sacris interfuit, & concioni, quam habuit vrbis Antistes & Prorex; eumque diem iucundum sibi fuisse, grata quadam amoris, & beneuolentiæ significatione testatus est. Pari etiam ornatu, elegantia, & pietate acti sunt dies, qui proxime antecedunt cineralia, quibus etiam accesserunt antemeridianæ, pomeridianæque conciones, & concursus audientiũ maior, quam pro templi laxitate, vt nihil fieri potuisse videatur illustrius. Occursum hoc tam præclaro inuento permultis grauibus sceleribus, quę fieri solent per eos dies, quibus est omnium rerum infinita, atque intoleranda licentia. Foris etiam res gesta præclare. Sacerdos noster in vicinum vrbi oppidum, concionandi caussa cum venisset, tum publica, tum priuata oratione eò vnum adduxit, vt manifestum adulterij crimen vxori; adultero vero, qui vnus erat è primoribus, vitam condonarit. Missi alii duo in oppida tria, domesticis sic diuisa discordijs, vt quotidie

Digitized by Google

tidie indigniſſimæ cædes oppidanorũ inter ſe fierent; quos vt viderunt Parochi & Magiſtratus, palam dicere, oleum & operam perditum iri, & quod malum inueteratum iam eſſet, & tempus minus idoneum. At illi diuina ope nixi, quâ concionibus, quâ priuatis alloquijs, quâ catecheſi, confeſſionibuſque, exulceratis plane rebus atque depoſitis, ita medicati ſunt; vt illi ipſi, qui paullo ante diſſidebant, & Domino gratias mox agerent, & noſtris abeuntibus ex animo gratularentur. Quidam à concione inimicum, cui obuiam ſua ſponte proceſſit, magna cum omnium admiratione ſalutauit. Alius etiam ad Patris pedes prouolutus ſpopondit, ſi ita eius animus ferret, vltrò conuenturum inimicum, eique pedes exoſculaturum.

COLLEGIVM VALENTINVM.

ADSCITIS alijs ſeptem in Societatẽ, addere licet primarium Theologiæ Profeſſorem, eundemque Præpoſitum cathedralis Eccleſiæ Valentinæ, qui cum à nobis eſſet alienior, graui morbo correptus, vnum è noſtris accerſit, eique peracta generali confeſſione, ſuum de Societate ineunda conſilium exponit. Eius enim tanto flagrabat ardore, vt ei nihil eſſet optatius, quàm vt nudo corpore, flexiſque genibus, & inſerto in collum laqueo, traheretur ad nos, vt ſpiritum eius exciperemus extremum. Itaque & quod P. Prouincialis aberat longius, & morbi vis moram non ferebat, ad vota ſimplicia Societatis admitti placuit,

Digitized by Google

cuit; quæ cum flens vberius nuncupaſſet, addidit dolere ſe vehementer, quòd diem dixiſſet ex die. Pro dolor! inquit, vigeſimus iam annus eſt, cum hanc mihi mentem benignus iniecit Deus: ſed eam auerterunt ſcelera mea. Præ modeſtia vero, vt Doctoris & Præpoſiti nomen audiebat inuitus, ſic militiæ noſtræ tyro vocari cupiebat. Denique diuturna tabe confectus, præſente Sacerdote noſtro cum ſocio, diſceſſit è vita, & in Collegio noſtro, more noſtrorum humatus eſt, magno Academicorum Doctorum, Magiſtrorumque concurſu; quæ res eo maiorem admirationem peperit ciuibus, quod ſcirent eum antea, prohibere ſolitum alios congreſſu Noſtrorum. Honeſtus quidam vir, hortatu noſtrorum, redijt in gratiam cum ſorore, cui ab annis duodeuiginti & eo amplius erat iratior, quod ſe inuito nupſiſſet viro, ſibi & genere, & conditione diſpari. Effectum præterea vt duæ familiæ, magno cædium imminentium periculo diſtractæ, inito matrimonio iungerentur. Templi ſupellex aucta periſtromatis opere Damaſceno, quæ aureis quingentis æſtimantur, & veſte præterea auro purpuraque diſtincta, pretio centum quinquaginta nummûm aureorum, quam nobis dono dedit honeſtus quidam ciuis, noſtri ordinis ſtudioſus. Porro æs alienum leuatum aureis trecentis.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM GANDIENSE.

LABORI Nostrorum in colendo Gandiensi agro, fructus respondit egregie; argumento fuere confessiones totius vitæ, odia restincta, pauperes vinctique leuati: quam ad rem adiumento nobis fuere Sodales, quorum opera exsoluti sunt vinculis centum vndequinquaginta. Ijdem pridie Cineralium, vix è templo nostro plurimo lumine collucente, & suauitate concentus vndique personante, pedem extulerunt; precibus flagrisque placando Numini intenti. Altera etiam Sodalitas quattuor nobis dedit adolescentes, præclaris naturę donis ornatos. Pietas huius oppidi finitimorumque in B. P. Ignatium, quàm ardeat in dies magis ac magis, indicant vota prope quotidiana, donaria, concursus ad templi sacellum, & gratiarum actiones pro beneficijs acceptis. Ex quibus duo tantum hic ponam, quæ Medicorum testimonio confirmata, Decani auctoritate in publicas relata sunt tabulas. Primum quidem est huiusmodi. Quadragenarium hominem ardentissima febri & dysenteria laborantem, dum nocte quadam opem B. P. Ignatij fidenter implorat, arctior complexus est somnus, sibique perspicue videre visus est eũ, eadem oris specie, habituque, quo visitur in templi sacello, benigno videlicet vultu, salutè ipsi pollicentem, clariſſimaque luce circumfusum, vt cubiculum etiam illustraret. Nocte vero media somno solutus, ita se morbo leuatum sensit, vt cum antea versare se sine ministrorum

rum ope non posset; mox, nullo iuuante sederet in lecto, lætusque salutis, secundum Deum, auctori gratias agens, ex eo mane surgeret, postridieque domo etiam, omnino sanus egrederetur. Alterum vero tale est. Puellæ cuiusdam fauces genus quoddam morbi, instar anginæ, sic pressit per biennium, vt singulis mensibus, tridui spatio, neque cibum caperet, neque somnum, ac ne saliuam quidem deglutiret, atque adeo pæne suffocari videretur. Morbi vero grauitas ita corpus debilitabat, atque frangebat, vt vel eo liberata, per octo dies insequentes, nulli rei dare operã posset. Itaque aliquando grauius solito conflictata, B. P. Ignatij auxiliũ expoſcit, nec frustra. Nam post duas horas ita conualuit, vt nunquam in posterum, neque eodem, neque alijs tentata sit morbis. Itum nec sine periculo ad oppida sex, quę quo mari Mediterraneo, atque adeo Africanorum piratarum propiora sunt prædæ, eo magis opis indigebant. Hic strenuè quotidie, à prima luce vsque ad multam noctem, laboratum est. Expiati omnes. Inter alia vero illud effectum, vt duo, qui ex impuro triginta duorum annorum pellicatu, filios ac nepotes habebant, magna cum omnium offensione, legitimo matrimonio (quod alij viri graues frustra sæpe tentarant) non sine laude nostra coniungerentur. Vidua etiam, vnigenæ filij nece, sub concionem, publice condonatâ, eadem obijt Sacramenta, quibus toto biennio caruerat. Res familiaris plurimũ aucta nouis prædijs atque redditibus. Nã Dux Gandiensis nobis triginta dedit aureos in singulos annos, alius vero quinquaginta ea lege, vt alternis annis bibliothecæ ac templo deseruiãt. Rex etiam Philippus tria aureorũ millia nouo extruendo

Digitized by Google

truendo templo attribuit.

COLLEGIVM CÆSARAVGVSTANVM.

TERNIS per hebdomadam Nostrorum itionibus ad Nosocomia, publicasque custodias, multorum egestati, salutique consultum. Quidam cum acceptam à duobus iniuriam, vtriusque nece vlcisci postero die statuisset, fortè venit ad nos, consiliumque suum vni è nostris aperuit. Qui multis hominem ab eo frustra deterrere conatus, id vnum tandem obtinuit, vt antequam rem transigeret, Mariam Virginem sacræ columnæ insidentem adiret, eique sese commendaret ex animo. Ergo pium sacellum ingressus, ita diuinitus mutatus ab illo est, vt abiecto de nece consilio, è vestigio confessionis causa rediret ad Patrem. Ex missionibus senis mirificus extitit fructus. Contractus enim illiciti non pauci resciſſi, adulteria diuturna sublata. In oppido quodam graues exarserant inter parentes, liberosque discordiæ, quas ne magistratus quidem sedarat auctoritas: sed Deo nostrorum conatus adiuuante, omnes ad vnum expiati sacris, in mutuos primum amplexus publicè ruerunt & oscula; deinde alij aliorum domos adierunt, non sine maxima vicinorum etiam oppidorum voluptate. Puellula in subiectũ amnem è pontone delapsa, prono alueo longius ferebatur. Sed cum ad Christi Domini, eiusque matris sanctissimæ confugisset opem, semiuiua in ripam eiecta, haud ita multo post magnam aquæ vim euomens, sibique reddi-

Digitized by Google

ta vitginitatem ſuam eiſdem ſtudioſe conſecrauit, quibus vitam referebat acceptam. Pater filij cædem, & vir honeſtus iniuriam publice ſibi illatam à principe viro, de cuius nece cogitabat, noſtris hortantibus, remiſere. Oppidum quoddã in duas factiones ita diſtractum erat, vt non longe abeſſet à ſummo periculo. Regni Prætor omnes admouerat machinas, ad incendium illud reſtinguendum, ſed fruſtra: Noſtri factionis primum principes, deinde ſocios omnes eo deduxerunt, vt è ſacra menſa ſurgentes, mutuis amplexibus teſtarentur depoſitas ex animo ſimultates, quæ res finitimis etiam oppidis voluptati fuit, & exemplo. Actum præterea cum eiuſdem oppidi Magiſtratibus, vt domus quædam, quam optimo, vt rebantur ipſi, conſilio, de more locabant aleatoribus, ex latebris anguliſque euocandis, in alios conuerteretur vſus, quod grauiſſimorum ſcelerum eſſet officina. In alio quodã oppido compoſitæ inter clerum & laicos controuerſiæ. Alibi etiam oppidani cum Domino, à quo non ſine præſenti grauioris motus periculo diſſidebant, reconciliati. Oppidorum item quorundã de finibus lites inciſæ. Vir quidam primarius moriens, nobis remiſit aureos trecentos. Matrona etiam honeſta teſtamento nobis legauit prædium, quod æſtimatur aureis ferme bis mille.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM BILBILITANVM, TVRIASONENSE, ET BARCINONENSE.

OBIIT Bilbili P. Sebastianus Ayarce natione Nauarrus, annũ agens ætatis trigesimum sesecundũ, Societatis vero decimũ, vir integritate, parendi studio, religione, modestia non vulgari; quarum virtutũ cùm antea semper, tum vero potissimũ extremo vitæ tempore, singulare specimen dedit. Mors eius plane inuidenda, dulci somno per similis, nullisque agitata scrupulorum stimulis, quibus vita pungebatur assidue. Vnius iacturam compensauit Deus accessu duorum. Ægrotorum, quorum hoc anno ingens multitudo fuit, animis expiandis, & in extremo vitæ certamine diu noctuque confirmandis, magno ipsorum lucro, & ceterorum exemplo præsto fuimus.

TVRIASONE multi ex Clero, & Canonicorũ collegio, exercitationes B. P. Ignatij vtiliter vsurparunt. De vtraque Sodalitate hoc vnum dicam. Sodalis quidam sacerdos, idemque Parochus, frequentandę de more congregationis oblitus, atque adeo officij non semel admonitus, respondit sibi instar esse mortis, in ea versari: tenebatur videlicet turpi feminæ cuiusdam amore, quod impune non tulit. Nam maritus, non inuenta domi vxore, ratus id quod erat; in hortum non longe ab vrbe distantem festinus contendit: ambos deprehendit: illum pugione confodit, eodemque, vti iam cœperat, eam quoque confe-

Digitized by Google

ciſſet, niſi vicini clamoribus exciti in tempore accurriſſent. Quidam vxoris impatiens, ſæpe reſtim cogitarat. Accitus ad eum ſacerdos noſter, reperit hominem laqueum manu tenentem, quo ſibi fauces adſtringeret; quare ad patientiam & confeſſionem illum hortatur, & bono ac tranquillo animo eſſe iubet. Paruit ille, miraque nunc pace & tranquillitate perfruitur. Excurſiones duæ factæ more noſtro, ex quibus hoc tantum attingam. Quidam adduci numquam potuerat, vt odium poneret; quin aliquando à ſacerdote noſtro peramanter admonitus Chriſtianæ charitatis, ſtrictum pugionem vibrans, Hic, inquit, iniuriarum vindex erit. Is nocte quadam è lecto in proximum collem, ſubito quodam actus impulſu ſe contulit, vbi ſeſe proſternens ante Crucem, oborta diuinitus luce, Patri noſtro ſalutaria monenti parere omnino decreuit. Itaque vbi diluxit, ad eum confeſſionis cauſâ venit. Quâ magno cum doloris ſenſu peractâ, vocatiſque inimicis, pax ſummo conſenſu conſtituta eſt.

Missi ex Collegio Barcinonenſi ad inſulas Philippinas duo Theologiæ candidati, quorum in locum Deus totidem nobis ſubmiſit. Inſtituta primum hoc anno in templo noſtro quadraginta horarum ſupplicatio, ad auocandos Barcinonenſium animos à Bacchanalium nimiâ licentiâ. Hinc factum vt Ciuitas, maximè dedita ſaltationibus atque tripudijs Bacchanalibus, ſui omnino diſſimilis videretur. Ex concionibus, quas habuit vnus è Noſtris in ampliſſima & celeberrima vrbis parœcia, incredibili omnium ordinum concurſu, maxima extitit frugum vbertas & copia: teſtes fuere totius anteactæ vitæ confeſſiones, eleemoſinæ,

Digitized by Google

finæ, restitutionesque non paucæ, in quibus vna septuaginta aureorum. Feminæ cuiusdam continentiam, eo quidam oppugnabat impurius, quo arctius domi tenebat inclusam. At illa memor armorum, quibus instructa fuerat à Patre quodam nostro, tum proposita flagitij grauitate, tum precibus ad Parentem castitatis ex animo fusis, sic furentis animum immutauit, vt flagitium ipse suum coràm detestatus multis cum lacrymis, eam reliquerit intactam. Adolescens quidam cum Veneris tela, quibus assidue petebatur, ferre non posset, ante B. Virginis imaginem aliquando procumbens, audire sibi visus est vocem, qua monebatur, vt Patrem adiret, qui verberaturis sese in templo nostro de more narrat exempla, eique pareret. Paruit illico, & cæcum illum, quo carpebatur ignem, frequenti verberum & Sacramentorum vsu restinxit; vt non solum se castum integrumque seruauerit, sed etiam vouerit castitatē in religiosa quadam familia, vbi hodieque perseuerat. Alius ipso veneris die publicam veneris officinam ingressus, cum nocturnarū precum audisset signum, memor verberationis, qua ea ipsa hora apud nos vti solitus erat, mutato repente consilio, venit in templum nostrum, suique pertæsus, statuit numquam inposterum limen illud subire. Minoressa, aliaque nonnulla huius diæceseos oppida de more lustrata. Pietas ciuiū aduersus B. P. N. Ignatiū augetur in dies, vt nouendialium votorum, donariorum, sacrorumque, quæ in eius sacello, quod SS. Trinitati dicatum est, fiunt, frequentia satis ostendit. Puella quædam pio imaginis, qua ille dum viueret, vtebatur, osculo; vsum sensuum, quo carebat, sine mora recepit. Res

Digitized by Google

etiam familiaris quattuor legatis, quæ summam conficiunt sexcentorum aureorum, incrementa susceptit.

COLLEGIVM GERVNDENSE.

ADOLESCENS quidam falsum crimen affinxerat sacerdoti nostro, nec suum ipse octo annorum spatio detexerat, ne palinodiam canere cogeretur. Sed dum se ad integram parat confessionem in Cœnobio quodam, vocem audit eiusmodi: Si rite confiteri animus est, Patrem ipsum adi, cuius nomini notam intulisti. Venit sine cunctatione ad nos, dolore simul & pudore perfusus, seseque paullo post in arctissimum Cœnobium inclusit. Quidam alius cum viueret impurissime, nocte quadã in quiete, sibi visus primum est cænare apud quendam inter dæmones duos; deinde cum domo egrederetur, fulmine percuti; postremo videre hominem his se verbis affantem: vnde venis? an non vides hęc tecta dęmonum esse domicilia? proinde necesse habes ritè animum expiare. Eius igitur rei caussa Societatẽ adito; quò cum venisset, de noua vitę ratione sedulò cogitauit. Præcipuus vero fructus ex missionibus extitit. Nam cuidã de fratre suo necando, eiusq; ędibus incendendis cogitanti, adolescẽs quidã occurrit, qui seueriore eũ vultu monuit, vt consilij caussa ad nostros ire pergeret, in animorum salutem incumbentes. Venit igitur in templum: interfuit concioni: denique descendenti è suggesto Patri, lacrymantibus oculis dixit: Ego nimirum sum ille, quem tu modo

pro

Digitized by Google

pro concione mirari te aiebas Deo præferre peccatum. Huc itaque iussus accessi, vt quidquid imperaueris, exequar. Homo quidam perditus ac profligatus, annum iam decimum hostiam sacrosanctam gestabat è collo pendentem; cuius nulla iam ferme vestigia cernebantur in charta, in qua eam inuoluerat, præter notas quasdam rubentes, instar sanguinis: hic cum concionatorem nostrum audisset ita de Eucharistia disserentem: Hoccine credibile quemquam esse mortalium, qui toto decennio letalis sibi noxæ conscius, ad sacram mensam accedat? quique sacram hostiam acceptam abiiciat in sterquilinium? Hæc, inquam, cum audisset, diuinam lucem adspexit, & magna doloris significatione, inueteratas animi sordes absterfit.

DOMVS PROBATIONIS TARRACONENSIS.

DECESSIT Vincentius Ballester coadiutor temporalis formatus, cùm modestiæ, patientiæ, atque temperantiæ exemplar singulare, tùm vero præcipue caritatis, qua sic ægris cuiusuis ætatis, status, ac ordinis per decennium, varijs in locis ministrauit, vt nullis parceret laboribus, neque diurnis neque nocturnis. Ad omnium etiam naturam ac mores sese fingebat: omnium molestias sine fastidio deuorabat: naturæ denique lenitate, & affabilitate sermonis solabatur omnes. Matrona quædam perhonesta multis ciuibus vrbe profugis, quod sibi vnigenam filium occidissent, Patris cuiusdam suasu, remisit exilium. Circumiectis etiam vrbi locis, nostrorum profuit in-

Digitized by Google

dustria: Quidam à multis annis confessionis sacramento sese priuarat, quod à sceleris socio didicerat, satis esse cum dolore detestari peccata: ne si illa detegeret confessario, infamiæ notam ipsi inureret, atque adeo cogerentur ambo abstinere flagitio. Sed tanto errore liberatus, aduentu nostrorum, sacrum animorum lauacrum adijt, nefaria illa societate dirempta. Alius cum crebris sacrilegijs inficeret animum, vbi ceteri eundem expiare solent, sacram hostiam, cum eam ori admouebat impuro, nigro tinctam colore cernebat; sed luce concionũ, omnis ex animo & oculis absterſa caligo. Quidam alius auri cupiditate societatem dæmonis expetens, ab ea mente, speque depulsus est.

COLLEGIVM VRGELLENSE, ILERDENSE, ET BALEARICVM.

VIs morbi grassantis nostros Vrgellæ domi fere continuit ad autumnum: vt mirum videri non debeat, minus vberem esse huius anni prouentum. Nec tamen nullus omnino fuit: nam & iacta fundamenta Collegij noui, & templi interiora perfecta trecentorum aureorum accessione, quos nobis fundator attribuit; & Pagi vicinores paganorum bono lustrati. Ad scholarum etiam dignitatem non parum splendoris, atque existimationis accessit Orationibus & Dialogo, alijsque exercitationibus litterarijs.

QVAM gratæ fuerint Ilerdæ conciones, ab Oratore nostro in æde summa, Quadragesimæ tempore

Digitized by Google

pore habitæ duo in primis testantur; & concursus maximus audientium, & desiderium incredibile eum apud se, quoad viueret, retinendi. De fructu vero id vnum dicam. Mater & filia, quæ pestis erant atque pernicies ciuitatis, à turpitudine abductæ. Ad verberationem vero & narrationem exempli, quæ ter fiebat hebdomadis singulis, concurrebant honestissimi quique ciues; quorum in nos amor omnibus se ex partibus ostendit. Instituta hoc anno Sodalitas Iurisconsultorum atque Theologorum, magna cum laude & approbatione ciuitatis: quæ tantam morum iuuenilium emendationem nobis gratulatur. Primus in eam nomen dedit Antistes manu sua scriptum, & ceteri deinceps pari studio atque alacritate. Creati ab eodem Præfectus Assistentes, atque Consultores è flore Gymnasij. In missionibus res gesta valde bene. Iurisjurandi abusus sublatus: pax inter multos conciliata, creber sacramentorum vsus inductus. Sacerdos quidam, cum concionatorem nostrum audisset de B. Mariæ Virginis pudicitia dicentem, non solum societatem sacrilegam abrupit ipse, sed sceleris sociam ad confessionem adduxit.

MAIORICÆ nunc primum instituta supplicatio trium dierum ante Cineralia, non minore cantorum, concionatorum, communicantium, atque precantium numero, quàm in ceteris Prouinciæ Collegijs. Affuere Pontifex cum Collegio Canonicorum & Clero, Prorex cum regio senatu & precipua nobilitate, & ex omnibus religiosis ordinibus quotidie non pauci; ex plebe vero tam multi, vt templum vel laxissimum magnam eorum partem excluderet; quo fiebat, vt nonnulli inibi ad vesperum manerent impransi.

Bacchan-

Digitized by Google

Bacchantium per eos dies non modo repressus est furor, sed etiam omnino compressus. Nam si qui forte laruas induissent, ij præ solitudine easdē illico ponere cogebantur. In missionibus item præclare posita nostrorum opera. In duobus duntaxat oppidis millenæ quinæ confessiones, & in his multæ generales, exceptæ. Quidam audita concione de caritate Christiana aduersus inimicos, non solum libenter ignouit ei, cuius necem, ab eo accepti vulneris caussa, iamdiu coquebat animo, sed Tabellionis etiam manu id constare voluit apud omnes. Alibi vero cum vulgo iactassent inuidi, nostros per speciem quidem Iubilæi, re autem vera Bullæ cruciatæ caussa eo veniisse; ita feliciter gesta res est, vt mirarentur omnes, ipso nundinarum tempore ad octingentos obijsse sacramenta. Neq; vero illud ad diuinam gloriam minus illustre, quod cum sacerdos noster valetudinis caussa secessisset in oppidum quoddā, grauissima trium seditionum incendia, quæ quindecim potissimum capitibus minabantur interitū, diuina ope restinxit. Pax publicè constituta, & mutuis amplexibus magna cum omnium voluptate, & gratulatione confirmata. Actum prætera cū viro primario, qui publicè fuerat per summam ignominiam fustibus multatus, vt eam iniuriam voluntaria obliuione deleret. Pater etiam, filijque duo superstites, filij fratrisque necem occisori remiserunt, idque tabulis publicis firmum, ac ratum esse voluere. Exhortationum & exercitationū spiritualium ope, repressa in cænobio quodam crebriora virginum velatarum colloquia cum externis, & obtrectatorum sermo liberior. In alio sedatæ discordiæ Monacharum inter se, quæ ita exarserant, vt ciues

auerterent

Digitized by Google

uerterent ab includendis in illud filiabus. Auditorum numerus ita creuit hoc anno, vt eos scholæ non capiant. Aucta etiam sacra supellex vestibus pretiosissimis. Legata etiam nobis Bibliotheca non contemnenda, à viro quodam honesto, & aurei præterea ducenti, ceteraque bona vinculo nobis ab eodem adstricta, in quibus numeratur prædium, omnium totius insulæ præstantissimum.

RESIDENTIA PERPINIANENSIS.

TRADITVR Catechismus duobus locis, eique succedit exhortatio ad circumfusam multitudinem, tanto cum fructu, quantum confessiones ostendunt. Puella, quæ apud nos frequenter obit sacramenta, vnius sponsi cælestis impulsu voto se virginitatis obstrinxit, quo facto, in vrbe alioqui non modica, prima quasi signum aliquod æqualibus suis sustulit perpetuæ continentiæ. Nec defuere certamina cum matre cognatisque, qui eam in Matrimonium locare cupiebant. Sed vt illius lacrymas, horumque blanditias ac minas, ita oblata connubia diuę Agnetis armis instructa neglexit. Quin etiam affirmauit si reges essent, aut Monarchæ, qui se vxorem expeterent, tamen se in data Christo fide mansuram; quod si Pontificia auctoritate voti religione solueretur, idem rursus sine cunctatione facturam. Ad hæc multorum rei familiari, famæ, vitæ, solatioque prouisum. Quidam à meditata & imperata nece destitit, suasu nostrorum. Alius, qui nefario periurio

Digitized by Google

iurio hominem innocentem, reum fecerat cædis alienæ, retexuit orationem, eumque liberauit è præsenti vitæ periculo. Domus quædam magnis erat infesta terroribus: ingens strepitus passim audiebatur: crebri lapidum iactus visebantur: accumbentibus mensæ domesticis, terra adspergebantur cibi: tota denique domus suis dimoueri sedibus videbatur: accitus eo sacerdos noster, cum rei causſam diligenter inuestigasset, omnium, qui in ea versabantur, animos rite primum expiari iussit, deinde fieri sacrificia pro illius manibus, quem terroris illius credebat auctorem: quibus peractis, summa quies & tranquillitas consecuta. Viginti oppida quatuor Nostrorũ excursionibus peragrata. Pœnitentibus, quorum erat ingens multitudo, Pontifex ipse, vt est pietatis, ouiumque suarum salutis studiosus, manu sua porrigebat Eucharistiam. Confessionum generalium numerus iniri non potuit. Curatum etiam vt in quadam Diœcesi Gallorum, quæ Hispaniæ fines attingit, aræ sacris ornarentur lapidibus, quibus ad eam diem omnino caruerant. Placata multorum odia. In oppido quodam Cleri discordia, ex priuatis commodis orta, oppidanorum animos vehementer offendebat. Sed cum opera nostrorum cibum vna sumpsissent omnes, & puerorum agmen, doctrinæ Christianæ præcepta decantantium, secuti oppidum obijssent, gratissimum omnibus spectaculum præbuerunt. Concionum item ope, duo ab inferenda inimicis nece deterriti. Nec defuit, qui sponte sua quæreret aduersarium, vt ad pedes eius in oculis omnium abiectus, veniam peteret. Duorum oppidorum magistratus per nuntium monuerunt

Digitized by Google

nuerunt ſacerdotes noſtros ne venirent ad ſe, quod ad alias difficultates & incommoda, accederet hoſpitij inopia: quibus illi reſponderunt, gratiſſimam ſibi fuiſſe eorum voluntatem; nihil tamen eſſe, cur de hoſpitio laborarent: ſibi enim non defuturum tugurium aliquod, *paniſque* fruſtula, ſi hoſpitalis pauperum domus forte deficeret. Vix autem vtrumque ingreſſi ſunt oppidum, cum liberaliter pro more noſtro excepti; in vno quidem à vidua ſeniore, in altero vero ab ijs ipſis, à quibus paulo ante arcebantur. Alibi etiam dæmonis adminiſtri vulgauerant, vagos nos eſſe & exules, & eiuſmodi vitæ genus ſectari, & alia permulta his ſimilia, non ſine graui Societatis nota, quam noſtrorum facile deleuit aduentus. Res familiaris amplificata, legatis teſtamento poſſeſſionibus, quæ aureis mille quingentis æſtimantur. Ad victum vero quotidianum abunde nobis ſuppetunt omnia, benignitate tum ciuitatis, tum vicinorum oppidorum.

PROVINCIA BÆTICA.

ALVIT hæc Prouincia Socios duos ſupra quingentos, duodeuiginti domicilijs, Domo Profeſſorum vna, Collegijs quindecim, Reſidentia vna, Seminario vno. In Hiſpalenſi Profeſſorum domo, duo de ſeptuaginta; in Collegio D. Ermenegildi, ſeptuaginta duo;

Digitized by Google

duo; In Seminario Anglicano decem; in Cordubenſi Collegio duo ſupra ſeptuaginta; in Granatenſi quinquaginta ſex; in Montellano cui adiunctum tyrocinium, ſexaginta; in Malacenſi viginti plus vno; in Baëzano quindecim; in Marcenenſi & Triguerenſi, vtrobique ſeptemdecim; in Aſtigitano viginti duo; in Xerenſi duodecim; in Gaditano quatuordecim; totidem in Cazorlano; in Vbedano ſeptem; in Frexenalenſi duodecim; in Guadixienſi quinque; in Reſidentia Antiquarienſi octo; Nomen dedere Societati ſex & quadraginta; viginti ſummum obiere diem.

DOMVS PROFESSORVM HISPALENSIS.

VT à feſto Dominicæ circunciſionis die ſecunda captemus auſpicia, magno is frequentium Hiſpalenſium concurſu, celebrique pompa peractus. Illuſtriſſimus Cardinalis interfuit; qui & præſentia ſua, & ſacro, Pontificio ritu ac cæremonijs facto, diei celebritatem imprimis auxit. Quin & apud nos eadem die, ſingularis humanitatis ergo pranſurus, omnia ad epulum neceſſaria, è domo ſua ſibi, noſtriſque omnibus iuſſit afferri. Inter alios laborum noſtrorum fructus hi cenſentur: Femina, non minus corporis dotibus, quàm animi turpitudine in ſignis, complures iam annos in pellicatu, atque adeo intra eoſdem cum impuro amatore parietes, peſſimo aliorum documento vixerat: Quam ille maximis alebat ſumptibus; & ancillarum, puerorumque cinxerat comitatu:

Hæc,

Digitized by Google

Hæc, cum vni forte è noſtris, pro concione acriter in vitia inuehenti, daret aures; manus tandem Deo ad ſeſe reuocanti dedit: & inueteratæ libidinis deprecatione reſipiſcens, purioris vitæ ineundæ mentem firmiſſimam induit. Haud mora: vix dum finita concione ſacerdotem adit, animi ſui complicatam notionem euoluit; orat & obſecrat, vti ſibi ſceleribus coopertæ ferat opem: confirmat millies ſe potius oppetituram mortem, quàm pedem ſemel è templi limine amplius elaturam (id erat nimirum ſacro monialium virginum domicilio continens.) Nec præſtitam fefellit fidem: perſtat ibi, pernoctatque ad ſequentem lucem; vt inde vulneri medicinam petat, vbi ſalubre vulnus accepit. Accîto igitur rurſus in templum concionatore, anteactæ vitæ ſordes maximo ſenſu apud eum deterget: eiuſque interuentu in monialium numerum mox cooptata, eo reliquis illuſtriori virtutum documento fuit, quò ſcelerum antea fuerat deteriori. Similem ſalutis exitum, non diſſimilis viuendi ratio fuit in viro quodam ſortita. Is ſeptemdecim iam annos in turpi vitiorum cæno volutatus miſere iacuerat, vel vnius ſceleris pudore præpeditus; cuius fæditas ipſa, illum à ceterorum confeſſione penitus auerterat. Cumque ad repetendum peccatum ſecundo animũ appelleret, vox ſibi immiſſa diuinitus, Tene (inquit) in dæmonis poteſtatem nefando mancipio tradi, qui obſequentiſſimus Dei præceptis eſſe debeas? Exin diuinum numen ærumnis vexare hominem, premere angoribus, & acerrimis conſcientiæ ſtimulis agitare. Hiſpalim tandem ad diuerſorium concedit. Ibi dum afflictus, mærenſque alta deprauatæ conſuetudinis cogitatione

tione defixus hęret, tetrum ipsius oculis obijcitur spectrum; simulque funesta hæc vox fertur ad aures; Quid agis miser? quin afflictam iam & ærumnosam vitam laqueo finis? Ea scilicet tibi reliqua salutis spes est. Paret ille actutum tam nefario consilio; iamque restim è diuersorij ianua appenderat (hanc sibi infelix pro patibulo elegerat ad suspendium) cùm ecce tibi libranti sese, & collum in laqueum inserere conanti, tantum subito pondus ceruicem, humerosque depressit, vt nec caput attollere, ne dum induere in nodũ vllo pacto potuerit. Desistit à suspendio inuitus: sed callidus veterator ab incepta non desistit oppugnatione. Hortatur, inducitque hominem, vt de ponte in subterfluentem se Bæthin deijciat. Nihilo segnior rem propere executioni mandat: pontem adit: quo vbi peruenit, instantem adhuc sibi vocem, & moras increpantem exaudit. Quid plura? It miser in præceps. Sed in ipso casu Beatissima sibi Virgo, cuius fuerat Conceptioni imprimis addictus, in cærula palla repente visa: quæ labentem manu prensans, Fili (inquit) ne id feceris: quo dicto disparuit. Ille è graui veluti somno expergefactus, animaduertit in superiori se ponte, vnde præceps sponte deciderat, nec opinatò sedere. Mox ad sese rediens, scelerata mente deposita, salubrius init de vita instituenda consilium. Verum dum inter spem ac metum dubius adhuc, anceps-que fluctuat; sacerdotis nostri concione permotus, animum graui peccatorum sarcina exonerauit, simulque tranquillus mansit inposterum. Alius denique ad confessarij nostri pedes prouolutus, quod medicinam eo pacto in desperato morbo facilè se assequi posse dicebat; sacerdotis lenitate

Digitized by Google

nitate ac blanditijs ad conſcientiæ nodos extricandos adductus, aſſerit ſe quadraginta iam annos natum, Geneuæ altum educatúmque, in varijs deteſtandæ hęreſeos erroribus totos traduxiſſe; diuino tandem nutu ac numine alliciente, ob miranda quędã & prodigioſa facinora, quę de catholica religione paſſim iactata ad eius aures percrebuerant, Hiſpaniã tandem cogitaſſe veræ fidei documentis imbuendum: biennium ibi poſuiſſe, rimandis Catholicorum moribus cum primis attentum: id quò cautius præſtaret, ſartoris functurum munere, in quodam Societatis Collegio aliquamdiu commoratum. Hic pijs noſtrorum meditationibus, exemplíſque curioſius inſpectis, in ſuſcepta noſtræ fidei mente penitus confirmatum; & idcirco petijſſe Hiſpalim, vt aptam iniret rationem, quò hæreticorum inſanias facilius effugeret: Quamobrem enixé ſe petere atque contendere, vt tot ſcelerum ſentinam apud ipſum liceat per confeſſionem exhaurire. Annuit ille libentiſſimè: hominem dictis permulcet, de totius vitæ peccatis patienter audit, multoſque vanæ ſuperſtitionis errores dilucide refutat. Res erat eiuſmodi, de qua ad ſacræ fidei Quæſitores eſſet neceſſariò referendum, vt eum excommunicationis nexu, quo tenebatur implicitus, explicarent. Illi pro ſingulari, qua pollent, facilitate ac clementia, rei inſtituendi & abſoluendi copiam ſacerdoti noſtro fecerunt. Qui ſalutaribus fidei pręceptis atque doctrina imbutum, è pontificia formula ritè conceptis verbis expiauit. Iuuat aliquando, obuios etiam ignotos ad confeſſionem inuitare. Quidam è noſtris ſacerdos ignotum hominem ſibi forte occurrentem, quamdiu ſe à con-

Digitized by Google

fitendo abſtinuiſſet interrogauit, & ad retegenda, ſi luberet, peccata, ſubridens inuitauit. Nec fruſtra: Accepit ille conditionem; poſtridie domum adijt noſtram; ſacerdotem iuſſit acciri; cui ingenuè faſſus eſt, ſe multos iam annos animi labes non deterſiſſe, & quidem multo plures fictè, ac ſimulatè eluiſſe. Id quod decurſo totius vitæ tempore tum demum verè, ſolideque præſtitit; Deo nimirum ex importuna ſacerdotis admonitione, opportunã eius ſalutis occaſionem captante. Voluntariæ corporis verberationes in templo noſtro interdum haberi ſolitæ (id bis minimum in hebdomada; per quadrageſimam vero ſingulis ferme diebus factitatur) adeo confluentium numero pariter ac pietate prouehuntur; vt eis, quæ hunc in vſum aſſeruantur, ſcuticis, quadringentas omnino addere fuerit opus, vix tantę multitudini ſuffecturas. Fidei Queſitoribus noſtrorum maxime deſudauit induſtria, qui, quam de noſtris exiſtimationem conceperant, perſpicuis argumentis teſtati ſunt. Cum enim celeberrimum eſſet fidei iudicium habendum, à nobis extorſere precibus, vt ſanctiſſimæ Crucis vexillum, in ipſo diei peruigilio ſolemni religioſorum omnium, clericorúmque pompæ deferendum, nos etiam ad publicum vſque proſequeremur ſuggeſtum. Atque illi beneuolentiæ & gratificationis ergo, vnum è noſtris, qui apud eos cenſoris munus obibat, geſtandæ Cruci præfecerunt, magna totius Societatis prædicatione. Duæ item mulierculæ, quæ abnegato perfidiæ crimine, quo tenebantur conſtrictæ, obfirmata mente ad ignem ſe damnari patiebantur; noſtrorum ſuaſione & ſcelus confeſſæ, & è medijs pæne flammis ereptæ.

Hiſpa-

Digitized by Google

Hiſpalenſium in nos liberalitas quò clarius hocce anno illuxit, eò plures aluit ex noſtris, creſcente nimirum tyronum numero. Quin imo ad ingentem tabulam ſatis, ſuperque eſt; quæ miro picturę decore ac varietate, multiplici auri, argenti, colorumque ornatu diſtincta, ad aram maximam propediem collocanda elaboratur. Opus, ſiue artis ſplendorem, ſiue picturæ magnitudinem ſpectes; quod, peritiorum iudicio, cum optimis quibuſque de palmæ dignitate decertet. Præcipuum domus atrium noſtrorum muneribus, & externorum communioni deſtinatum, haud exiguum accepit incrementum; viſendis martyrum è Societate picturis, vndique per ordinem diſpoſitis. Multorum beneficentia in rem ſacram augendam diligenter incubuit. Etenim præter nouies mille argenteos, quibus ſerica ac cerea ſacrum in vſum collata æſtimantur; nobilis femina Societati noſtræ prorſus deuota, Patris noſtri effigiem in ampla ſatis tabula pictoris egregij penicillo exprimi iuſſit. Huic peculiaris ara in templo noſtro dicata: veſtes præterea politiſſimæ ex ſerico, auroque textili, ab eadem femina aræ conueſtiendæ dono datæ. Quibus omnibus affabrè & accuratè perficiendis, quadringentos ſupra mille aureos liberaliſſime numerauit. Huc plurimus fit ciuium, frequenſque concurſus, opem à parente noſtro afflictis in rebus implorantium; vt ex cereis candelis, quæ ad eius altaria ſuccenſæ viſuntur, liquidò conſtat. In his præclara genere & pietate mulier, quò nocte, dieque ornatius ara perenni lucis fulgore colluceat; pulcherrimam ex argento lampada (ea quadringentos ſeptuaginta tres pependit argenteos) necnon oleum in annuos

Digitized by Google

ſumptus neceſſarium copioſè donauit. Regit hæc domus duas Sodalitates: Vnam Clericorum, alteram Nobilium. Floret vtraque numero & pietate. Prior centũ quadraginta continet. E quibus haud abs re fuerit vnius vita functi virtutem, & conformia Sodalitati exercitia ſtrictim commemorare. Erat ei in more ſingulis ferme diebus publica valetudinaria adire, ægris & cibos miniſtrare, & lectos ſternere, & dulci alloquio morbi vim, atque dolorem lenire; nullum denique non mouere lapidem, quo inueterati vitiorum frutices radicitùs præciderentur. Ea propter Regium impetrauit edictum; ne feſtis diebus, aut infames luſtri paterent fores, aut meretriculæ foras (vt aſſolent) quæſtui faciendo prodirent. Quare hiſce diebus per lictores, per ſacerdotes, per ſpectata probitate ſenes, quos ſecum ad id conuectabat, deteſtandas libidines inhibebat acerrimè. Atque hic paullatim mos, ab eodem in vniuerſam deinde Sodalitatem profectus, magna tùm laude, tùm vtilitate retinetur. Dum igitur his charitatis officijs ſtrenuam nauat operam; dum rigente hyemis glacie, dum ſæuiente æſtiui ſolis ardore, per agros & ſuburbia, diſperſa paſſim ſcorta à turpi lucro reuocaturus indagat; extremum tandem morbum, vitæ felicioris auſpicium contraxit. Ad eius cohoneſtandas exequias, plurimi ex tota vrbe, vnâ cum Sodalibus confluxere; qui demortui pedibus tenerrima cum lachrymis oſcula, ſummam ſanctitatis exiſtimationem indicantia, certatim figebant. Huius exemplum plures ex Sodalibus ſecuti, celebrioribus præſertim diebus, lupanar adeunt, aram excitant, ſericis vndique aulæis conueſtiunt; quò miſeræ mulierculæ concionem, quæ

ad

Digitized by Google

ad eas haberi solet, auidiùs exaudiant. Credas teterrimum dæmonis prostibulum, in religiosum sacellum repente immutatum. Hisce pietatis artibus, plures earum felici fraude capiuntur. Sæpe cunctæ simul, scelerum dolore & stimulis adactæ, sequenti sibi nocte ianuas præcludi iubent, vt à peccatis abstineant, & veniam ab infenso Deo, prece exposcant. Dum sacerdos ex illis ad eos, qui premuntur compedibus, concionatur, ecce tibi prouecta ætate homo confessionis ergo, nec sine lachrymis, ad eius se abijcit pedes, Verum communem confitendi formulam præmittere de more iussus, ignorationem obtendit; quippe quod totius vitæ curriculo vix ter, idque obiter & perfunctoriè præstiterit, cum sacra se Eucharistia ne vix quidem refecerit: sed singularis Dei commiseratio perditum, ac pænè desperatum, laruis & terroribus ad rectum virtutis tramitem cœperat reuocare. Quinta enim præcesserat nox, cum insomnis vigilansque intra domesticos parietes, ingentem strepitum ac fragorem auribus attonitus hauserat, horrendo clamore vociferantium: Hic iam noster est, nec manus effugiet nostras. Hæc inter, ignoti viri noua forma ad eum cursim accedens, candenti ferro, inusitatas notas, in eandem sententiam dorso impresserat. Quo ex congressu semiustulata terga, vt possent nonnihil refrigerari, nuda applicari ad parietem frequentius opus erat. Tremor, horrorque hominem prorsus inuaserant; quæ tandem, vnâ cum graui scelerum pondere, per confessionem deposuit. Inter alia pietatis munia, quæ Sodalitas hæc fructuosiùs obit; illud vel maximè annumerandum. Bacchanalium dies, vt scelera plurima arceantur, lætitiæ & voluptatis

Digitized by Google

luptatis prætextu patrari solita, apparatissimè ac magnificentissimè peragunt. Id quo solennius fiat, Conceptæ sine labe Virginis festũ, cuius subscripsere nomini, in eas reijciunt ferias. Pretiosis peristromatis ornantur parietes, tapetibus pauimentum sternitur, suauissimi afflantur odores, templum ipsum assiduo neruorum, vocum, tibiarúmque personat cantu: nobilissimi quique inuitantur, conciones per hosce dies, vespere præsertim, habentur à nostris. Quo vulgus innumerum acciti, & illecti, à blanda voluptatum titillatione facilè ad domus nostræ, rerumque sacrarum frequentationem abducuntur; vtque tantum opus felicibus auspicijs cœptum, solidiori nitatur fundamento, ex eadem Sodalitate Sacerdos, qui popularis auræ fugiens, proprium supprimi voluit nomen, centenos aureos quotannis eidem prouehendo designauit. Iam quod ad corporis castigationes spectat, ea cura studioque assumuntur, vt eorum multi parochi, laudabilem satis consuetudinem se acriter bis in hebdomada verberandi, in suos tribules inuexerint. Alij pueris, fidei documentis sedulo imbuendis, se totos penitus dicarunt. Hæc de Clericorum Sodalitate. Eadem ferme de Nobilium dici possent; sed ne tædio afficiant iterata, missa facio. Augetur in dies Sodalium & numero, & animi ardore. In his Dynastæ, ac principes viri; qui quo plus generis splendore antecellunt, eo ceteros efficacius ad sui imitationem trahunt. Singulis mensibus, festisque celebrioribus, cælesti se ferculo propalam reficiunt: multi tamẽ quintodecimo, nonnũlli octauo quoque die Eucharistiam frequentant. Semel per hebdomadam à nostro Sacerdote, seorsum ad virtutem

Digitized by Google

tutem pia cohortatione excitantur. Ægrotis, miſeriſque ope ſubueniunt; nec reliqua interim charitatis officia prætermittunt. Illuſtriſſimus Cardinalis huiuſce Vrbis Antiſtes, & optimè de Societate meritus, noſtrorum hominum ſcientiam & vitæ integritatem, vt par eſt, ſuſpiciens, vnum ſibi ex eis à confeſſionibus ſubſtituit. Eorum inſuper examinandi curam, qui ſacris initiantur ordinibus, quique ſunt in priuatas parœcias deſtinandi, noſtris commiſit. Idem cùm ceteris in rebus noſtrorum opera & induſtria vtitur; tùm in ea potiſſimùm Synodo, quam in templo maximo Hiſpalenſi, ad rerum ſacrarum inſtaurationem indixit. Nam & ſaluberrima, quæ ſanciuit, decreta, multo antè nonnullis noſtrorum impertijt; & ea ipſa die, à Sacerdote noſtro, concionem in templo maximo fieri voluit, quam vna cum Synodi decretis, typis iuſſit poſtea mandari. Claudent profeſſæ domus ſeriem, qui mortalis vitæ curſum feliciter conſummatum clauſère. Quatuor ij fuerunt; ex quibus vnus Sacerdos, Pater Ioannes de ſancta Cruz, qui Rectoris munere in Marcenenſi Collegio egregiè perfunctus, Hiſpali totius domus œconomiam pari omnium conſenſu, & voluntatum conſpiratione gerebat. Coadiutores reliqui, qui prouecta iam ætate multos in Societate annos, nec non in religioſiſſima viuendi ratione poſuerant. Sed cuiuſdam in primis nota ſatis & ſpectata, tam à domeſticis, quàm externis, vitæ ſanctimonia. Is erat Martinus de Baſſeta, integerrimus plane vir, & omni virtutum genere cumulatiſſimus. Cuius ſi præclara vellem exempla referre; ſi aſſiduam rerum diuinarum meditationem, cui nocte, dieque attentus, inter ipſa diurni

Digitized by Google

operis pensa vix vnquam animum relaxabat; si insignem humanarum rerum despicientiam, qua cuncta sibi præ Christo stercora reputabat; si incensum paupertatis studium, quo abiectissima quæque in delicijs habebat; si mira denique & inaudita, quæ sibi diuinitùs accidêre, longiorẽ texere historiam foret opus. Sed hanc mihi eximet curam, quæ in Granatensi Collegio, vbi plures egit annos, diligenter elaboratur.

COLLEGIVM HISPALENSE.

LAXIOR multò nostrorum habitatio effecta est, magna domus parte, quæ à fundamentis superiore anno erecta, hoc demùm ad culmen & cumulatè perducta. In ea triplex ambulatio longa satis, infima, media, ac suprema. Binæ illæ clausæ vndique cellis hinc inde dispertitis, commodum nostris domicilium, inferioribus præcipue cubiculis per æstatem præbent. Superior pars vndequaque patens, & agrorum prospectu pascit oculos, & auris leniter aspirantibus ceteros sensus demulcet. Cœpta ædificatio tribus coronatorũ millibus, in nos benigne collatis; progressa atque perfecta aureis sexcentis, qui nobis aliunde ex cuiusdam largitate affluxerunt. Martyrum è Societate tabulæ apprimè expressæ, ingentem decorant aulam, quę recenti ædificio, ad domesticas pijs de rebus cohortationes, media est interiecta. Quidam pro singulari, qua erga Societatem erat beneuolentia, annuos trecenûm aureorum reditus, post suum decessum prouenturos, huic Collegio

gio legauit. Pulcherrima insuper vmbella, politissimo opere nobis transmissa, quò sanctissimum Christi corpus celebri pompa decentius efferatur. Bibliothecam nobilis librorũ congeries (ij aureis statere quingenis) locupletauit. Nostrorũ vnus ingenua indole adolescens, iam iam primum artium curriculum inturus, extremum obijt diem. Cuius loco admissi in Societatem sex. E reliquis non pauci, salutis animorum curandæ cupiditate accensi, in Peruanam, ac Philippinas dimitti prouincias constanter appetiere. Sex euasere voti compotes; qui magnam sui æmulationem plurimis, desiderium omnibus iniecerunt. Nostri scholastici in plateas, viasque publicas festis diebus excurrunt. Ibi pars seruos, ac mancipia nostræ fidei præceptis imbuunt; pars infimos quosque laceros & pannosos, ad sacrum audiendum in vicinora templa compellunt. Sacerdos noster dum publica incedit via, siue casu, seu diuino potius consilio, in notum sibi hominem incidit, qui apud se olim confessioni frequentius dabat operam. Quẽ vt vidit, pia cum illo miscere colloquia, hortari & suadere, vt intermissum confitendi morem in posterum repetat. Nec plura his. Ille sacerdotẽ actutũ seuocat, retegit se eo loci ac temporis inimico, à quo grauiter fuerat læsus, insidiari; vt domo egressum, incautum & imparatum ferro adortus oppri meret; eius tamen blando sermone delinitum, vindicta iam omnino supersedere statuisse. Nil noster cunctatur: sed nefarium eius consilium supprimens, hominem aduersario in veterem reconciliauit gratiam. Qui mox iacturam in confessionibus factam, & sua, & sacerdotis ingenti cum voluptate resarciuit. Eorum Sodalitas, qui Christianæ

Christianæ fidei capitibus diligentius enodandis, peculiari obstricti officio se addixerunt, crescit, vigetque quotidie, & præclaro virtutum exemplo, complures alios tam pueros, quàm adultos excitiuit, vt facta supplicatione, suisque dispersi ordinibus, per vicos & plateas contenta voce, erectoque animo fidei elementa decantent. Videas vniuersam fere vrbem, quantacumque est, dies noctesque diuinis cantibus personare. Prouectiores ex ijs, collectitia pecunia multorum indigentium miseriam, & egestatem subleuant. Literaria res, quibus solet incrementis, adaucta. Scholastici ad mille numerantur; quorum profectus in literarum æque ac virtutum exercitatione, licet vulgatus aliás, nequaquam vulgaris. Argumento est multiplex eorum numerus, qui huiusce sæculi præstigijs vale dicto, varijs Religiosorum familijs dedere nomen. Ij quadrageni censentur. Illud, si reliqua prætermittam, neutiquam reticendum; somnium ne, an veram dixeris præsensionem. Scholasticus ad libidinem procliuior, dum nocte correptus sopore cubat; videre sibi in somnis visus est vrbem lustranti, impudicam forte feminam, muliebri comptam ornatu, factam obuiam; quam, oculorum nutu ac verborum lenocinijs allectus, ne inurbani subeat notam, paruo interuallo subsequitur; donec vijs aliquot decursis, domum meretrix ingreditur. Eo mox alacer adolescens irrumpit. Cumque propius pone ostium accessisset; illa subito pallæ inuolucrum horribili stridore abijciens, id quod erat, patefecit, execrandum scilicet cacodæmona; qui in serpentem immanissimum conuersus, adunco, proceroque rostro terrimum

terrimum fœtorem exhalabat;& imperiti iuuenis ſtultitiam irridens, ex oculis euanuit. Excitus ille præ nimio terrore, & gelido pauore perculſus, ſe ad vota, preceſque conuertit. Deinde ſacerdotem ex noſtris adiens, viſa per quietem narrat; magnoque animi ſenſu latebras conſcientiæ aperit: confirmat multò ſe aliter deinceps acturum; quod & præſtat; quando confeſſiones iam frequens inire, Xenodochia inuiſere, & alia Chriſtiano homine digna obire munia conſpicitur. Sanctiſſimæ Virginis Sodalitas, tantæ parentis ſuffulta patrocinio, alumnorum frequentia & probitate roboratur. Ad ſacram eius ſupellectilem caſula, duplexque dalmatica acceſſere, ex leui bombycino concinnatæ, aureo filo, acúque pictæ elegantiſſimè; quæ quingentis coronatis æſtimantur. Porrò Sodalium ardor nobiles adoleſcentes accendit non paucos, vt ad ipſorum numerum aggregati, eiſdem ſe officijs erga B. Virginem aſtringant. Sed nonnulli imprimis ex eodem cœtu Sacerdotes ceteris ſtimulos admouent, ſeque in omni virtutum actione abſolutum præbent exemplar. Hi noſtrorum more hominum, pro animorum ſalute excubantes, & ad ægrotos ſæpius, & ad oppida non rarò excurrunt, maximo vtrorumque emolumento. Quidam ex ijs, dum in noſocomio inopem manibus, pedibuſque debilem, ad morbi tolerantiam leniter hortatur; ita hominem amoris vinculis irretiuit, vt ad ſcelerum deteſtationem pariter & confeſſionē pertraxerit: vt, qui multos iam annos rubore ſuffuſus, grauiora peccata lethali ſilentio preſſerat, totius ſuperioris vitæ curſum accuratè retexens, mortiferum virus euomuerit. Sic animi reſtituta ſanitas, corporis quoque mitigauit

tigauit infirmitatem. Alius haud absimili cum hoste congressus, nihilo obscuriorem victoriam reportauit. Nam moribundum iam, & ad extremam cum dæmone luctam sacro oleo deliturum, eò blanditijs adduxit, vt fædissima crimina, per sexdecim omnino annos obtecta retegeret. Alius denique eodem ex Sodalitio, cuius parens fuerat violenter occisus, cum mater & consanguinei, vlciscendam acriter mortem, peruicaci animo clamitarent, nec quidquam nostrorum, aliorumque industria, qui se deprecatores adhibuerant, proficeret; ipse demũ hanc sibi suscepit prouinciam, nec destitit, donec parentes & affines ita ad clementiã flexit, vt vltro parricidæ noxam condonarent.

COLLEGIVM ANGLICANVM HISPALENSE.

QVADRAGINTA hoc anno alumni in Anglicano Seminario alti, educatique. Bini in Societatem adscripti, quorum alter proxima & compendiaria via, cœlestem in patriam breui conscendit. Sacerdos quoque è nostris migrauit in cælum, qui huius Seminarij Oeconomum laudabiliter agebat. Sex in Anglicanam expeditionem profecti; quorum suauis odor ad hoc vsque Seminarium reflatur. Multis, qui abiurata hæreticorum impietate, Catholicam religionem amplectuntur, fidei rudimenta, & sacra passim mysteria traduntur à nostris. Domestica res quingentis quadraginta coronatis locupletata; sacra, & libraria sexaginta.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM CORDVBENSE.

DIEM hîc extremum obiere duo; quorum alter ſacerdos, ſolennem quatuor votorum emiſerat profeſſionem. Coadiutor alter domeſticis intentus miniſterijs; ſed ſtrenua in primis in noſtros ęgros ſolicitudine: eorum enim aſſiduam curam annos complures diligentiſſimè geſſerat. In eorum ſuffecti locum quinque; ex quibus Scholaſtici duo, Coadiutores reliqui. Nobilium virorum cætus, qui ſub Triadis ſanctiſſimæ nomine, hoc anno primùm fuit domi noſtræ coactus, noſtrorum cohortationibus & publicis & priuatis, ſecundum Deum referri debet acceptus. Tres iam ſupra triginta continet; Haud exiguum ſanè numerum, ſi & temporis breuitatem, & Cordubenſis nobilitatis inſitam atrimoniam ſpectes. Menſibus ſingulis ſemel cæleſti ſe cibo publicè reficiunt; quod ceteros proſpicientes, atque adeò ſuſpicientes, honeſta æmulatione accendit. Alternis hebdomadis de rebus, ad maiores in virtute progreſſus ſpectantibus inter ſe conferunt; ſimulque à ſacerdote noſtro ſacra concione excipiuntur. Sub idem tempus bini conſtituuntur ex ijs, qui partim opibus, partim præſentia ſua in carcere detentos, ære alieno liberent, quo plures ex ijs opprimuntur. Sed ſolennibus præſertim Chriſti reſurgentis ferijs, inſignis eorum extitit liberalitas; quippe alienum æs à varijs contractum, ad bis mille aureos diſſoluerunt. Eiſdem quini ſuo ordine diſtributi menſtrua cibaria largè

Digitized by Google

largè ſuppeditant: alijs adhuc frequentius ſubuenientibus. Nec minus benefica Sodalium voluntas verni ieiunij tempore enituit; cum enim ad cuiuſdam è noſtris concionem publicæ ducerentur meretrices, auctore Deo & adiutore factum eſt; vt, quod alij fruſtra tentarant, cunctæ velut agmine facto confeſſionis tabella delatę, ad tutiſſimum diuinæ miſerationis portum appellerentur. Sodales igitur nulli ſibi labore, nullis ſumptibus parcendum rati, ſtipe vndique diligenter coacta, bis centum aureos ad eas in officio continendas fuere partiti. Eſt & alia antiquior in hoc Collegio Sodalitas, cui nomen à Sancto Spiritu eſt inditum; hæc alumnos centum quadraginta complexa, eiſdem ſe rebus, ac prior exercet; neque aliquam interim occaſionem de alijs promerendi intermittit. Id quod vel maximè ſunt experti, qui vinculis conſtricti aſſeruantur; ex ijs namque plus minus treceni, quos eò miſeriarũ rei familiaris iactura detruſerat, in priſtinam libertatem per eoſdem Sodales aſſerti. Xenodochij item cuiuſdam alendi onus ſuis humeris ſubiere, quod, cum nulli ſibi annui ſumptus ſuppeterent, extrema fere rerum indigentia premebatur. Huiuſce Sodalitij diplomata ex Vrbe dimiſſa, die Dominicę circumciſioni ſacro, ſolenni ritu in templo noſtro promulgata. Affuit Cordubenſis Epiſcopus; qui, quò magnificentius tanti diei celebritas ageretur, ſacrum Pontificio more fecit; & Sodales ſua præſentia confirmauit. Sacra vaſa vicies denûm aureorum æſtimatione accreuere. Perennes latices ſubterraneis fiſtulis, in prædium noſtrum ſuburbanum deducti, magna & prædij ipſius vtilitate, & noſtrorum oblectatione. Id ipſum Eccleſiaſtici

Digitized by Google

cleſiaſtici Senatus ope & auctoritate, in Collegium noſtrum propediem factitatur.

COLLEGIVM GRANATENSE.

GRANATENSIS ager fœcundas ſatis ſegetes hoc anno effudit. Nobis quidem Scholaſticos ſex ingenio tum miti, tum peracuto peperit: vno plus Coadiutores. Tres ex noſtris ad ſuperos, vt credi par eſt, euolarunt. In his Pater Georgius Gonzalez, Seminarij doctor, vir politoris literaturæ, quà Latinæ, quà Græcæ peritiſſimus. Qui tribus ſolùm, quos in Societate vixit annis, miros in rerum omnium abdicatione, & obedientia fecit progreſſus. Alter Michael de Valdiuia; qui ſexaginta plus annos natus, & vnde quadraginta Coadiutoris munere functus, demũ vita piè ſanctéque peracta, defunctus eſt. Aſſidua hic orandi conſuetudine, ita mentem ab humanis rebus abſtraxerat, vt Deum vbique preſentem, dulciſſimis frequenter verbis compellaret. Tertius denique Ioannes de Cayçedo, ſuperiori ætatis, Societatis, ac miniſterij ratione æqualis; nec vitæ integritate inferior: qui ex Hiſpalenſi domo, vbi nouitiorum magiſtri ſe comitem magna cum laude gerebat, nuper ad nos hoſpes aduenerat. Feriatis diebus videre eſt ingentem hominum numerum, qui ſcelera eluendi gratia ad nos ventitant; vix vt domus interdum poſſit capere: adeò confeſſariorum cellulæ, gymnaſia Scholaſticorum, atriumque ipſum præ conferta multitudine redundant. Nec vulgus modò, ſed quique ex primo nobilitatis

nobilitatis flore assidui domi nostræ sunt. Nobilium Sodalitas, quæ sub Beatissimæ Triadis nomine militat, mirum in modum est ad pietatem animata: ex eo præsertim die, quo diploma huc Roma aduectum, publicè fuit solenni pompa recitatum. Lætissima hæc lux vniuersæ ciuitati illuxit: Regij auditores inuitati; Præsesque ipse rem diuinam, pro sua in Societatem obseruantia, fecit, & sub finem cunctis Sodalibus cælestem panem impertijt. Alius tenuioris census hominum cœtus est, qui vnà cum duodecim sacerdotibus sexagesimum numerum conficiunt. Horum conspirationis exordia atque progressus, paucis persequi visum est, haud inutile operis argumentū. Quintus hic annus agitur, ex quo multitudo hominum bene magna festis diebus domum nostram pomeridianis horis conueniunt: qui in duas diuisi classes, pij libelli lectionem primo exaudiunt, deinde vnius è nostris cohortationem: postremo ad publica valetudinaria sese conferunt. Bis per hebdomadam ad diui Augustini rectâ contendunt, vbi Christi in crucem suffixi veneranda spectatur effigies, ibique se flagris vehementer cædunt. Præcipuis eorum iam pridem in votis erat, ad aliquam Sodalitatis normam sese effingere. Inter hæc, propter nimiam annonæ hoc biennio caritatem, animaduertunt plures ex ijs, quibus olim honesta res erat, extrema pęnè indigentia laborare. Subijt illico mentem, horum egestatem collectitia stipe subleuare. Arrisit consilium: proxima nocte, lustrant vrbem, & contenta voce victum, alendo inopi verecundo, precario exposcunt. Successit res: postridie ad sacerdotem nostrum de ea referunt. Qui pro Episcopum iubet adiri,

Digitized by Google

adiri, & facultatem ab eo impetrari : rem sibi tum vtilissimam, tum Christianis dignam hominibus videri. Exiguus hic fons adeo se vberes in riuos effudit; vt præter bissenos sacerdotes, locupletes viri circiter sexageni in id operis seriò incumbant. Triginta fermè ex ijs, dato salutationis Angelicæ signo, Mercurij ac sabbathi diebus eandem in domum coëunt. Hinc quini per vias publicas distribuuntur. Vnus è quoliber cœtu cistam humeris portat, quam reliqui vicissim subeunt. Alter, qua potest contentione, eleemosynam ad ingenuos pauperes cibandos exorat. Res felicibus auspicijs cœpta, ita Dei ope proiecta est, vt mensium non amplius septem spatio, plus mille aureos coaceruauerint. Populus non minori plausu, quam admiratione, eximiam Sodalium charitatem prosequitur : dum homines bene nummatos, sericis ac damascenis amictos, ad aliorum salutem ita feruidos agi, ferrique cernunt. Decursis celebrioribus vijs, cuncti ad Præfecti ædes se conferunt; vbi collatæ pecuniæ; rerumque ceterarum inita ratione, subductam summam ad proepiscopum sequenti luce ferunt ; orantque vti inopes sibi, nudosque præscribat, quibus ea sit pecuniarum vis eroganda. Ille peculiares designat tribus; quarum in pauperes ægrosque, parochi ipsius interuentu distribuitur. Porrò coactæ stipis caput ad calculos reuocatum, argenteos modò triginta, modò quadraginta supra centum sæpenumero conficit; subacti præterea coctique frumenti, libras aliquando quinquagenas. Verumenimvero Christi natalis peruigilio, cum ob diuturnam temporis siccitatem, pluuiæque defectum, fames Granatæ sæuiret; tanta ta-

Digitized by Google

men populi totius pietas, tanta effulsit commiseratio; vt ex numerata pecunia trecentos, sexaginta sex argenteos; ex panibus vero ducentas triginta septem libras, Sodales eadem nocte conflauerint: præter maximam farciminis, petasonis, fructuum, pomorúmque copiam. Nec defuere qui, cum pecunias offerrent omnino nullas, gladios, quibus erant succincti, inter ipsa verba collacrymati darent. Alius argentea conspicilia; pileum alius à capite detractũ, in fiscinam magno animi sensu iniecerunt. Alios denique, dum inter cænitandum prætereuntium clamorem excipiunt, ipsa eleemosynæ vox, imis infixa præcordijs, penitus impulit, vt omnia ad cænam parata, in pauperum sportulam piè, ac liberaliter conferrent. Quibus ex omnibus ingens Societati laus, magna nominis existimatio dimanat, præterea nihil: cum corrogatam vndique stipem, Sodales ipsi vnâ cum proepiscopo, & parochis elargiantur. Mirum est quot, quantisque miserijs & ærumnis, sit hac vna ratione subuentum; Quot, ne diuinum numen iactura pudicitiæ læderent, fame pænè confectæ, insperata nouæ lucis vsura respirarint; Quot in matrimonium honesta ratione collocatæ, quæ cunctis sui copiam prius turpiter fecerant. Granatensis Archiepiscopus eiusmodi rem negauit, nisi ex Societatis alumnis, aliunde originem ducere potuisse. Ipsius proepiscopus, vt qui tantæ pietatis fontem satis experimento comperit, coram nostris hominibus, in hæc admixta lacrymis verba prorupit; Vel ob id vnum hoc me munere fungi gaudeo, vt tantum opus, quâ consilio, quâ auctoritate, quâ incitamento longius proueham. Regij auditores miras etiam in nos laudes

congesserc.

Digitized by Google

congeſſere. Egregij denique ex varijs religioſorum familiis concionatores, non dubitarunt pro ſuggeſto, mirificam hanc erga pauperes & egenos miſericordiam, clariſſimis teſtimonijs poſteritati conſecrare. Præter hæc, bonus Chriſti odor, quem ex ſeſe tanta charitas emittit, ita longè, latéque diffunditur; vt in hominum penetrans animos, partim acerrimis eos conſcientiæ fodiat ſtimulis; partim à turpi voluptatum cœno deterreat. Quidam impudicæ mulierculæ ita ſe diuturno concubinatui addixerat; vt plurimorum conatus faceret irritos, qui eum ab impura ſocietate fruſtra diuellere nitebantur. Hic dum ſcorto infelix noctu potitur, Sodalis clamores illac caſu, ſeu diuino potius conſilio pręteruecti, ac miſeris cibaria petentis exaudijt. Mox ſubito perfuſus horrore; Hi, inquit, in cælum alacres pergunt, nos rectâ ad inferos contendimus. Hæc cogitatio adeo mentem acriter pupugit, vt pellicem protinus tutum in receptaculum dimiſerit, & laſciuientis corporis motus ſeueriore deinceps diſciplina compreſſerit. Alius feminæ, qua abutebatur ad libidinem, panem, carnes, nummoſque ſub idem tempus deferebat. Sed obuiam repente Sodalibus factus, eorumque vocibus à propoſito retractus, omnia in ciſtam abſque cunctatione deuoluit; Præſtat (inquiens) hæc Deo, quàm dæmoni conferre, pedemque ſimul cum mente in poſterum retulit. Alius turpem quadriennij conſuetudinem, eodem ductus exemplo abiecit. Alius denique, qui litem parenti illaturus ad Granatenſem curiam aduenerat, ſodalium in alienos charitate edoctus, didicit tandem, quam ipſe in ſuos pietatem retinere deberet. Id vnum reſtabat, vt ancilla ex genere,

Digitized by Google

hæresique Turcarum (quod & præstitit) Catholicam amplecteretur fidem; asserens nimirum, eam haud dubiò veram religionem esse ducendam, in qua tanta erga inopes, abiectosque charitas exerceatur. Hæc domi: foris non minori emolumento à nostris elaboratum. Duo in aliquot oræ Granatensis oppida egressi, horridam pene & squallentem syluam, quò nunquam Societatis cultura peruaserat, tanto labore & contentione excoluerunt, vt quos initio populus falsò seueros rigidósque putaret, atque adeo præcaueret, lenitate mox, ac beneficijs allectus, nocte dieque auidissimè frequentaret. Multi à prima ætate noxas ritè expiarunt; eo pectoris animique sensu, vt cultissimæ fœminæ aurum, gemmas, mundúmque muliebrem, lacrymis affatim pro concione, & pro confessione irrigarent. Sed cuiusdam imprimis oppidi immutata repentè facies, cuius incolas, quippe feros, & incultos, vulgus Afros albos appellat. Grauissimę hic fixę inter primarios concitatæ, feliciter à nostris compositæ. Incredibilis ad conciones audiendas populi totius effusio; adeo vt nostro concionante, non domi se mulier, non senex, non in foro miles, non faber in officina possit cohibere. Nec in cassum tot abiere admonitiones, ita enim vitiorum inclinata res est, vt vbi peierandi consuetudo impunè hactenus volitarat, qui iuris dein iurandi religione se astringat, inueniatur ferè nemo. Quin & grauissimi quique ex prima nobilitate viri, quos iurandi, aut detrahendi labe coinquinari cernunt, eisdem pecuniarum mulctam dicere solent. Ex his nonnulli Granatam postea appulsi, sacras Societatis commentationes, pari & ipsorum vtilitate, & nostrorum approbatione

approbatione peregerunt. Quodque pluris æstimes, lectissimi hi flores non exaruere subitò, sed fructus vegetos æquè atque suaues pepererunt. Nam & ex Optimatibus plures in priuatam se domum quotidie subducunt, piam audituri lectionem; & templum sub vesperum petunt, vt rerum diuinarum cogitationi vacent; & honestiores pauperes, corrogata pecunia, sustentant. Domestica Collegij res hoc maximè anno aucta, & locupletata. Amplissima primum habitatio, iam diu ædificari cœpta, atque intermissa; nunc demum redintegrata contentione surgit, breui ad fastigium peruentura. Deinde nummi aurei plus quingenti à variis, nostrorum in sumptus collati; Præter trecentos alios, qui ad sacrum instrumentum accessere. Sed eximia valde, & singularis duplicis feminæ honestissimæ in nos beneficentia, quarum vna Domina Agnes de Luque, altera D. Antonia de Medrano, Patris Ildefonsi de Medrano è nostra Societate, hæc soror, illa parens; fortunarum suarum, quæ amplius quatuordecim aureorum millibus æstimantur, heredem hoc Collegium, post vtriusque obitum relinquunt. Granatensis præterea Senatus, pro summa in Societatem beneuolentia, oblonga nos muri parte nostris ædibus continente (trecentos ea pedes in longitudinem patet) vna cum fossa ac pomerio donauit. Cuius, præterquam quod area cum primis est ad recentium scholarum ædificium necessaria, parietinæ atque cœmenta ad noui operis structuram, mille aureorum compendio fuere. Maximum denique decus & ornamentum ad bibliothecam accessit, in ea plutei elegantes vndique suo ordine dispositi, & plurima librorum volumina au-

Digitized by Google

reorum quadringenum æstimatione addita.

COLLEGIVM MONTELL'ANVM CVM TYROCINIO.

PRÆCIPVA huius Collegij opera in tyronum disciplinam impenditur. Annonæ difficultas, quæ hoc potissimum anno ingruit, *nil* obstitit, quo minus scholæ nostræ auditorum aut numero, aut studio imminuerentur. Huc plurimi è toto confinio, nostros audituri præceptores coalescunt. Ex Sodalibus D. Virginis non pauci, sæculi procellis erepti, in tranquillum se religionis portum abdiderunt. Præter alia Societatis officia, quæ inita olim, pari semper constantia obeuntur; profecti aliquot è nostris in obiacentia oppida, magnum animarum quæstum retulerunt. In his sacerdos ætate, probitate, ac religione prouectus, dum aliorum saluti consulens, vicinam vrbem concionaturus adit, suam ipse in apertum obtulit discrimen; in impias enim grassatorum manus incidit, qui cum nihil, auri aut argenti, vt falso existimabant, deprehenderent, eum conuitijs, calcibus, fustibus malè acceptum ac seminudum reliquerunt.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM MALACENSE.

IACTA hic bonis auſpicijs Virginei Sodalitij fundamenta; nobiles id viros continet. Affuit celebritati Malacitanus Præſul, qui diuinam rem ſolemnibus cæremonijs fecit, Sodaleſq; omnes cæleſti conuiuio pauit, Porro Sodalitatis huius vtilitas pluribus argumentis declaratur. Quendam è Deiparæ Sodalitio, dum conſcientiæ tenebras accuratius ad confeſſionem explorat, libidinoſæ feminæ, facta repente manu, inuadunt; & pectoris arcem illicijs quatere certant: ſed ille, vbi lenioribus verbis nil ſe proficere animaduertit, arrepta Chriſti in cruce pendentis effigie, tanta vi pudicitiæ oppugnatrices repulit; vt terga ignominioſe dantes, amplius ſubſiſtere nō auderent. Alterum familiaris quidam, vt è caſtimoniæ propoſito deijceret, ad mulierum impudicarum domum inſcium, imprudentemque deduxit. Inſidijs ille atque illecebris appetitus, tantum abfuit, vt periculoſiſſimis hoſtibus ſuccumberet; vt in genua prouolutus, eas potius verborum pondere, ac grauitate ſententiarum, ad impudicitiæ deteſtationem impulerit. Cum hoc integritatis ſtudio, charitatis ardor de palma contendit. Ægris in publico valetudinario & conditos afferunt frequenter cibos, & ea ſubmiſſione ac ſolicitudine miniſtrant; vt ex laborantium numero quiſpiam, Sodalium exemplo commotus, vociferarit, lethalis ſceleris maculam abolere ſe protinus per confeſſionem velle, quam decennio ante contractam

Digitized by Google

ſtulta verecundia obtexerat. Igitur ſuperioris vitę noxis ritæ expiatis, & ſacris imbutus myſteriis, animam efflauit. Alium, quem nocturni dudum terrores, & plurimus in cubiculum lapis intempeſta nocte immiſſus, trepidum & exanimatum reddiderant, in Sodalitatem, generali præmiſſa confeſſione, cooptatum, laruæ deinceps incolumem reliquerunt. Non Sodalibus modo noſtrorum opera deſeruit, ſed ſaluti euigilat ceterorum. Plurimi abiecta ſcelerum ſarcina, faciles & expediti iter arripuere virtutis. Hæc de Sodalibus: iam de alijs. Vnus præ nimio pudore, corporis animique fauces obſtruxerat, quominus piaculum grande, multis iam annis admiſſum, ſalubri confeſſione patefaceret. Nec tamen interea Virgineum circulum quotidie percurrere, nec corpus inedia, ac verberibus macerare deſiſtit. Dum his, alijſque diſtentus, fruſtra veniam ab offenſo Deo deprecatur, conſpicuam ſemel lucem ſibi viſus eſt intueri, vocemque audire hortantem, vti crimen fateatur occultum, Deiparam nimirum Virginem impunitatem ipſi à filio aſſecuturam: ſed alia mox horrendo ſtridore perſonans, Tu vero (inquit) ne credideris tantum nefas vlla poſſe deprecatione deleri. Sed prior euicit ſententia. Itaque domum aduenit noſtram; vbi ſcelerum egeſta prorſus ſentina, propitiam ſibi, atque fautricem miſericordiæ parentem expertus eſt. Noſtrorum cura exteras etiam nationes complectitur, quæ Malacæ frequentes negotiantur, vndenoſque ex ijs ab hæretica perfidia ad veram, ſolidamque fidem traduxerũt. E Scholaſticis quidam ad alios ordines: tres ad noſtram Societatem ſe applicuerunt. Vnus migrauit

uit è vita quintum iam & septuagesimum annum agens, qui viginti quinque in domestica officia impenderat. Is erat Ioannes de Robles, adeò coram sacra Eucharistia assiduus, vt succisiuis horis ab eius conspectu nunquam decederet.

COLLEGIVM BAEZANVM.

SACERDOS noster carcerem concionaturus adiuit, tantoque animi sensu omnes pæne vinctos perculit, vt ad animos eluendos, sacramque synaxim accipiendam induxerit; multi dehinc modestius se gerere, manu globulos gestare Virgineos, à temeraria iurisiurandi consuetudine penitus abhorrere. Quadragenum dierum ieiunium complures quò peragerent vtiliùs, alternis diebus domum subiere nostram; vbi præmissa pijs de rebus collocutione, acribus se flagris ceciderunt. Id quod, ne temporis iniuria, aut insolentia intercidat, semel per annum in hebdoma agitatur. Atqui hæc nostrorum opera, hic labor nequaquam nobis inutilia, aut infœcunda fuere, siquidem binos ad literaria munera, ad domestica quaternos Societati pepererunt. Baëzani mirum est quo animorum studio, & conspiratione erga B. P. N. ferantur. Id indicant satis votiuæ tabulæ ad eius aram affixæ; necnon assidua sacra, quæ ab externis sacerdotibus inibi fieri solent; Deo sæpius piorum votis precibusque, ob Parentis nostri merita annuente, vt clarissimis argumentis testatur. Dæmones enim, ex oppressis diuturna obsidione corporibus, nonnunquam fugati. Ægrotus

Digitized by Google

ęgrotus puer ad ſanitatem diuinitus reſtitutus, ſacro vix dū ad B. Ignatij arā peracto. HONESTISSIMUS vir iliaco morbo bis tentatus, toties reliquiarum tactione conualuit. Sacerdos noſter ſolemnibus Parentis noſtris ferijs concionaturus, pridie acerbiſſimo ſtomachi dolore correptus, concionandi poteſtatem cum ſpe prorſus abiecerat; Adhibita à medicis potio, aliaque nequidquam medicamenta applicata; Iamque medicinales cucurbitæ imminebant inurendæ, cum ex Parentis ille ſanctiſſimi ſiue oſſibus, ſeu veſtimento, fruſtulū ſuppliciter oſculandum expoſcit. Mirum! vix ori admouerat, cum dolor velut præſenti numinis ope funditus euanuit, adeo vt conſtituto die domi noſtræ, ſequenti extra vrbem habuerit concionem. Hominis paralyſi laborantis diductum, diſtortumque os, ad aurem ſiniſtram miſerando ſpectaculo hæſerat. Ille B. P. noſtri meritis ac patrocinio fidens, appenſam è regione ipſius effigiem nutibus ſibi iubet afferri. Quam ſimul atque manu tetigit, os propriæ ſedi reſtitutum clara voce protulit; Sancte Ignati. Eadem obſtupeſcenti penitus brachio mox impoſita, vigorem candoremque priſtinum retulit. Alium acer vehemenſque morbus inuaſerat. Applicito igitur ex B. Ignatij veſte fruſtulo, mox ſpumas æger ingentes ore eiectabat, quæ abſcedente fruſtulo conſiſtebant. Id quater decies factitatum. Accitur medicus, qui ne quid ægrotus detrimenti capiat, diligenter prouideat, Quin imo (inquit ille) hæc eum eiectio ſecundum Deum vi morbi, atque onere eximet. Nec vana fides. Breui vegetus, valenſque effectus, recuperatam valetudinem vni Ignatio refert acceptam. Sed licet tanta eius in miſeros, ſuppliceſque

Digitized by Google

ceſque extiterit clementia, impij tamen ipſius nominis irriſores acerrimum interdum vltorem ſunt experti. Argumento ſit impudens femina; quam, dum B. P. noſtri effigiem per ludibrium & irriſionem contemnit, grauis repente morbus corripuit.

COLLEGIVM MARCENENSE.

RECENS adoleſcentium gymnaſium, quod centenos iam vicenos numerat, ſuſceptum ſtudiorum laborem, vbere ſatis fænore compenſat. E noſtro gymnaſio ſeptem ſe varijs religioſorum familijs, totidem noſtræ addixerunt. Atque præter vnum, qui in Bæthica permanſit; duo ad Peruanas, quatuor ad Philippinas Prouincias felici ſydere vela dederunt. Ex hoc quaſi fonte reliqua pietatis experimenta dimanant. Hinc voluntariæ verberationes, hinc publica Chriſtianæ legis per vias celebriores prædicatio: parentibus ſcholaſticorum mirantibus pariter, atque laudantibus optimam Societatis erga ſuos alumnos inſtitutionem. Externorum frequentia ad nos confeſſionis gratia ventitantium hoc maior, quo Ducum excellentiſſimorum, Marchionum, Comitumque illuſtriori excitantur exemplo; Qui omnes domi noſtræ cum vniuerſa familia Sacramentis crebro ſe reficiunt. Iam è noſtrorum concionibus ſiue publicis, ſeu priuatis haud paruus exiſtit fructus. Honeſtus vir ſuperioribus diebus fuit ferro ſublatus: Percuſſor è templo, quò vt inſequentium eluderet

ret manus, confugerat; fruſtra per grauiſſimos & ornatiſſimos quoſque, cædis ſibi veniam deprecati tentauerat; noſtrorum tandem ſuaſione tam occiſio, quam aureorum quadringentorum mulcta, quam ei Prætor dixerat, fuere remiſſa. Duplicis Sodalitatis initia, hoc anno poſita feliciter. Illam in oppido finitimo; hanc in Marcenenſi hoc Collegio ereximus: Cui nomen, ſtudium, operamque dedit Illuſtriſſimus Comes de Luna, Ducum Arcobrigentium genere; qui primus Sodalitio, ſuffragijs aliorum præpoſitus, ceteris vitæ integritate & candore prælucet. Huius ope & adminiculo, grauiſſima ac vulgatiſſima ſcelera, quæ paſſim quotidie ſerpebant, fuere maturè compreſſa; pellicatus diſſoluti, impudicæ aliquot feminæ & à libidinum æſtu reuocatæ, & ad legitima coniugij fœdera ab Comite ipſo dotatæ. Bis centum aurei domeſticam ſupellectilem, ſacram totidem amplificarunt: præter palliolum pulcherrimum quatuor argenteorum millibus æſtimatum, quod in ſacrarij ſumptus, ipſemet Comes ſolita munificẽtia dicauit. Mortalem vitam cum immortali commutauit P. Ioannes de Santiago, vir longè ætate proiectus, quippe ſeptuagenarius; ſed multo in pietatis & diuinæ commentationis ſtudio proiectior. Humanarum hic literarum apprimè doctus, & complures in eis tradendis conſumpſit annos; & ſenio iam, aſſiduoque labore prope exhauſtus, rhetorices tamen artem, quæ ſub eius nomine omnium teritur manibus, edidit in lucem.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM ASTIGITANVM.

EXCIPIENDIS externorum confessionibus nostrorum opera enituit; nec sine fructu, cum multi hoc pacto à veteri flagitiorum licentia resipuerint. In his quidam, qui duos & viginti annos hæc animorum respuerat medicinam, Alius lecto periculose ex morbo decumbens, nostrum accersiri iubet sacerdotem. Accurrit statim, reperit hominem longeuum iam ætate, corpore grauiter, grauius animo affectum; vi morbi pæne consumptũ, conscientiæ aculeis ac sentibus planè discrutiatũ, vtpote quem scelerum pondus decennio conflatum, ad imum fere desperationis barathrum depresserat. Sacerdos nutantem stabilire, iacentem erigere, ac perditũ recreare. Atque ille, vt recepto spiritu loqui posse cœpit, Ego vero, inquit, aduentante te, prosperè mihi omnia cessura non dubitem. Dum enim pernox, vigilansque varijs anxietatum fluctibus distrahor; quempiam ex monachorum numero euocare decreueram, qui his me nexibus expediret. Sed mihi nescio quis acriter intimo pectore reclamabat, neminẽ nisi ex vestra Societate vocandum; illum videlicet hanc mihi solicitudinem erepturum. Nec destitit donec peruinceret. Inuitus igitur, renuensque vestrum aliquem, (id quod nusquam hactenus præstiteram) venire iussi. Hæc ille; simulque venenum tot annis obbibitum eijciens, adeo placidus corpore pariter, animoque restitit; vt gestientem pectoris lætitiam cohibere vix posset:

Arreptaque

Arreptaque sæpius sacerdotis dextra; Pater (geminabat) tu mihi salutem affers; tu saluum incolumemque præstas. Vix ea; cum inter astantium manus extremum emisit spiritum. Literarum studia, quæ pestifera sæuiente lue hisce annis deferbuerant, nunc demum, scholasticis amplius trecentis, ad pristinum rediere candorem. Ex his aliquot ad varios religionum portus, vnicus ad nostram, delati. Clericorum Sodalitas, quæ nonnullis abhinc annis cœpit exordium, insignes fecit in omni pietate progressus. Sodalibus circiter quinquaginta constat: qui, vt alia omittantur, iis qui detinentur in vinculis, ea nonnunquam alacritate cibos ministrant, vt ollas etiam, fiscellas, ceteraque ad epulum necessaria, per vias publicas humeris sublata comportent. Quodq; magis mirere, scholasticis, pueriſque sociati, præcipua fidei capita, magna & vocum contentione, & populi totius admiratione per vrbem concrepant. Virginem sine originis macula conceptam, cuius nomine Sodalitas nuncupatur, sub Bacchanalium tempus eadem fere pompa, eademque de causa, ac Hispalenses, multiplici celebritate peragunt. Tanta huius Sodalitatis progressione quidam è nostris excitatus, induxit animum, vt prima nobilium cœtus fundamenta iaceret. Res erat laboris ac difficultatis plena; sed annuente Deo ardua quæque superauit; nec requieuit enim, donec florentissimum ex equestri nobilitate stabilijt Sodalitium. Scopus, officia, & vtilitas, eadem ac ceterorum Sodalium: studium ad virtutis actiones capessendas, quo recentius, eo magis incensum ac vehemens. Id cum alij non raro experti, tum ij præsertim, qui detruduntur in vincula: ex quibus

Digitized by Google

bus deni, duodeniue per hebdomadam Sodalium opera liberantur. Inflammat hic ardor multos, & honesta æmulatione sic trahit; vt fuerit iuuentus non nemo, qui pecuniarum vim sane magnam, ad eiusmodi munera exercenda Sodalitati legaret.

COLLEGIVM TRIQVERENSE, XEREZANVM, ET GADITANVM.

TRES obiere; duo domesticis officijs dabant operam; animorum tertius incolumitati & saluti. Is erat P. Balthazar Lopez? spectata virtute senex, qui quatuor & quadraginta annos apud nos, egregia cum laude traduxerat. Cernebatur in eo præ ceteris, insatiabilis quædam externos iuuandi sitis, qua audiendis confessionibus noctu diúque inhiabat. Quoque magis corporis vires ætate ingraueſcente refrixerant, hoc magis ardor animi studiúmque calebat. Societatis munia castè puréque susceptа, nõ vulgares fecere quæstus. Nam & aliquot hoc pacto ad nostram allecti consuetudinem, quam antea non parum abhorrebant; discordiæ sedatæ; odia exstincta: In quodam præsertim confinij oppido, quo Ducis Metinensis rogatu euocati nostri, & publicis & priuatis cohortationibus effecere tandem, vt diuturna dissidia inter primarios exorta, obliuioni penitus mandarentur.

CONFESSIONIS & Eucharistiæ vsus Xeresij solito frequentior. Huc omnes Ordines confluunt; sed Nobilium imprimis, qui plurimos in hac

hac vrbe est. Ijs omnibus aliquando persuasum à nostris, vt publica celebritate Christi corpus vnâ communicarent; quo & diuinum placare numen, & arenti telluri pluuiam facilius impetrare possent. Res pro votis accidit. Illi tamen nequaquam contenti, hæc pietatis documenta dedisse; vt æterni Parentis iras, gliscente fame, minitantis flecterent, celebrem instituunt supplicationem; qua totius vrbis Equites bipartiti, Christi in Cruce pendentis effigiem præferant. Exorant à P. Rectore, vt & sibimet è nostra prodire domo, & nobis per vrbem prosequi liceret euntes. Procedunt igitur linteati fere omnes, sagati nonnulli, pœnitentium ritu humiles ac demissi; ea modestia ac taciturnitate, vt ex spectantium oculis lacrymas excusserint non paucas. Porro duplex Nobilium & Clericorum Sodalitas, magnum affert ornamentum ciuitati. Illi, qui Triadis Sanctissimæ nomen sibi vendicant, indigentium subsidia accuratissimè suscipiunt; vsque adeo, vt ex eis quadragenos è custodia liberarint, binosque pauperum curatores decreuerint, qui eorum causas tueantur, & agant. Nihilo inferior Clericorum Sodalitas, aut alumnorum splendore (quippe qui Canonici & Portionarij ex eodem numero nonnulli) aut honestatis sectandæ contentione. Literarius ludus plures hoc anno capit, eorum aliqui varia sunt religiosorum ordinum instituta complexi, nostrum, duo. Sacrarium quadringentorum fuit nummûm coronatorum pretio ditatum. Etenim præter casulam pulcherrimam rigenti auro intextam, elegantissima etiam pyxis ad Christi corpus ritè asseruandum è solido argento conflata. Ad hæc leuis bombycina puero IESV opere plumario

plumario facta. Annuú item collegij vectigal vir locuples iam iam moriturus mille aureis in annos singulos legatis auxit: Cui pro insigni hac beneficentia fundatoris nomen detulimus. His & æris alieni pondus dissolutum, & domus angustiæ redditæ laxiores.

ADVENARVM imprimis saluti, qui in Gaditanum Emporium confluunt plurimi, à nostris est diligenter prospectum, Ad quos familiaritate & consuetudine facilius alliciendos, Pater quidam linguarum peritus destinatur. Collegij rem centum triginta aurei quot annis cumularunt. Gaditanus namque Senatus areæ nobis partem gratis tribuit, vbi binæ erectæ tabernæ, totidemque instauratæ, hunc nobis æstimationis censum pensitant. Præter hæc sexcentos amplius coronatos optimè de Societate meriti, in tanta fortunarum iactura nostræ non immemores, contulere.

COLLEGIVM MAZORLANVM.

DVos nobis Deus ex fratribus abstulit; attulit totidem, qui morientium desiderium compensarunt. Non Cazorlani modò, sed finitimi etiam, qui pluribus obiacent oppidis dissipati, nostrorum operæ fiunt particeps. Grauia inter oppidanos dissidia tum alias, tum bis potissimum sublata, cum aliter per Recuperatores ad id præmissos decernenda res esset. Bacchanalium celebritas hoc demum anno felicia cepit exordia. Sacer templi ornatus centum aureis excreuit, at domus suppellex octingentis, monialis cu-

Digitized by Google

iusdam obitu, quæ quas incolimus ædes perpetuo nobis nexu mancipauit. Viget maximè Cazorlæ aduersus B. P. N. Ignatium pietas ac religio: viget Parentis ipsius in Cazorlanos vicissim benignitas & gratificatio. Vtriusque argumenta perspicua satis anno superiore retuli, nunc pauca seligam è multis. Religiosæ fœminæ facies adeo erysipelate intumuerat, vt clausos omnino oculos aperire nequaquã posset, Cæterum vbi P. nostri effigiem ori suppliciter admouit; morbus, tumórque repentè abscessere, moxque grates pro tanto beneficio actura templum nostrum aduenit. Id non semel, sed quater in anno factitatum. Eidem ilium primò, lateris deinde vehementer dolore pulsatæ, post venam sæpius incisam, multáque irrita medicamenta, hæc demum cælestis medicina præsentissimam opem, salutémque tulit. Quibus illa experimentis P. nostri merita, ac beneficentiam in suos edocta, nullam de alijs benemerendi prætermittit occasionem, quin efficax id remedium desperatis eorum morbis adhibeat. Iccirco ad germanã sororem, grauissimo stomachi dolore diu laborantem, B. Ignatij mittit imaginem, simulque hortatur, vt eius auxilium fidenter imploret. Acquiescit illa dictis. Igitur vt primùm affectæ parti applicuit, votumque ritè nuncupauit; dolor in nihilum extemplò recidit. Aliam fœminæ eiusdem sororem, crebra ac diuturna vitiligo, molestus sane morbus, toto fere corpore peruaserat. At germana veteris medicinæ non immemor, consulit vti P. Sanctissimi effigiem sibi asciscat, opémque ab eo præstò futuram ne dubiter. Nihil cunctatur soror; sed certum capit in re incerta consilium. Vix dum præstiterat, cum morbi

vtriusque

Digitized by Google

vtriusque impetus numinis præsentis vi depulsus, integram deinceps, saluamque dimisit. Alia denique è vicino oppido femina, prioris consobrina, iam pridem aqua intercute miserandum in modum conflictabatur; quódque miserius longè & periculosius est, lenta phthisi prope assumpta, omni prorsus valetudinis resarciendæ destituebatur spe. Hanc inuisit consanguinea; ægritudine fractam & afflictam leni sermone solatur; labantem spem, vel collapsam potius, erigit; tantùm se B. Ignatij fidei ac patrocinio committat, cuius miranda facinora totus vbique terrarum orbis suspiciat ac veneretur. His dictis discedit. Sed illa consilij tenax, præmisso statim coniuge, Ignatij effigiem sibi afferri præcipit. Aduolat ille Cazorlam, inuenit, affert, vxoris pectori imponit. Quæ tanti hospitis aduentum improuisa valetudine præsentiens, aqueum extemplo humorem hydropis fontem, vnáque febrim cum phthisi penitus eiecit. Sospes itaque & incolumis effecta, pristinum succum, natiuumque colorem, si vnquam alias, breui ceteris stupentibus induit. Templum deinde ingressa, vt acceptam B. P. nostro referret gratiam, quadringentos ei aureos donauit.

COLLEGIVM VBEDANVM ET FREXENALENSE.

VBEDI honestæ feminæ obitu, mille nobis coronatorũ summa obuenit. Frexineti coniuges duo nobilissimi post mutuum complurium annorum conuictum, post coniugij fœdera intergrè,

grè, puréque seruata, post filios ex matrimonio susceptos, vt Deo pleniùs vacarent, nostrorum opera fecere diuortium; atque illa in sacrum monialium cœtum ingressa, hic clericorum veste suscepta, literis dat operam, mox sacris ordinibus initiandus. Duplex ad nostræ domus ædificationem via, pridem nobis à Frexenalensi conuentu fuerat dedita. Nostri tempus adesse aptum rati, quarto idus octobris alteram obstruere decreuerunt, iámque erecto pænè aggere, vicinus quidam leuibus de causis, sed minus æquo, vt creditur, animo, intercedit, & opus impedire pro virili parte conatur. Causatur suæ domus pseudothyrum ad eandem spectare viam; quod tamen post hominum memoriam, luto & latere obditum omnes norant. Refert ad magistratum; reiicit hic libellos, Societatis pariter & æquitatis memor. At ille impatiens repulsæ vociferatur, nudis licet pedibus in Curiam se regiam iturum, nec destiturum, donec Regis iussu erecti proruantur parietes. Ad hæc, sequenti se nocte reseraturum posticum, & ad humum aggerem afflicturum. Conducit operas, conuocat socios & administros facinoris, nocte intempesta aggressurus. Sed mortales nequidquam machinationes parantur, cùm cælitum obstat consilium. Ignorabat infelix diuinam sibi impendere vindictam, Deúmque ipsum suorum vallum & stationes defendere. It cubitum, mox surrecturus. Ceterum quî sanus, valensque accubuerat, summo mane exanimis, ac planè mortuus in lecto reperitur. Quodque lacrymis & commiseratione prosequendum, nullis fidei sacris præmunitus abripitur miser. Horrescunt reliqui, inopinato casu obstupefacti, & alieno capi-

te

te edocti malo incepta damnant. Foris etiam fructuosè laboratum. Nam primarios oppidi cuiusdã viros, pristinis & capitalibus inter se odijs dissidentes, sacerdos eò profectus ad mutuam conspirationem reuocauit, incredibili totius populi plausu, nostrorúmque hominum commendatione. Et aliò bini sacerdotes dimissi, exiguo dierum impendio, dici vix potest quanta fecerint animorum compendia; quot perfractis inepti pudoris repagulis, quibus miseri tenebantur obstructi, latentia pectoris arcana, animique vlcera resecanda prodiderint. In his fuit femina magno natu, quæ triginta fere annos turpe crimen erubuerat confiteri: sed pungentibus tandem, ac maiorem in modũ fodicantibus conscientię stimulis, cum semestri spacio in templum frequenter itans, opem à beatissima Virgine ardentiùs postulasset, visa est per noctem admoneri, vt Frexinetum peteret, & alicui è Societate confiteretur. Quod exequi propediem cum cogitasset, nostros adesse intellexit, auidéque conuenit, ac postridie, vt condictum erat, totius vitæ noxas integrè eluit. Quò iuuisse, diuina vox creditur. Nam ea nocte, quæ confessionem præcessit, rimanti studiosiùs latebras omnes conscientiæ, & Virginem, ne quid fallere memoriam sineret, vehementiùs imploranti, crimen aliquod nominatim suggestum est, quod in teneris annis patratum prorsùs exciderat.

Digitized by Google

COLLEGIVM GVADIXIENSE.

INCHOATA hic Sodalitas, cui ciues non pauci dedere nomen. Hi diuinis cohortationibus, pijq; libelli lectioni feriatis diebus dant operam, & corpori flagellis domando, bis per hebdomadam domum noſtram coguntur; ad ęgrotos & inuiſendos ſæpius tendunt. Quos etiam ſumma rerum difficultate laborantes, lectulis, cultricis, ſtraguliſque coëmptis magno & ægrotantium commodo, & vrbis commendatione fouerunt. Itum prætérea ad publicas frequenter cuſtodias. Ibi vinctorum corpora epulis Sodales, animos noſtri ſacris myſterijs non rarò reficiunt. Vnus ex ijs noſtrorũ opera ex ipſis pænè orci faucibus ereptus, atque adeo ex imminente ſibi morte, cui propediem addicendus inimicorum inuidia credebatur. Cauſæ inſuper inter litigantes, eæque graues compoſitæ. Æris alieni magna vis ad proprios dominos, vnde defluxerat, redijt. Femina honeſtis orta parentibus, quæ ab eorum ſplendore deſciſcens, pudicitiam turpiter in fornice proſtituerat, ad melius vitæ inſtitutum, ac domicilium traducta. Frater diſceſſit è noſtris, alius in noſtrorum numerum relatus.

RESI-

Digitized by Google

RESIDENTIA ANTIQVARIENSIS.

NOSTRI per magnæ ficcitatis & inopiæ frugum occasionem, oppidanos facile induxere, vt tributim partiti à Senatoribus ipsis ad infimos vsque cerdones, supplicationes instituerent, séque scelerum expiatione, & sacro Christi corporis ferculo aduersus cælestes iras obuallarent. Quin & quæ alternis diebus verberationes fieri solebant, eas angustiis prementibus in quotidianas transferri libuit. Sacerdotis nostri conciones, quadragesimæ præsertim tempore, ingens fuit vtilitas subsecuta. Confessiones ab ineunte ætate repetitæ complures. Quaternæ ex prostibulo mulierculæ in feminas honestissimas repente immutatæ. Pueri pias edocentur cantilenas, quò impuras & lasciuas dediscant. Id non minus vtile grandioribus, quàm iucundum. Nec defuit quispiam, qui cum noctu lethale facinus admissum, viam forte transiret, audita pueri cantiuncula, gradum à concepto scelere reuocarit. Sacerdotes bini Astapæ, quò fuerant dimissi, sesquimensem commorati, Societatis muneribus, & retibus imprimis concionum tantam piscium cepere vim, vt Astigitanis sociis annuere opus esset, ex quibus vnus eò profectus, opem laborantibus tulit. Atqui vix tres simul, ac ne vix quidem, totam extrahere valuere capturam. Nobilis imprimis puellæ perutilis & opportuna fuit vitæ retractatio. Hæc per nimiam licentiam atque lasciuiam, hominum animos ad turpem sui illexerat consuetudinem, ma-

Digitized by Google

gna populi totius offensione. Ea re parens ipsius, vt infamem & adulterinam expulerat. Sed concionatoris verbis adeo acriter illius mentem pupugit Deus, vt in fletus, lacrymasque liquata, anteactæ vitę maculas generali confessione deterserit. Perditissimus homo, qui Christianam abiurare fidem, & Mahometicam impietatem sectari præfracto animo decreuerat; à nefaria mente deterritus, & in veteri, veráque religione magis, magisque firmatus.

PROVINCIA SARDINIÆ.

NVMERAVIT hoc anno Sardinia in quinque domicilijs, quorum quatuor Collegia, & Domus vna probationis, Socios quadraginta supra centum; è quibus Sacerdotes quadraginta octo, & ex his decem Magistri, Scholastici viginti, è quorum numero sex Magistri; Coadiutores quadraginta octo; Tyrones septemdecim. In Collegiò Sassaritano quadraginta quinque; In Calaritano duobus minus. In Vallecclesiensi decem; In Algarensi duodecim; In Domo Probationis Calaritana triginta. Duo abierunt ex hac vita; quinque in Societatem cooptati sunt.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM SASSARITANVM.

SASSARITANA vinea hoc anno accuratiùs culta est, & fructus labori respondit, tùm in scholasticis omni doctrina excolendis, quorũ numerus creuit in dies, & certauit cum numero pietas, tùm etiam in omnium congregationum Sodalibus, & numero augendis, & ad omnem pietatem informandis. Maiorum congregatio vnum Societati dedit. Congregatio adolescentium & iuuenum, qui nondum vxores duxerunt, tanta pietate floret, vt quidam ex Iudicibus huius ciuitatis dixerit Patri, cui huius congregationis cura demandata est, horum adolescentium correctionẽ nullum facessere negotium; postquã enim est erecta Sodalitas, pace summa fruitur ciuitas. Quanta vero in his fuerit mutatio morum, patebit ex his, quæ acciderunt. Quidam adolescens, cum vnum ex ijs Sodalibus in compito adortus esset, aggredienti pius Sodalis dixit, Apage, meus enim ensis obtusus est: & aduersarius: Stringe, quandoquidem gestas: tum ille, Pater congregationi præpositus ita meum ensem vinxit, vt educere non valeam; vrgebat ferus aduersarius: ac tandem ille: per Deum ne sis in causa, vt tanti thesauri, quantum consequutus sum, iacturam faciam. Tunc Ecclesiasticus quidam dignitate præditus, qui idem ad Patrem congregationi præpositum, & ad Archiepiscopum rem attulit, adolescentem amplexus, ad constantiam in virtute retinendam confirmauit: Aduersarium suum reprehendit, quod illius virtute

Digitized by Google

tute abuteretur. In aliorum etiam ciuium ſalute quærenda, pro more noſtro laboratum eſt. Hęc acta ſunt domi: foris, hoc eſt in Miſſionibus, illa: pax inter multos compoſita, cuius exempla hæc ſunt. Cum Noſter Sacerdos ad ſolemnia in ruſticano templo fieri ſolita inuitatus eſſet, ſpectare quoſdam ad iniuriæ vltionem audiuit: Triginta homines venerant ſclopis armati, Pater vero diuinitus iniecta ſolertia vſus, illos ad ſui comitatum inuitauit, qui concedentes proſequuti ſunt eum vſque ad templum, in quo peſſimum illud vlciſcendi conſilium explere cogitabant. In eo enim templo ſupplicatio celebrabatur, in qua multa Sodalitia cum ſuo quodque vexillo procedere ſolebant, ac dū, quodque Sodalitium præire contenderet, inde illi rixandi anſam arriperent. Sacerdos igitur Noſter totam multitudinem ſupplicantium, in audiendo de verbo Dei ſermone detinuit. Cui omnes piè admodum, genibus flexis, lacrymaſque fundentes interfuerunt: & qui ferocium leonum inſtar exercendæ carnificinæ conſilio venerant, manſuetiſſimi, ſumma cum animorum tranquillitate, reuerſi ſunt, populo approbante, & pro tanto beneficio Deo gratias agente, Aliud huic ſimile contigit in templo quodam B. Virgini dicato, quò magna ex varijs ciuitatibus atque pagis multitudo de more concurrebat. Epiſcopus Ampurienſis cum ſacerdotem de noſtris illi templo proximum eſſe audiuiſſet, ad eum litteras dedit ſibi fore gratiſſimum, ſi eò ſermonis ad multitudinem habendi cauſa ſe conferret. Libentiſſimè paruit Pater, cuius opera volebat Deus malo imminenti occurri; Cuiuſdā enim vrbis ciues cum alijs quibuſdam paganis martio furore

Digitized by Google

furore insignibus rixati erant, & ventum erat ad arma; quinquaginta namque homines sclopis instructi ad magnam stragem edendam accurrerant: & qui offensiores in se inuicem animos habebant, imminebant in eam occasionem dæmonis arte oblatam. Pater vero cum matutinis precibus intentus propè abesset, aduolans suggestū ascendit, motum sedauit, & ad sermonem audiendum hortatus est. Cum peroratum esset, celebris vesperæ cantantur, ac maior noctis illius pars in diuinis precibus, cantibus, & peccatorum confessionibus posita est, & in sequenti die amplius sexcenti sacra synaxi participes facti sunt, gratię item actæ Angelorum Reginæ, quod ex tanto periculo erepti erant. Sublata cadauerum sepeliendorum praua quædam consuetudo, quæ mores gentium sapiebat, & sacratissimæ Eucharistiæ sumendę vsus introductus tantus, vt in Cœna Domini maioris hebdomadæ vix vnus abstinuerit, quo die de huius Sacratissimi Sacramenti institutione sermo habitus est. Subuentum fuit tum animis, tum etiam corporibus in carcere detentorum, eorumque satis egentium: ac tale demum in hoc pago incrementum pietas habuit, vt ij religiosi, qui stipis cogendæ causa eò se conferunt, plus se in eo loco fateantur accipere, quàm in alijs pagis, vel etiam ciuitatibus. Quod cum in beneficijs numerassent eius ordinis Præpositi, ad nostros agendarum gratiarum causa venerunt. Paganis autem huiusmodi valde conducit, quod sunt & acri, & ad disciplinam docili ingenio donati. Quidam vulneribus malè acceptus, cui etiam filius ereptus erat nece, interfectoribus veniam dedit. Verum vt est dæmon in his & similibus officijs impediendis

diendis assiduus, pium hominem per suos ministros, hoc, est, prauos homines, de recta sententia deducere conabatur, qui eum filij sanguinem vendidisse dicebant: sed diuinitùs doctus homo sapienter respondit, se per patrem (nostrum hominem intelligebat) Deo promisisse; filij verò sanguinem se vendidisse non alij, quàm illi, qui suorum peccatorum causa suum sanguinem effudit: & in eo consilio perseuerauit vterque coniux, ac Deum liberalem, nimirum pietatis, & bonorum humanorum auctorem, expertus est. In alio pago, ipso Die sacro assumptę virgini, neces multorum, & alia mala impendebant, idque in ipsa supplicatione, quam opportunam improbi, ad suas voluntates explendas, occasionem expectabant; at idem Pater, qui apud eos concionari solebat, cum eò peruenisset, campanæ pulsibus iussit aduocari concionem ad dei verbum in templo audiendum: quo commodissimo quidem, & præsentissimo remedio, per huiusmodi occasiones, vti solebat. Non fuit irritum consilium, nam lacrymæ, quæ malorum imminentium metu fundebantur, in peccatorum dolorem conuersæ sunt, & summa cùm pietate, tùm etiam pace sunt solemnia celebrata.

COLLEGIVM CALARITANVM.

ACCVRATVM est in animarum salute pensum, licet fuerit collegarũ numerus duorũ obitu imminutus; quorum alter erat Pater Gabriel Nunez, Prouincialis, Hispanus, Madriti-

na-

Digitized by Google

natus, in Prouintia Toletana, ex cuius obitu magnum vniuersa ciuitas doloris sensum hausit, quippe quæ singulares in eo virtutes inesse perspexerat. Quanto autè eum amore complexa fuerit, illud argumento est, quod ipse Prorex, Episcopi qui tum aderãt Calari, Consiliarij Regis, Senatus Calaritanus, Clerus, Parœciæ omnes, & aliæ religiosorum familię cum suis quæque crucibus, vt in iustis persoluendis fieri solet, humando cadaueri interfuerũt. Ac in ferenda vi morbi, quæ acris erat febris, animi constantiam & æquitatem semper præse tulit. Alter erat Pater Antiochus Mostellinus Calaritanus, confessionibus audiendis, & contionando tum in nostris domicilijs, tum etiam in pagis lustrandis assiduus; Cum enim Alensem diœcesim cum Episcopo obiret, in quodam pago Deo animam reddidit prœmia laborum acceptura. Magnus est scholasticorum numerus, nec minus est studium ad litteras perdiscendas, ardor autem ad pietatem inde cernitur; nam duodecim circiter religiosam vitam amplexi sunt, quorum quatuor sunt in nostram Societatem adscripti, & ex his duo nobili genere nati, magna cũ approbatione ciuitatis. In quatuor congregationibus magna est multitudo, & pietas viget, in ea præcipuè, quę ex Equitibus & viris primarijs constat, subleuanda inopia pauperum, inuisendo nosocomio, & carcere, in quo æris alieni causa centum circiter homines, & in his aliquot trium & quatuor annorum spatio detenti, emissi sunt, stipe ad æs alienum soluendum erogata. Composita pax est inter inimicos. Famæ, & malè partorum restitutiones factæ. Alij ex luxuriæ cœno extracti sunt. Pauperum inopia corrogata ostiatim

stipe

Digitized by Google

ſtipe ſubleuata eſt.

DOMVS PROBATIONIS CALARITANA.

VERSATI ſunt tyrones in omni & ſui contemptus, & officiorum erga proximos ægotos noſocomij, genere. In alios etiam proximos opera deriuata eſt. Ex hac Domo miſſus eſt vnus ex illis, qui in tertia probatione verſabantur, iſque Sacerdos cum ſocio, in pagum nomine Curulim Comitis rogatu, vbi magnum accenſum eſt ſtudium ad Chriſtianam pietatem, magnuſque ex concionibus ortus eſt fructus; tantus enim fuit pœnitentium numerus, vt ſex ſacerdotes confeſſionibus excipiendis occupatiſſimos habuerit, qui à prima diei luce huic officio intenti erant. Tradita eſt doctrina Chriſtiana, ad quam audiendam non tantum pueri, verum etiam viri, ſenes, atque adeo ipſe Comes & Equites, qui eum comitabantur, confluebant. Hæc officia tantam erga noſtros in animis omnium reuerentiam pepererunt, vt tanquam homines de cælo delapſos intuerentur. Vt autem fructus animarum proximior eſſet, atque conſtantior, ipſe Comes, & alij primarij viri collegium in eo pago erigere decreuerunt, & vt ad patrem noſtrum Generalem ſcriptum eſt, redditus aſſignarunt. Eodem anno ex Collegio Calaritano, & Domo probationis miſſi fuerunt tres Boſam, vt in ea Ciuitate initium fieret. Omnium, quæ noſtra Societas ſolet, officiorum genera ſunt præſtita ciuibus. Hic à quibuſdam religioſis intenta lis eſt noſtris, motu videlicet quodam proprio

Digitized by Google

proprio Summi Pontificis nos, vbi illi essent, prohiberi, quo minus Residentiæ domum instituteremus; quod & Consules, & principes ciuitatis, & reliquus populus Bosensis ægrè tulerunt, & religiosos illos contumelijs Bosenses affecerunt, arbitrati nostram causam hoc modo agendam esse. Verum nostri ad Senatum se conferentes, omnes admonuerunt se non litium, & motuum causa eò veniisse, sed vt omnibus obsequerentur, & ad pacem dissidentes adducerent; se molestè tuliisse in ea causa defendenda malorum armorum ratione eos vsos esse, quandoquidem religiosorum tam sanctæ religionis obtrectatione, Societatis causam probandam esse putabant: atque eam vnam causam satis esse, vt homines Societatis cederent ciuitate. Quam nostrorum orationem ita illi approbarunt, & laudarunt, vt supremus magistratus deinde frequenti Senatu, nostrę Societatis laudes canere non cessaret, & cuidam aduersus illos religiosos loqui volenti, occurrerit nostrorum modesta oratione doctus: patres videlicet ægrè ferre aliorum religiosorum obtrectationem.

COLLEGIVM VALLECCLESIENSE ET ALGARENSE.

COLLEGÆ suo quisque muneri in proximorum salute procuranda non defuerunt. Congregationes solitum pietatis cursum tenuerunt. Quidam prouectæ ætate cum diu Congregationi nomen dare distuliisset, homo natura quidem solutus, & vni lætitiæ deditus, tandem Deo

Digitized by Google

Deo parens, magna cum eorum, qui eum cognoscebant, approbatione in Sodalitatem adscitus est. Paucis autem diebus, postquam in veteranos relatus est, in morbum incidit, ex quo non conualuit: & antequam animam exhalaret, iterum & sæpius illud repetebat: Heu quantulo tempore meæ congregationis bono sum fruitus.

AGARIÆ Societatis munera obita sunt, vt in reliquis Collegijs. In Congregationibus lucet pietas Christiana. Scholastici, qui adhuc vna schola continebantur, in duas distributi sunt, cum applausu ciuitatis. Mulier quædam turpibus luxuriæ cogitationibus adeo vexabatur, vt cuiusdam hominis quærendi causa domo exiret aliquoties, vt suis libidinibus satisfaceret. Hæc per B. nostrum Patrem Ignatium, cui beneficium acceptum refert, ab omni molestia vendicata est.

PROVINCIA PERVANA.

ALIT hæc Prouincia ex nostris ter centum quadraginta quatuor, locis sexdecim: in his Collegia octo: Domus Probationis vna; Residentiæ septem. In Collegio Limensi quatuor & nonaginta; In Martiniano nouẽ; In Cuschensi triginta quinque; In Potosino duodeuiginti; In Platensi tredecim; In Chilensi vndeuiginti; In Quitensi quatuor & viginti. In domo Probationis, cui adiuncta Sedes S. Iacobi, triginta. In Residentia Insulensi nouem; In Panamana vndecim; Vno minus

minus in Tucumana; In S. Crucis octo; In Cartaginensi septem; In Noui Regni quatuor; quibus superaddendus qui Prouincialis vices gerit, cum duobus è nostris. Admissi ad nos viginti, amissi septem; numeratis ijs, qui in nauigatione vitam finierunt.

COLLEGIVM LIMENSE.

SOCIETATIS in salutem proximorum ministeria egregiè, vt aliâs, præstita: quia verò præcipua opera congregationibus sex promouendis impenditur, ab illarũ profectu initium faciam. Sodalitas igitur Sacerdotum non modò Sodalium numero, verum etiam ardore spiritus, præstandis de more officijs quibus dant operam, accreuit. Ciuium Sodalitas componendis ciuitatis moribus operam nauat, eóque progressa est, vt cum ante nimia esset licentia, iam timore Domini maxime contineantur. Hi charitatis opera, erga iacentes in Nosodochio ægros, strenuè nauant, diebus potissimum Virgini sacris, quibus vnâ omnes conuiuium lautè paratum, primoribus ciuitatis ministrantibus, ægris præbent. Sanctos, à quibus opem implorent, summo studio sortiuntur; eo præsertim die, qui cunctis Sanctis sacer est, tot confluxere, vt è nostris quinque eorum distributio negotium dederit: eo die distributi mille: interfuere ex Regio senatu quinque, quorum singuli pro vita functis, felicitatémque expectantibus, polliciti se iussuros sexies sacrosanctum sacrificium offerri. Expectationis Virginis festum non

Digitized by Google

minori quàm superioribus annis celebritate exornatum. Scholasticorum cœtus non minores in virtute progressus fecit: pijs ac sanctis meditationibus dant operam, eorumque non pauci sese cœnobijs dedunt. Puerorum Sodalitium curam omnem in addiscenda doctrina Christiana strenuè ponunt; ita in ea prouecti, vt vel inuerso maximæ orationis ordine interrogati, scitè respondeant, labantur nunquam. Ex Indorum Æthiopúmque Sodalitatibus, quod rudes hebetésque sint, maior labor, minor fructus, nonnullus tamen; nec prætermittendus qui ex aduenis Indis (eorũ multitudo maxima) ignaris prorsus catecheseos decerpitur. Totius anteactę vitę confessiones adeo multę, vt vnus è nostris, trecentis confitentibus aures dederit. Nobilis Indus ictum cum dæmone fœdus, cui diuinum præbebat cultum, concionibus nostrorum auditis, id vitium acriter exprobrantibus, superatis difficultatibus plurimis, animo demum per confessionem expiato, diremit. Femina corruptissimis moribus, quæque ob egregiam formam multis ruinæ occasio extiterat, in hac ciuitate, à viro nobili, posthabita clari nominis fama, domi continebatur: hæc cum sæpiùs à quodam è nostris, vt confiteretur inuitata, annuisset hac lege, vt quoties ad concionem accederet, toties pro ipsius salute sacrosanctum sacrificium offerret; accessit, nec frustra: ita námque concionibus permota est, vt contractas animi labes, multa doloris significatione, per confessionem absterserit, honestáque conquisita domo, non amplius ad turpissimum consortium redierit. Ad necem æquo animo subeundam comparati multi: In his homo Hispanus, lata capitis sententia, per mensẽ integrum

Digitized by Google

integrum acri cilicio constrictus, verberibúsque singulis noctibus cruciato corpore, excitatis miseratione spectantium animis, funestóque ex spectaculo lacrymantibus, hilari vultu, grataque animi significatione lictorem ipsum complexus, promissisque apud Deum pro beneficio precibus, supplicium subijt. Iuuant nostri in nosocomiis ægros, non sine fructu. Iacebat quidam flagitiosis moribus, nec vlla ratione adduci poterat, vt animi labes confessione deleret; ab eo cum nihil vnus è nostris suadendo extorquere posset, ad dominum confugit, orat pro mollienda hominis duritia, nec frustrà fusę preces; nondum enim Pater finierat, cum ille diuinitùs impulsus acciri iubet Patrem: ab ineunte ætate commissa aperit, sacróque oleo perunctus, non multo post obijt. Indorum nosocomium frequentant nostri maiori fructu: hic fere omnes totius anteactæ vitæ peccata, (quæ gens suopte ingenio timida, nisi in extremum deducta discrimẽ, cælare solet) manifestant. Indus quidam, quem non manifestum vitæ periculum, vt ritè confiteretur, commouerat, dum aliũ efflare animam videt, efficaciter permotus, lamentari sese iam supplicijs addictum æternis, id sua multa flagitia postulare; & proposita à Patre Dei in peccatores benignitate, asserere nullam sibi adsalutem superesse viam, non posse se sacro lustrari fonte, cum præ nimia imbecillitate non valeret ad templum accedere; existimabat enim aliter baptizari non posse. Demum à Patre rectè instructus, baptisatúsque naturæ concessit. Alter à dæmone delusus, cuius idolo, quod secum afferebat, cultum dabat, cum animaduerteret ab eo sibi multa verba data, dèque vita, quam ille felicem

cem sibi obsequentibus promiserat periclitari; idolum ex nostris cuidam confringendum, comburendúmque tradidit. Missi ex nostris aliquot ad Pagum Icensem, collectique in ipso itinere fructus: nec sine diuina prouidentia factum est, vt vbi nostri traijciendo flumini, vectores per densa nemora conquirerent, Indos duos, totidémq; feminas, ibi iam multos annos, magna christianarum rerum ignorantia commorantes, inuenirent, institueréntque, & à peccatis expiarent. Nec minor in reliquo itineris fructus, & vero in ipso pago quanto cum fœnore laboratum sit, longũ esset recensere. Conciones habitæ complures, pari concursu atque fructu; superstitiones multæ dissipatæ; confessiones totius vitæ auditæ complures; à turpi consortio seiuncti multi; bene instituti ad virtutem fere omnes. Viri duo Ecclesiastici, non sine magno reliquorum nocumento dissidentes, ita reconciliati, vt vter alterius pedes oscularetur, noua & pia exurgeret contentio. Itum etiam ad Callao (hoc nomen portui est) à duobus fratribus, qui cum octauo quoque die pedibus eò iter faciant, catechismum in maiori templo doceant, indéq; remis addictos instruant, maxime mouent spectantium animos. Vespere autẽ vndique à nostris tã Hispanis, quã Æthiopibus ad forũ coactis, catechismo exposito, concionéque habita, vnâ omnes, Prætoribus comitantibus, templum petunt; ibique vsque ad ineuntem noctem non pauci confitentur. Maior vero fructus quadragesimæ tempore, vbi tùm hominibus, tùm maximè Deo conciliantur multi. E vita discessit frater noster Martinus Garay, qui cum Quipuscoa oriundus, ætatis sexaginta, Societatis triginta complesset annos,

Digitized by Google

annos, sempérque religiosi, ac integri viri, summa alacritate parendo; procuranda, quoad posset, animorũ salute; doloribus, quibus maxime laborabat, perferendis specimen dedisset; maturus cælo, exilium istud cum illa felici patria commutauit. Quia ferè omnes qui ex Hispania venere, in hoc Collegio studiis absoluendis versantur, nõ erit abs re aliquid de eorum nauigatione breuiter attingere. Cũ igitur è portu San Lucar soluere nostri decreuissent, non sine diuino consilio, integrum ferè mensem, ad multorum animorum salute retardati sunt; ibi namq; officia multa à nostris erga pauperes variè præstita: auditæ confessiones per multos dies, magna cũ doloris significatione confitentium. Postquam autem è portu soluêre, tùm verbo, tùm maximè exemplo, proximorum saluti consultum est. Nam distributis temporibus, muneribúsque religiosæ obseruantiæ, litterarijsque exercitationibus tanto spiritus ardore institerunt; vt non esset, cur ad animorum profectum Collegium aliquod, aut probationis domus requireretur. In hac porro nauigatione amissi è nostris duo, Pater Antonius singulari pietate vir, & frater Petrus Ochoa; hic quinque menses nõ amplius vixit in Societate, eius tamen virtutis progressus, haud exigui: vt nostris se adiungeret, ingentes vicit difficultates, nec oblata facultate, vt ad remota regna discessurus, matrẽ ante salutaret; vti voluit. Iam iam morituru, habita facultate, tribus se Deo votis in Societate dicauit. Iniuit cum humani generis hoste inillo extremo discrimine, vt ex vultu, motibúsque coniectabamus, graue certamen; cuius felicis exitus argumento est, quod Christum Dominum crucem humeris

Digitized by Google

portantē, patrémque noſtrum multa martyrū corona ipſum adiuuantem, vidit. Frater vero noſter Claudius Colon, cū de eius ſalute actū eſſet à medicis, precibus Patris noſtri Ignatij, quē ipſe ſupplici ter inuocauit, vt credi par eſt, incolumis euaſit. Nec illud prætermittendum eſt, nos quinque à multis periculis diuino auxilio liberatos. In Bæti flumine phaſelus noſtros continebat, cum ſubitò nauis potentiſſimo vento acta, illum à longè obruturā inuadit, cúmque ad nos rectâ impetum faceret, iam iam acceſſura, cunctis conſternatis animo, incolumi phaſelo, roſtro tantum confracto, obliqua tranſijt. Nec à minori periculo in Panamenſi portu expediti noſtri, quippe ibi ſæuiſſima ſuborta tempeſtate, ventiſque è diuerſis partibus vnâ ruentibus pontúmque turbantibus, nauis circumagebatur tanto diſcrimine, vt nautæ amiſſo clauo, ſalutis ſpem omnem amitterent: ſed diuina benignitas eo nos periculo abſoluit, in quo non multò antè, phaſelus cum quinque & viginti hominibus naufragium fecerat. Iam in hoc etiam diuinam prouidentiam cernere licet; quidam enim ex noſtris rate vectus littus petebat, cū ecce cetus, immane maris monſtrū comparet ſubitò, à frontéque ratis ſubmerſus, emergit ad tergum, vtque timorem pauidis iam ſpectaculo animis maiorem incuteret, verſus ratem iterum ſubmerſus, tam prope emerſit, vt excitatis vndis rectores conſperſerit, quódque mirum eſt, cum mergi ſoleant in corpus procumbentes, ne ratem obrueret, recto corpore ſubmerſus eſt.

DOMVS

Digitized by Google

DOMVS PROBATIONIS ET SEDES S. IACOBI.

IN hac Probationis domo flagrans virtutum amor, summa obseruantia, mira submissio, eáque abiectissimis quibusque conquirendis amplectendisque significata; id vero præ alijs maxime student, præstantque, vt animi cogitationes singulas Superiori aperiant, qua vna re mirum est, quantum omnes in virtute proficiant.

HVIC probationis domui annexa est sedes sancti Iacobi, in qua idem qui semper fructus, eóque nunc maior, quo Prorex maiori diligentia, dispersos, ac vagos Indos ad hanc sedem reduxit; Quidam cum ad vitandam ebrietatem maxime conducere à Patre audiret, vt coram virgine matre, ab hoc genere potus, per dies aliquot abstinendum proponeret; ita se expertus est ad id præstandum paratum, vt deinceps magno, ob præteritam ebrietatem, pudore, abstinendum omnino per totum vitæ cursum decreuerit. Priuatæ cohortationes plurimum apud Indos valent. Ex ijs vnus à Patre componendæ vitæ priuatim admonitus, pedetentim recognitis anteactæ vitæ peccatis, ita id præstitit, vt per mensem integrum peccatis in memoriam reuocatis, cruciato verberibus corpore, summa integritate confessus fuerit. Alter salutis æternæ prorsus oblitus, sæpiusque diuinis reluctans impulsibus, dum de futuro iudicio concionem audit, seque nocte proxima ad illud adduci existimat, æterniſ-

Digitized by Google

que ignibus addici, totus in lacrymas effusus, dubia luce domum nostram petit, nihilque præfatus, in genua procumbit, grauiora peccata aperit, verba gemitibus intercludentibus: dein ad templum redit, sese acriter flagello verberat, rursus ad Patrem reuertitur, inchoatam confessionẽ prosequitur, tandémque absoluitur. Innumeris peccatis, quæ bacchanalibus admitti solent, supplicationibus à nostris, qua potuit celebritate, decretis, aditus intercluſus: ad eas sexcenti amplius Indi conuenerunt, pietatémque ac modestiam non in templo tantùm, sed & foris retinuerunt.

E Collegio Martiniano sedecim in varias religiones admissi, ex his in nostrã Societatem quatuor.

COLLEGIVM CVSCHENSE.

ADAVCTVS in hoc domicilio tùm scholasticorum, tùm facultatum numerus: addita enim classis, vbi ex Seminario multi, ex nostris aliquot Philosophiam discunt; Altera rursus in qua sermonem docentur tam domestici, quàm externi sacerdotes. Sodalitas immaculatæ Virginis Conceptioni consecrata, in ea colenda imprimis pollet: eius solemne festum, quo possunt, ornatu celebrant. Congregatio sacerdotum tribus iam annis in hoc Collegio instituta, nouum cœpit incrementum; numerantur in ea centum; prælucet alijs Senatus Ecclesiasticus: ad id se voto obstringunt, vt pro singulis vita functis Sodalibus binas missas quisque offerat. Ciuium Sodalitatis, sanandis huius ciuitatis moribus institutę, profectus sanè

nè maximus; cum antè corruptis essent moribus, & à rebus diuinis maximè auersi, nunc præclaris imbuti, magnum præbent reliquis ad virtutem documentum. Vigent in hac ciuitate Societatis in Indos officia, & ministeria, tùm quia eorum magna multitudo, tùm quia genere nobiles, quippe qui à clarissima Ingarum stirpe originem trahunt. Continet Sodales mille, conatus eorum accreuit concessis à summo Pontifice nouissimè iubilæis, & Episcopi in eos, quorum in numero esse, vocarique vnus ex Sodalibus dignatus est, benignitate. Quatuor dies festos percelebrant singulis annis, Circumcisi pueri, Assumptę Virginis, Resurgentis Domini, cunctorum Sanctorum. Multitudo eorum, qui hisce diebus ad sacramentum accedunt, efficit, vt quindecim dies confessionibus audiendis præmittantur. Vbi verò sacro cibo refecti, sacrúmque peractum, conuocatos vndique egenos Indos, parato cibo satis supérque reficiunt, idque præstant in septem tribus distributi, dominicis quibusque diebus anni. Cum duo senes Indi sub matrimonij prætextu, malè se feminis sociatos aperuissent, vero matrimonio sociati sunt. Vir vnus, qui debitum Deo cultum, soli, lunæ, stellisque præbuerat multos iam annos, & femina item vna, ad id vitium à fratre pertracta, ad verum Dei cultum confessione peracta, multóque cum gemitu, doloréque, de superstitione contracta traducti sunt. Duobus è nostris, per loca huic ciuitati vicina excurrentibus, occurrit femina, nocte præterita per somnium grauiter reprehensa, quod sacrificium dæmonibus obtulisset, ob idque crimen lepra infecta est, à quâ, nisi vni è nostris confiteretur, non erat expurganda; vt ipsa sibi

Digitized by Google

bi per somnium dictum affirmabat; auditáque confessione, animi pernicioſior lepra ablata est; an vero etiam corporis, cum nostri illico discessissent, sciri non potuit. Missus vnus è nostris, Episcopo suadente, in Prouinciam Auancay ad populum, cui nomen Curahuasi, stirpitùs euulsurus superstitiones multas, quæ latè sese, vt compertum erat, in agro inculto illo fundebant: eæque omnes sedula Patris cura, strenue laborantis, pluribus ingenti cum animi dolore per confessionem sanatis, stirpitus euulsæ sunt. Missi quoque è nostris aliquot Guamangã. Guamanga vero est à primis huius Regni exploratoribus condita, Limã Cuscúmque interiacens, parique ab vtraque discrimine distans ob cæli miram temperiem, telluríque fœcunditatem (in qua nullum ex fructibus, quos tellus Hispana fert, desideres) ob finitimas Indorum Prouincias maximi ab eius incolis æstimatur. Sed enim id vnum videbantur requirere, habebantque iam pridem in optatis ciues, vt nostræ Societatis Collegium instituerent; id tamen à nostris multas ob causas in aliud tempus dilatum. Ceterum vrgente Prorege, Cuschensi Episcopo, ipsíque ciuibus, vt saltem sacerdotes è nostris mitterentur missus est Lima P. Petrus à Castillo; ex hac ciuitate, P. Gregorius à Cisneros cum alio fratre. Fructus vero missionis cumulatissimè spectantium desiderijs respondit. Excepti nostri perhumaniſsimè à ciuibus, ab Indis; nullum officiorum genus, quod in salutem proximorum societas exercere assolet, prætermissum. Confessionum vero tanta frequentia, vt à danda confitentibus aure, vacare haud licuerit. Femina diù à dæmone cruciata eamque suffocare nitenti, vbi sacro fonte lustratur,

Digitized by Google

rur, nondum enim illi salutaris aqua labes abstersérat, liberata est. Nec minor extra ciuitatem de finitimis locis collectus fructus; in illis ingens ad conciones sponte venientium concursus; confessiones ab adolescentia repetitæ, auditæ quamplurimæ magnique momenti: cuiusdam præcipuè, qui multis peccandi autor & occasio extiterat, quem ita flagitiorum pœnituit, vt qui antè peccaret, nunc conuersionis ad Deum, bonorúmque operum auctor extiterit. Hosce fructus ex nuper exculto agro carpebant nostri, cum è superiorum præscripto, cunctis reclamantibus, deque discessu Patrum lachrymantibus, suum quisque Collegium repetunt: non Patrum discessus amorem, non accepti beneficij memoriam diminuit. Polliciti Collegio condendo, inter omnes, aureorum viginti millia. Ceterum eam Prouinciam Cuschensis Episcopus sibi desumpsit, dudúmque de condendo ibi, cum necessario vectigali Collegio cogitat, speramúsque factum iri magno proximorum fructu.

COLLEGIVM POTOSINVM.

IN hoc Collegio in rebus litterarijs pauci fructus; quippe cum parentes liberique auro effodiendo, non litteris studeant. Ceterum vnus è nostris quadraginta scholasticos imbuit litteris & virtute. Ministeria nostra præcipuè vigent erga Hispanos, quorum vndique multitudinem magnam huc compulit auri sacra fames. Eò intenti nostri, vt à mille laqueis quibus hominum conscientiæ

scientiæ hic maximè ob fœnerationes implicantur, mentes liberentur, vt confessiones audiant, carceribus inclusos adiuuent, præcipue in quadragesima, vbi concursus magni, magni fructus. Referam è multis aliquos singulares. Vir grauissimis oppressus peccatis, quæ per quadraginta annos inter hæreticos Mauróque contraxerat, diuini verbi fulmine ictus, commissis gemitibus lacrymis, ad pedes confessarij lethale virus euomuit, séque, ne in pristina peccata relaberetur, Religioni dicauit. Alter, amissa per ludum aleatorium pecunia, sese dæmoni, vt ægestatem vitaret, tradiderat; cúmque deinceps multa ludendo lucra fecisset, Deique immemor, peccata peccatis adijciens, in summam desperationem venisset, accessit ad vnum ex nostris, nec prius ab eo discessit, quàm per confessionem sanaretur. Id vero quod referam, est sane singulare. Inuadit hominem vlciscendæ iniuriæ cupido; tres, à quibus iniuriam acceperat, Indum habitu vestibúsque mentitus peragrata Peruana Prouincia, Regnoque Chilensi, conquirit: inuentos interficit tanta feritate, vt vnius recens auulsum cor, ipsóque calore palpitans (exhorret vel sola memoria animus) dentibus dilaceratum, deuorarit. Sed, quæ Dei est benignitas, diuinitùs ad pœnitendum impellitur, tribus diebus ab omni cibo abstinet, tandem per confessionem peccatorum vinculis, ac carcere soluitur. Iam verò in Sodalitatem Hispanorum impensus cultus, gaudet fructuum vbertate; abstinent ludis profanis; iuramenta de medio ablata; maxima in eis cura ne Deum grauiter offendant: versantur

ſanturque in pijs operibus ſumma cum laude. Ex Indico autem agro qui late ſeſe fundit, (ſunt enim hic, ſi aduenas numeremus, centum Indorum millia) lætiſſimos capimus fructus; hic per totum annum, ab audiendis confitentibus, nulla quies. Alijs vero prælucet Sodalitas pueri IESV, omni exercitatione virtutum. Ex his femina, cum ob elegantem formam à multis ſolicitata, cogeretur manere domi, ne illis exiſteret peccandi occaſio: à Domino precibus impetrauit, vt graui morbo oppreſſa, acribúſque doloribus cruciata, ita deformis redderetur, vt poſſet, omnis ſecura periculi, templum adire. Alia quædam à viro potentiſſimo multis tentata vijs, quà lenocinijs, quà minis, quà etiam ingenti pecunia oblata, reſpondit, ſe nudam ſepultum iri, ſatiúſque ſibi eſſe, vt multi ſancti fecere, ob defendendam caſtitatem quæcúnque perpeti, quàm turpitudine animum, ad ſimilitudinem Dei effectũ, inquinare. Iam de felici fratris noſtri Michaëlis Ignatij ad patriam diſceſſu. Is Pliego oriundus, (id nomen populo eſt) quinque vixit & quinquaginta annos, horum ſeptem in Societate; eius, antequam ſe nobis adderet, in ſæculo fama clara, additum vero clarior conſecuta eſt. Multos fecit in omni genere virtutum progreſſus, magna in Deum Religio, in ſacerdotes obſeruantia, in proximos charitas, doloribus perferendis patientia mira.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM PACENSE.

MIGRAVIT è vita Antonius Rodriguez, complerat ætatis trigesimum, Societatis duodecimum annum. Enituit in ipso amor in Societatem singularis, eius indefessus animus labori pepercit nulli, ingentémq; in Tucumana missione pertulit; ex ea vero, inueterata febri, huc cum redijsset, per nouem menses singulare patientiæ specimen dedit, tam flagrans eius fuit precationis studium, vt in eo multum temporis insumpserit; suum ipse obitum, vt solent homines res sibi caras, exoptabat, eumque à Domino felicem assecutus est. Operarij huius Collegij iustis de causis pauci, sed in eis duplicatus spiritus; ita se cum Indis gerunt, vt ipsi à nostris nullum officium desiderent, & nos vicissim parentum loco habeant: nec ex hoc modò, sed ex remotis locis domum nostram concurritur confessionis causa, tanto numero, vt è nostris duo, à danda confitentibus aure, cessent nunquam. Cum mirum in modum ab omni crimine caueant, ebrietatem vsque adeo fugiunt, vt, vel accedere ad loca, vbi dominari solet ebrietas, sit illis religioni. In alijs vero officijs Societatis idem cursus, idem tenor. Sed qui ex missionibus hoc anno perceptus est fructus, is est sane maximus; itum namque ad Indos finitimos, qui quoniam à Parochis longe aberant, ope nostra maxime indigebant: eam vero experti sũt, quâ data vniuersæ vitæ peccata detegentibus aure, quâ ipsos ferè omnes christianis rudimentis imbuendo,

Digitized by Google

imbuendo, id verò hoc anno præcipuum consecuti sumus, vt cùm antè per summam difficultatem instituendi Æthiopes ad templũ adducerentur, modo sponte veniant, instituantur, sacramenta frequentent. Res familiares adauctæ plurimum: quæ ad templum, sericis peristromatibus, alijsque ornamentis, quæ aureis mille sexcentis steterunt: quæ ad domicilium, nouis extructis cubiculis, itémque coëmptis ædibus precio quatuor millium & octingentorum aureorum.

COLLEGIVM PLATENSE.

IN hac ciuitate nostrorum auctoritas cùm apud ciues, tùm apud Senatum regium plurimum valet. Atque è Senatu quidem, vnus potissimè, cùm alijs in rebus, tùm maximè moribundus ostendit; quippe qui se totum resque suas, è nostris vni crediderit: cumque molesti ei essent, qui visendi gratia ipsum adibant, adesse sibi nostros vehementer optabat. Sacerdos quidam cum falsò criminaretur fratri cuidam è nostris, ipsius nomine aureorum copiam magnam esse solutam, vnde nihil ad ipsum rediisset, tantum simplex fratris responsum id negantis apud Senatum valuit, vt re benè examinata & excussa, comperta veritate, Sacerdos vehementer increpitus, frater vero noster liber euaserit. Illud vero nostrorum in vrbe autoritatem maxime commendat. Sacerdos literatus ita angebatur animo, vt ipse sibi sensim confici videretur; mirum est quantam experitur difficultatem in salutaris crucis insigni venerando, cernere

nere erat in illo, vbi hoc præstabat, incomposítos motus, vultusque toruos; ad hæc occurrere in Deum multa probra, ignominiæ, superstitiones, videri sibi illis omnibus assentiri: ceterum rem totam ex aliorum consilio, ad sacros quæsitores detulit, ij verò quà sunt prudentia, id quod res ipsa erat rati, causam ad nostros remittunt; vbi verò ad nostros accessit, vniuersæque vitæ peccata è nostris vni aperuit, eius instructus consilijs sanitati restitutus est. Hoc est in Sodalitate singulare, vt compedibus addictis, erogata ostiatim ad id pecunia, singulis diebus cibum præbeant; quæ cura, quàm grata Deo est, tam faxit ipse, vt sit perennis. Officia nostra in Indos, è quibus semper maior fructus, eadem extitere. Id verò potissimùm curatum est à nostris, quod ad hunc annum non erat in vsu, vt ad Eucharistiæ sacramentum comparentur ægri, item vt Indi catechismum ediscant sermone patrio, nam cùm antehac satis haberent eum scire Hispanicè, fiebat vt verba recitantes, res ipsas ignorarent: ex Indorum vero Societate vberior fructus, quibus non satis est, si ipsi omnia pietatis opera præstent, sed vltrà, alios ad ea traducunt, eorúmque diligentia adulti complures baptizati sunt. Celebratum festũ magna solemnitate, tam splendidũ lautúmque conuiuium in carcerem missis exhibitum, vt matrona nobilis mirata, manantibus madefacta lacrymis, dixerit: quod Indis ab Hispanis deberet, id Hispanis ab Indis exhiberi pietatis, ac miserationis documentum. Eo verò die sacro, quod est ineuntis anni felix exordium, id etiam in Nosodochio maxima liberalitate præstitum est.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM CHILENSE.

E Noſtris obijt vnus, Sebaſtianus Garcia; vixit ſeptuaginta annos, in Societate quinque. Inſignis eius cùm in omnes, tùm in ſacros ordines pietas ac liberalitas, nactæ videntur præmium, Societatis ingreſſum. Enitebat in illo cùm in Sanctos, tùm in Deum pietas; nec de diuinis rebus colloquia ſine largis lacrymarum imbribus excipiebat, nec dato ſigno ad prandium, cibum ſine labentibus lacrymis deguſtabat. Iam vero in B. Virginem mirus pietatis ardor: non niſi madentibus oculis eius Roſarium decurrebat, ex multiſque ab ea in ipſum beneficijs, illud verſabatur in ore, ſedebat in corde; ipſum ſcilicet cum parua Virginis effigie, è naufragio, in quo ſua nauis cum rebus omnibus familiaribus conflagrarat, euaſiſſe. Hanc effigiem ſeruauit multos annos; in ea ſibi perfugium & ſolatium; cum ipſa periucunda miſcebat in cellâ colloquia. Antè actę vitæ peccata, quibus abluendis iugiter ex oculis erumpebant lacrymarum fontes, mirum eſt quanto proſequebatur odio: vbi vero è vita diſceſſit, nihil tale noſtris cogitantibus, ad funera ſoluenda ſacri ordines, haud accepti ab eo beneficij immemores, ſacrificiũ miſſæ pro ipſo oblaturi conuenerũt. Templum nixum infirmis fundamentis, noſtrorum munerum ingenti incommodo corruit. Ceterum huic malo itum obuiam vtcunque; dum enim templum ex inſtituto exædificatur, conſtructæ ſunt ædes Indis, quibus à noſtris ſeiuncti ſint:

Digitized by Google

interior tamen domus, hoc est, quæ ad animi profectum, maxime adaucta: accensi nostri cœlestibus meditationibus in se, & in proximos. Societas Hispanorum ea fructus vbertate gaudet, qua semper: in hanc vt admittantur, huc multi ex locis remotis migrant; eius vero laudibus omnia personant. Dux quidam obuiam militi, huc iter facienti factus; Inuideo tibi, inquit; inuenies ibi congregationem, quam libet Angelorum potius, quam hominum appellare. Multi qui eam initio minoris duxerant, non Dei sed hominum inuentum iudicantes, mutata postmodum sententia, eidem magna animi summissione nomen dedere. Post eam vero institutam, vno ore, viri feminæque, hæ alios suos viros esse, illi alios mores ciuitatis confitentur; nullus coram Sodalibus ausit iurare, nullus proximo detrahere, quorum etiam auctoritate dissidia, inimicitiæque finem capiunt. Inueterata consuetudo ludendi, ex qua, tanquam è quodam malorum seminario, permulta vitia nascuntur, concionibus ad eam euertendam institutis, dissipata est. Exempla binis hebdomadę diebus, primis se intendentibus tenebris; referri solent, ad quæ non modò è ciuitate, sed ex finitimis locis plurimi, magnum ex illis fructum percipi confirmantes, concurrunt. Hic Indi in extrema sunt rerum Christianarum ignoratione: laboribus in ipsis ad pietatem excolendis, respondet eorum aduersus nos amor; non nisi nostris peccata aperiunt, eosque vicissim ex nostris fructus referunt, quos è paucis hic subiunctis, æstimare fas erit. Mulier cum sacro perungebatur oleo, affirmauit, vbi Pater ingressus esset, illico dæmones effugisse, pauloque post vita defuncta

functa est. Cum ab altera impetrasset, vt à turpitudine discederet, visa est illi repente moles feroci apro simillima, nebulis obducta, è femina exire; cumque præ metu numine inuocato, sese Pater reciperet, ipsa admonitu spectri, contractas labes confessione detersit. Tres Sacerdotes è nostris, è ciuitate egressi, moribundum senem inuenerunt, ille vero ad confessionem inductus atque instructus, ne à dæmone, qui sibi sæpius occurrebat, turbaretur, postulat insigne crucis, quo accepto, à dæmone liberatus, peccata à teneris repetita confessus, occubuit. Tres pueri à nostris ad baptismum adducti, abnuentes quisque parentes ita perpulerunt ad baptismum, vt quod nostri non potuerant, ipsi consequuti sint. Tredecim annorum odium, cum nullius hortatu precibusue Indus quidam deponere voluisset, cuidam è nostris manus dedit, affirmans, id ne vniuersi quidem precibus se deponere, præterquam nostris, potuisse. Tantus eorum erga nos amor. Femina nullis suasionibus, vt confiteretur locum dabat; ea Pater arte vsus, feminam alteram catechesis gnaram vocat, iubet vicissim ad interrogata respondere: eam instruit, omnia audiente ægra femina; nec frustra, diuinitus enim commota ritè confessa est. Post multas irritas confessiones, moribundus quidam sacrũ Christi corpus sumpserat, illico Patrem accersiri iubet, fatetúrque vim sibi diuinitus datã, postquam Sacramentum recepisset, vt declararet se in numero Christianorum non esse: quod vbi aperuit, ritéque baptizatus est, animam egit. Magna auctoritate vir, dum concionantem Patrem de sanctæ Catharinæ laudibus audit, aduertitque huius virginis precibus, vexatos animos

Digitized by Google

à moleſtijs liberari, ipſe varijs cogitationibus cruciatus intrinſecùs, ad eam confugit, ab eóque die ab acribus cogitationum aculeis liberatus eſt. Alius maiori quàm prior autoritate, dum forte quidam è noſtris de diuinis rebus colloquia miſcet, ita ſuccenſus eſt, vt inueteratum odium, quo alterum ob mortem fratri illatam inſectabatur, non modò poſuerit, ſed etiam pollicitus fuerit, ſe à reliquis fratribus idem impetraturum.

COLLEGIVM AREQVIPENSE.

FVIT Societas noſtra in hac olim lætiſſima, modo funeſta ciuitate plurimi habita, cùm ſemper, tùm maximè hoc luctuoſo tempore, quo in noſtris oppreſſi omnes, & ſuorum laborum ſolatium, & caſus ſubſidium experti ſunt. Ceterum in tanto laborum turbine munera noſtra, ſi non priſtinum illud robur, ſolitúmque nitorem, curſum tamen tenuerunt. Hiſpanis data opera continuis concionibus in templo, in foro. Congregatio verò in tanta rerum iactura vnicum erat afflictorum aſylum, ibi deprecationes ſupplicationéſque placando, vt ſigna portendebant, irato numini. Societatis huius Sodales nullo pietatis genere ceteris cedunt; cùm ipſa præclara indole, tùm maxime laborum vi, quæ neſcio qua ratione mentes ad Deum compellit, acres ſtimulos adhibente. Indorum Sodalitas ſemper in hac ciuitate claruit, nec defloruit pietas, quamuis inopia maicij (quo tanquam pane vtuntur, eſtque præcipuum illorum alimentum) numerus decreuit.

Digitized by Google

uit. Nullum à paucis, qui superſunt, pietatis ſpecimen deſideres. Iam verò illud in quo reliquæ Societates curam locant, diligenterq; præſtant, cura nimirũ vitandi læthale crimen, floret hic maxime; quodſi quando, vt fert humana fragilitas, labuntur, mirum eſt quantum eos pœniteat. Inda quædam, vbi ſeſe læthali labe fœdatam animaduertit, tam graui dolore correpta eſt, vt domi concluſa, cilicijs horridis cruciatum corpus acriter verberauerit, abſtinuiſſétque ab omni cibo, niſi tenero infanti, quem ipſa nutriebat, defecturum exſiccatis mammis, alimentum metueret; ceterum eo, quantum prædicta neceſſitas patiebatur, corpus fraudauit. Quàm verò fuerit Deo grata mulieris pœnitentia, ex eo licet exiſtimare, quod dum effuſo lacrymarum imbre, acrique dolore icta, verberibus corpus accipiebat; eam dæmon huc, illuc vehementer impulerit, & arreptũ è manibus flagellum extorquere contenderit: ſed eo ipſo quo illam abſterrere dæmon nitebatur, in pœnitentiæ proprosito confirmauit magis. Quidam porrò ſacerdos Indorum mores apprimè callens, affirmauit huius Societatis Sodales, vſque adeo reliquis Indis morum & elegantia, & pietate ſuperiores eſſe, vt non ex eadem natione, ſed è diuerſa penitus videantur. Poſtquam Onrate (id nomen mons habet) compreſſum cinerem euomuit, quo tam magnum terræ ſpacium, vt in ſuperioribus annuis litteris diximus, operuit; curæ ſemper nobis fuit portenta ſingula, euentáque prodigioſa mandare litteris: tùm quia per ſe ſtupenda, tùm etiam quòd ab horum augmento, decrementóue, muneris noſtri in proximos, vtilitas maxime pendet. Iam igitur exigui ſupererant acerui cinerum, ventorum

rum flatu huc illos, illucque ferente, iam sese clariorem sol aureus ostendebat, radijsque apertioribus terram fouens, occulta quoque illam virtute mirum in modum fœcundabat: iam ipsa ferax, lætioris spei plenis hominibus, pollicebatur vberiores fructus: iam oppressi ciuium animi reuiuiscentes, ac respirantes, labores exantlatos, toleratasque calamitates (vt est in rebus secundis aduersarum immemor humanus animus) obliuioni tradebant, cùm diuina maiestas semi quadrantis spatio non amplius, horrendo terræmotu hanc ciuitatem solo æquauit. Quoniam vero res est inaudita, & propter stupenda euenta memorabilis, eam aliquanto latius persequemur. Die illo, qui virginis sanctæ Catharinæ martyris festum præcurrit, hora prima & dimidia, post meridiem, tam vehementi motu concussa tellus intremuit, vt antedictam stragem ediderit. Nunquam tam vehementibus motibus in hoc Regno, in quo crebro terra concutitur, intremuisse fertur: concussit trecentarum leucarum spatium longitudine, latitudine vero septuaginta, eodem ferè momento. Is vero terræ motus tot editos, ac præcelsos montes, tamque stupendo fremitu subuertit, vt passim exanimes pænè homines, nec se pedibus sustinere valentes corruerent, nec alium quam decretorium diem, iam iam mortalibus aduentare existimarent. Indi complures, quorum apparent nulli, miserandum in modum, præcipitatis montibus intercepti, obruti sunt; manantes aquarum riui ductusque, ex quibus huius Regni alimentum, & victus extremum in modum pendet, obducti multi, exhausti plures: graue sanè damnum, cuique eo difficilius obuiam iri possit, quo plus Ingarum

garum laus & potentia, in hiſce aquæ ductibus, ab altiſſimorum montium iugis deriuandis, enituit. Illud porro mundi huius viciſſitudinis & inconſtantiæ præbeat ſpectaculum, valles ſcilicet quas paulo ante, vt hortos amænitate pleniſſimos, oculus non ſatiaretur intuendo, ſteriles iam, delapſæ terræ copia obruente, factas. Ferunt præterea fluuios aliquot per diem integrum interclusos. Nec minus ſtupenda ſæuientis maris tempeſtas; contremuere vndæ, ingentique fragore oppoſita littora velut indignabundæ præterfluentes, vnius leucæ interuallo, magna hominum iactura, agros cõplures inundarunt, nec ſemel tantum: ter fertur extra præſcripta ſibi littora defluxiſſe mare. Mira ferũt ex hoc trino maris fluxu, refluxúque contigiſſe varijs in locis. Id vero quod in portu Piſco contigit, non eſt abſimile miris illis euentis in mari Rubro, Iordaneq; fluuio editis. Diſtat hic portus à Lima leucas quinq; & triginta, frequentatur à viris nobiliſſimis; cum primum igitur contraxit ſeſe mare, vt ſunt ad nouitatem propenſi mortalium animi, confluxere vndique multi, quid rei eſſet ſpectaturi, ignari ſatis futuri euentus; extemplo igitur citiſſimo, vndiſonóque impetu in ſeſe contractum mare, oppreſſas, ac velut in globum redactas vndas, pauore perculſis trepidantium animis, late diffudit, ac diſtendit. Tunc pauore pænè exangues homines implorare numen, lamentis cuncta complere, conſilij ancipites hęrere, nec vllum ab imminentibus vndis effugium inuenire. Res ſanè mira; cùm mare, ſiniſtrum portus, dextrúmque cornu præterfluens, obuia quæque vnius ferè leucæ ſpacio inundaſſet; qua parte obruturum erat cum portu accolas, iam

iam aduentantes, ac imminentes vndas, duarum haſtarũ altitudine ſuſpenſas cohibuit, ac in ſeſe, incolumi portu, refuſum eſt. Tot mirandi euentus teſtes, quot portus accolæ. Minus feliciter cum portu Camana (diſtat à Lima Leucas triginti & ducentas) actum eſt; ibi enim ex hoc trino maris refluxu opulentiſſimi agri, cellariæ multæ, aliquot æthiopes agaſones cum ipſis mulabus, quas regebãt, quatuor præterea viri inundati ſunt. Vtque mare damni partem aliquam compenſaret, frugibus ſpoliatas valles, ingenti piſcium multitudine (inter quos apparebant multi, quorum ſpecies nunquam antè hoc in Regno repertæ) cooperuit. Et hæc tolerabilia ſunt; illa demum maior clades: nam cum vnâ plurima oppida (quorum fundamenta funditùs auulſa, eiectabat in altum horrendi terræ motus vis) ſubito corruerint, excitato denſiſſimo puluere, & ſolem obduci, vt noctem crederes; & multos ſpiritum trahere non valentes, ſuffocari neceſſe erat. Ex plurimis radicitùs euerſis oppidis, tria, quorum iactura maior, dumtaxat attingam, ac priùs de Parinacocha. Parinacocham Prouinciam frequentant complures Indi, abeſt à Lima Leucas ſeptuaginta, à mari viginti, huc ingens clades illata: ſexcentas ferunt ædes ſolo æquatas, quindecim, non amplius, relictas, eáſque tam malè affectas vt nulli ſint vſui. Dominicanę familię conuentus funditùs euerſus, obruto Superiore. Ob tantũ ac tam ſpiſſum commotum puluerem, parũ abfuit, quin ſpiritu intercluſo, homines animam agerẽt: quamuis enim opportunè egreſſi ad impluuium, periculum ruentium tectorum, parietúmque euaſerant; tamen excitati diſcrimen puluęris effugere non potuêre.

Iam

Iam vero altissimi montes tam horrendo fremitu corruebant, vt ruere cælum ipsum crederent. Tam malè vastati agri, vt accolæ omnes existiment oppidum relictum iri. Triginta homines desiderati, quâ ruentium saxorum attritu fracti, quâ euersis parietibus tectisque intercepti. Memorant flumen Ocam, satis capaci alueo, quà in mare influit proximè, per biduum exsiccatum. Nec minori calamitate Arica affecta. portus est celebris, à multisque primarijs, ac diuitibus accolis frequentatus, is vero dissitus est à Lima Leucas viginti & ducentas; hic portus trino illo maris refluxu prorsus obrutus, submersi homines supra quatuor & viginti, submergendi omnes, nisi rem subodorati, ad tutiora loca confugissent. Rerum familiarium, agrorúmque iacturæ summa aureorum decies centenis millibus æstimatur; nam eorum qui euasere multi, nihil secum præter vestem, alteri hac etiam destituti. Clamor vero & gemitus omnium, non qualis in vrbibus ab hostibus euersis, cum militaris hostilisque clamor omnia ferro flammáque miscet, sed qualis in extremo mortalium die futurus. Nec enim (vltra quàm oratione exprimi queat) horrisono fremitu sæuiens mare, aquarúmque moles, velut altissimos montes attollens, fumúmque expirans, vniuersas ædes, & obuia quæque inundans effrenata licentia, aliud spectaculum intuentibus exhibebat. Nihil tamen Arequipensi ciuitate luctuosius, hîc enim vt diximus, ingenti illius terræ motu ciuitate solo æquatâ, ita nutabant omnes, vt ne septem quidem inter se connexi, in genuáque defixi possent consistere. Inuasit eos timor ingens, ne terræ faucibus patefactis exorberentur. Excitatus

puluis

puluis ita lucem auferebat, vt velut in tenebris iacentibus nec loco mouere seſe, nec reſpirare quidem liceret interdum. Vbi verò diſſipatus puluis, non priſtinam illam ciuitatem, ſed funebre quoddam ſpectaculũ intuentibus lux oſtendit. Mirari omnes ſtupore defixi: circumſpectare omnia, nihil occurrere præter obiacentes, congeſtóſque hinc lapides, illinc confracta ligna trabeſq;, iſtinc ianuas feneſtraſq; diſciſſas, paſſim contuſos homines, paſſim percuſſos, paſſim obrutos, miſerabiliter opem implorantes, paſſim interfectos: quadraginta affirmant, præter eos, qui non dum reperti erant, interiiſſe. Tunc verò noſtri adire, alteri noſodochia, carceres alteri, aliaque loca, reliqui opem ferre oppreſſis, ſauciorum confeſſiones excipere: auditi ſunt præter ſaucios etiam multi, prolapſis ex oculis lacrymis internum dolorem animi exprimentibus. Tanta hac calamitate afflictis, oppreſſiſque, fluuius oppoſita ingenti terræ mole à monte Onrate deuolutæ, per horas ſex & triginta intercluſus, trepidationem auxit. Tunc timere omnes, ne repreſſis ac congregatis vndis, fluuius ſuper ripas effuſus popularetur agros; qui tam graui damno obuiam irent, qua ratione poſſent, deligere. Verum vbi horrendo murmure oppoſitam terræ molem fluuius diſpulerat; ſolitóque alueo in vrbem aduentabat, primùm Indas proxime ciuitatem commorantes ſtupor ingens defigit, deinde credere inopinato pauore perculſos, non ripis concluſum amnem defluentem, ſed extra eas effuſum, inſolitum fremitum edidiſſe. Ad hæc clamorem ad cælum attollere, lamentari, eaque vociferari, quæ ſolet innata imbecillitas muliebribus animis in tali præcipue euentu ſubijcere, ex-

templo

templo omnes ad clamorem ſublatum, ſomno excíti (nondum enim aurora illuxerat) pænè nudi ad forum concurrere, plorare, trepidare, nec vllo loco conſiſtere, ignariq; quo fugerent, huc, illucque curſitare. Nullus à metu liber, etiamſi multi metus illos ſuperuacuos exiſtimabant, quod eſſet fluminis alueus tam capax, vt ne per duos quidem menſes interceptum poſſet (quod ipſi metuebant) obruere ciuitatem, vſque adeo timore correptos animos, incredibilis opinio mali perturbat. Sane non alius tumultus hominum, non alia trepidatio, non alius præceps concurſus aliorum ſuper alios, altiſſima quæque loca, editioreſque montes quęritantium, quam ſi vetus illa immineret vniuerſi mortalibus inúdatio. Auditi à noſtris eo die fere omnes, vel vnum dumtaxat peccatum, quo materiã præberent abſolutioni, confitentes. Hæc in ciuitate: iam vero extra illam haud minor calamitas, paſſim terræ ingentes hiatus, maris fluxus refluxúſque magna agrorum ruina; & vt alia incommoda ſileam, viginti homines vndis abſumpti. In hoc funebri luctuoſóque die, viſus Dominus ſua in noſtris tuendis prouidentia vſus. Nam cum aliquot Patres in Rectoris cubiculum conueniſſent, deque conſtitutis in hac Prouincia obſeruandis agerent, facilis, vbi terra concutiebatur, patuit ad tuta loca exitus: quod ſi quiſque in ſuis eſſent cubiculis, ægre, nec ſine vitæ diſcrimine poſſent euadere; nam & circà erecti parietes primis terræ impulſibus corruerunt, & ipſis alia via euadere non liceret. Hic vero non eſt prætereunda ſilentio noſtrorum in noſtros charitas, nàm ex Iulienſi ſede vrbéque Cuſchenſi, quâ potuit breuitate temporis, inopiæ commeatu neceſſario

sario, aureorúmque copia peropportunè subuentum est. Illud verò ruinæ ciuitatis videtur cumulus; ciues namq; rebus familiaribus, ac omni vitæ præsidio destitutos, nullis ad propulsandas iniurias cæli tectis, tanta vis aquarum præter consuetudinem excepit, vt, quod parum supererat, ineptum prorsus vsui reliquerit. Neque id solùm damni inuectum est, verùm etiam illud grauius, quòd assiduæ pluuiæ nequaquam ædes extrui patiuntur; ex quibus omnibus huc vsque memoratis, facile datur intelligi, quantam hæc quondam opulentissima ciuitas iacturam perpessa sit.

COLLEGIVM CHITENSE.

QVÆ litteris mandanda fuerant ex hoc Collegio, quo minus missa nobis fuerint, causam crediderim loci interuallum: distat enim ab hoc Cuschensi Collegio leucas quadringentas & septuaginta. Referam tamen pauca, quæ ex varijs litteris deprompsi. Congregationem frequentant Sacerdotes maiori in dies cura, & spes nos tenet fore, vt in eam conueniant omnes. De illorũ profectu id dicam: qui congregationi nomen dedere, ita suum munus obire, vt nostris Sacerdotibus haud absimiles videantur. Quidam præcipuè Sacerdos prætérquam quod gregem suum saluberrimo doctrinę cibo pascit, cura quantum dici potest maxima, per ardua satis iter pedes ingreditur, vt dispersas oues cælestis doctrinæ pastu reficiat; composito priuata eorum lingua catechismo, complures infideles instituit, & sacro fonte lustrat.

ſtrat. Viget præcipuè in Indis huic Sacerdoti creditis, pietas in magnam matrem: ab his inſtituta Sodalitas Virgini dicata, vltróque ab illis in eam multa, nec aſpernanda dona collata. Maior labor in ſanandis mixtorum hominum (qui ab Hiſpanis patribus, Indiſque matribus ortum habent) moribus: quippe quibus deprauati mores ab origine, fere in peccato genitis, & enutritis; capimus tamen ex illis nonnullos fructus. Quidam ex his ab impudica femina variè tentatus, ſuperior extitit: alius cuius haud ſani mores, cum fortè iter faceret, prolapſo equo in profundum præcipitatus, terque quà ſuper, quà ſubter deuolutus, Virginis implorato auxilio liber euaſit, & laudabiliorem viuendi rationem inſtituit.

QVANTVS verò ex Indis, congregationis præſertim, fructus exiſtat, licebit exiſtimare ex aliquot exemplis. Mulier cui magnæ curæ erat eterna ſalus, multis cùm à domeſticis iniurijs affecta, tùm maximè quod grauius ferebat, ab Indo, quà precibus, quà illecebris, quà minis ſolicitata, ſemper ſibi conſtitit, affirmans cũ in Dei ignoratione verſabatur ſe dominum offendiſſe, nunc verò vbi ſibi per concionẽs Patrum diuinum lumen illuxerit, paſſuram potius ſeſe diſcerpi, quàm ſcelus admittere. Alia cum domum ſuam repetens inueniſſet in ea veneficum accerſitum, nec eum ab eo crimine auocare potuiſſet, ne fieret eius particeps, noctem illam extra domum traduxit. Altera cum animaduerteret à viro ſuo ſeruandam retineri Hiſpani pellicem, nec eam Indus vllis rationibus dimittere vellet; non prius domum adiuit, quàm vltrò pellex ab ea diſceſſit. Sodalium feruor ex pœnitentiæ & Euchariſtię vſu, ac præparatione

Digitized by Google

tione discipotest. Multi enim ad hanc non prius adeunt, quàm diem integrum ab omni cibo, potuque abstinuerint; alij præmittunt corporis verberationem, alij insomnem noctem in lacrymis & singultibus traducunt. Quidam ex his in animum induxerat, ab hoc cælesti cibo diu abstinere, sed cum sibi per quietem sacrosanctum Eucharistiæ mysterium apparuisset, illico sententiam mutauit. Mulier cum à dæmone horrendis persæpe spectris terreretur, nec locum vllũ quieti nanciscereturper sinceram peccatorum confessionem penitus liberata est. Altera in extremo vitæ discrimine confessionem differebat; ea verò cum per noctem in animi deliquio esset, penitusque exanimis videretur, innumeris humani generis hostibus circundatur, eam in infernum detrudere nitentibus: in tantum proinde adducta discrimẽ, virginis opem implorat, quam experta, statim confiteri decreuit. Simili quodam viso, Indus ad confessionem commotus est; is namque per somnium videbatur sibi manibus, pedibusque ligari, vt mitteretur in tenebras exteriores; cumque supplicij causam quadragesimæ prætermissam confessionem audisset, pauore plenus, precibus tempore ad pœnitendum impetrato, vni è nostris confessus est. Mulier, quæ iam extincta ab omnibus habebatur, subito erexit sese, arreptoque flagello corpus acriter verberauit; tunc mirati omnes, rogare quisque quidnam ei contigisset per illas quatuor horas; cùm penitus exanimis ab omnibus iudicabatur: tunc illa lacrymis profusis hortari præsentes, ne singularis Passionis Christi beneficij immemores essent, neue ab illo pro nobis susceptos labores irritos facerent, sibi Christum dominum

minum illo tempore, quo ſpiritu deſtituta videbatur, à planta pedis vſque ad verticem capitis vulneratum occurriſſe; ſocordiam, ingratumque animum, tantique immemorem beneficij increpuiſſe; propoſuiſſe ante oculos totius vitæ perpetrata crimina; arctam rurſus viam ad ſalutem, quam pauci tenerent, latam ad perditionem, quam multi; ſe denique, quod latam viam eſſet ingreſſa, damnatum iri: quod cum ipſa animaduerteret, effuſa in lacrymas, opera precibuſque cæleſtium mentium, duorum præſertim infantium Angelico more reſplendentium (hos ipſa à proprijs parentibus deſtitutos, lacte ſuo nutrierat) exorauit, vt vitæ tempus ad pœnitendum prorogaretur. Monentibus igitur infantibus, ne tantum beneficium obliteraret, oblata ſpecies diſceſſit: quam integri, caſtique mulieris mores ab eo die conſecuti, haud quaquam falſam inanemne oblatam ſpeciem declarant. Alias multas ſpecies eidem feminæ conſtat oblatas, eam præſertim, qua mulier paucos ante dies vita defuncta illi ſæpius occurrebat, quæ ob non ſolutam pecuniæ ſummam, in locis expiatorijs detinebatur. Fuiſſe veram ſpeciem argumento eſt, quod cum accerſitus ſacerdos è noſtris, domum eius adiret, prædixit mulier Patrem, ſacro peracto, Angelorum cœtibus circundatum, virginibuſque ſacris comitantibus, aduentare; quorum primum Patre aduentante verum compertum eſt: ſecundum, & ob miram Patris pietatē, & quod diei illius, qui ſancto Michaëli ſacer, actiones ſuas ſuperis mentibus; & quod ſabbatum erat, ſacris etiam virginibus, vt ei mos erat, dicauerat, longè eſt veriſimile. Hic idem ſacerdos, miſſus ad Indos, qui nos vocant, vberrimos

vberrimos cepit fructus; excepit complures Hispanorũ confessiones, perque summas difficultates, quà pedes, quà eques inter ingressus, catechismo in perdifficilem horum infidelium linguam traducto, ingenti labore, Indos omnes instituit, multáque distribuit, & ad templi cultum, & ad Indorum vestitum. Multa ædificata templa; superstitiones complures penitùs exstinctæ; in tanta erant omnes christianarum rerum ignoratione, vt Pater neminem, prẽter vnum aduenam Indum, fruendo cælesti conuiuio idoneum iudicaret. Hic cum post auditam confessionem, iuberetur à Patre ad Sacramentum accedere, gratias Patri habens, inquit; Ipse ego nocte præterita effusis lacrymis à Deo deprecatus sum, vt te Pater in hanc mentem impelleret: postquam enim semel naturæ concessi, non possum segniter saluti meæ consulere; rogatúsque à Patre quonam tempore vita functus esset, Vere, inquit, Pater multos iã annos è viuis cessi, integrámque diem ante tribunal sententiam auditurus adfui. Ceterum cum multi etiam examinandi adessent, iudicium meum in alterum diem productum est; interim iussus sum in carcerem conijci, ex quo tenebrosæ inferni cauernæ igni tremendo perustæ cernebantur; cúmque iterum ad iudicem reuocatus essem, admissáque scelera omnia mihi ostendisset, me grauiter reprehensum iussit ad vitam redire, cognatúmque meum, sese in peccatorum cæno volutantem, accersiri. Factum itaque est, vt eadem die, & ego redirem ad vitam, & ille graui morbo correptus demigraret. In altero oppido complures reperit Indos, quos ne Religionem Christianam susciperent, ea ratio retardabat, quòd omnes quos Christi

Digitized by Google

ſtianos eſſe animaduerterant, annuum Hiſpanis vectigal cogerentur exſoluere: at vbi Pater pollicitus eſt daturum ſeſe operam, vt quotquot Chriſtianis ſeſe adiungerent, ab ea lege eximerentur, ingenti animi lætitia conſenſum omnes præbuerunt; idque vnum ſpectant, vt quod Pater pollicitus eſt, præſcripto Senatus Regij confirmetur, quod ſi fiat ſperamus vberrimos fructus: patet enim, his ad fidem conuerſis, latiſſimus campus ad innumeras nationes, in vmbra mortis iacentes. Hinc ad vallem de la Loca tranſgreſſus idem ſacerdos, fructus ex concionibus cepit opinione ſua vberiores. Multi enim à ſuperſtitionibus vltrò auocati, exceptæ confeſſiones totius vitæ complures, inſignique in Virginem matrem pietate imbuti fere omnes; labori reſpondebat eorum amor, & cura, qua rebus noſtris conſulebant, nihil ad victum neceſſarium paſſi deſiderari. Hinc via ſatis ardua; viſurus ſacram Virginis effigiem miraculis inſignem, præaltiſque in montibus locatam Pater migrauit, cuius iucundiſſimus adſpectus, fructuſque ex confeſſionibus decerptus, labores itineris compenſauit.

SEDES IVLIENSIS

OPPIDVM hoc ſingulari Dei benignitate in dies refert lætiores fructus. Indorum pietas hoc anno maximè adaucta, eorum ad templum concurſus frequentiſſimus, vt ſingulis horis conſpiciantur in templo complures. Nec vllum iam in hoc oppido, cum in finitimis appareant multa, ſuperſtitionis veſtigium; quam ad rem puerorum

Digitized by Google

domi noſtræ educatio, inſtitutióque maximè conducit, qui ſiue matrem, ſiue Patrem in ſuperſtitione deprehenderint, illico nos certiores faciunt. Eſt hic Societas ſanctiſſimi pueri IESV inſtituta, quæ præterquam quòd à ſexcentis Indis probatæ virtutis frequentatur, adaucta eſt ijs rebus, quæ ad externum cultum pertinent; vexillis additis, cereis candelis, argenteis ſceptris, pueri IESV ſimulacro, tam elegantur ornato, vt ſi omnia numerem, in eis parandis tria millia aureorum in ſumpta ſint. Sabbathis quibúſque concurrunt omnes, audituri puriſſimæ Virgini dicatam miſſam; ea vero peracta, auditáque concione noſocomium petunt, tantáque animi alacritate inſeruiunt, vt intuentibus deuotionis affectum excitent. Bina præcipuè feſta celebrant per ſingulos annos, Circumciſionis ſcilicet, & Natalis Domini, quibus diebus cæleſti ſe pane reficiunt Indi mille ducenti. Vbi autem ſumma celebritate feſtum peractum eſt, conueniunt ad forum duo millia pauperum, quibus hæc Societas, tam lautum præbet conuiuium; vt vel Hiſpani tantæ liberalitati ſignificandæ, paria ſibi verba deeſſe fateantur. Ex multis, quæ poſſem referre, placet ſignificare, quàm ſtrenue ſeſe, vt ſumma mentis integritate ſacroſanctum puerum IESVM excipiant, comparare ſoleant: multi nouem dies ieiuni traducunt, necnon alij ab omni cibo, præterquam à pane abſtinent, cilicijs corpus affligunt verberibúſque cædunt: alij integros dies precationi, quà commentando, meditandóque de rebus diuinis, quà cum Domino colloquendo, vt fert cuiuſque captus, vacant; conſulunt præterea eos, qui ſibi ſunt à confeſſarijs, vt dirigantur, vtque

Digitized by Google

que ex Domini Aduentu fructus percipiant vberiores, offerri missæ sacrificium postulant. Quantum vero ob hæc in Indos officia, nostros humani generis hostis pertimescat, ex eo, quod subijciam, licebit colligere. Indus quidam cum dæmone iam decem annos arctissimam amicitiam inierat, ab eóque semper vt perpetuo comite, humana specie, opem multas ad res acceperat: incidit in morbum, vtque animaduertit dæmonem, ne quod opus exerceret virtutis, diligenter curare, resipuit, nouitque animi discrimen manifestum; inuito igitur dæmone, quamuis comitante, ad Iulienſe oppidũ proficiscitur, cúmque ad insigne crucis Indum aduentare dæmon cognouit, multa Indo minari, conqueri antiquam familiaritatem, ac mutuis obsequijs confirmatam amicitiam dirimi, innumeráque beneficia obliuione obrui. Quem cum Indus sibi ad populum comitem admitteret, negauit dæmon, esse sibi, vt illuc ingrederetur facultatem, vbi tot habebat, & sibi, & instituto suo aduersarios, qua manifesta confessione mirum in modum Indus in proposito confirmatus, & ritè peccata confessus est, & à dæmone illum sæpius vexante, facto signo crucis ac dulcissimo IESV nomine inuocato, liberatus.

HVIVS Prouinciæ Gubernatoris rogatu, missi sunt è nostris aliquot, vt eum in expediendis Indis Potosium ituris iuuarent; nec frustra susceptus labor, nam præter complures Indos partim quòd infirmi, partim quòd senes ab eo numero exemptos nostrorum opera; auditæ sunt confessiones quinquaginta, centúmque Indi, ne turpi pellicatu contaminarentur, matrimonio coniuncti: ducenti præterea infantes Christiani facti, nec non ali-

quòt etiam adulti. Subuentum etiam compluribus, qui necessario ad iter commeatu indigebãt.

TEMPLORVM augmentum hoc anno maximum, quatuor absoluta satis capacia. Principis templi ornatus & elegantia primas tenet; ornatũ instrumentis musicis tam suauiter sonantibus, vt eis toto Peruano Regno nulla paria reperiantur: templi vero reliquus ornatus, talis est, in quo, si organa musica numeres, comparando quindecim millia aureorum impensa sint: res etiam huius oppidi quæ ad victum corporisque commodum pertinent, nostrorum opera suis gaudent incrementis; nam & fontes varias in partes dispertiti sunt, vt eorum vtilitas promanet ad omnes, & molendinum factum à nostris, cuius quòd ante nullus in hoc oppido fuisset vsus, maximo cum labore terebant. Inducti etiam à nostris Indi, vt perdomitis iuuencis terram proscindant, quare duplo maiori fructu magno se labore exonerarunt. His igitur de causis populus hic, & numero in dies auctior, & virtute.

PANAMANA SEDES.

INITIO quadragesimæ missus è nostris cum socio sacerdos vnus in vicina oppida, vtque magna omnium gratulatione exceptus, ita & lucro; nam & tam frequens ad conciones concursus, tantúsque ad confessiones accedentium, vt vel temporis momento quiescere Patrem non finerent, esseretque necesse confitentibus audiendis, diebus noctes coniungere; & multis triduum vt audirentur expectare.

MVLTA

MVLTA libidinũ incendia, concubinis expulsis, prorsus extincta. In alio oppido opera Patris effectum est, vt cum illius accolæ Prætoris vi grauiter oppressi, de illo deserendo cogitarent, à proposito desisterent, & Prætor deinceps magis comem, & affabilem in eos animum indueret; necnon ab eo impetrauit, vt religiosi, quem in vincula coniecerat, causam ad suum Superiorem remitteret. Idem Patris admonitu mulieres impudicas, quas, dum aditus ad infideles Indos parabatur, inter Hispanos milites vagari permiserat, prorsus ab illis propulsandas constituit, militibúsque ipsis non sine fructu significatum, ad penetrandas nouas regiones quanti referat, diuino conciliato numine, iter suscipere.

MISSIO TVCVMANA.

TVCVMANA missio, & sanctæ Crucis cùm duæ sint, multas sub se cõtinent missiones, in quibus qui saluti proximorum operam nauant, hi profecto & veri nostræ Societatis sunt alumni, & spiritus Apostolici insignes imitatores. Discurrunt bini diuersa per oppida, ingenti animorum lucro. Cum Cordubam (nomen est ciuitatis) itinere satis laborioso contenderent, inciderunt in oppida, quæ, quòd parochi in illis desiderarentur, subsidio operáque nostrorum extremum in modum indigebant: itaque strenuè opera illis nauata est, vt sexcenti eóque amplius, ferè omnes vniuersæ vitæ peccata confitentes auditi fuerint; eo maiore necessitate, quo Indi doctrinæ Christianæ

magis ignari: iucundum sanè Angelis spectaculum præbebant summa pietas, alacritásque qua iuuenes, senes, viri, mulieres, omnisque ætas incensa conciones audiebant, confitebantur, séque singulis fere noctibus flagellabãt. Vbi vero ventũ ad ciuitatem, albis illis diebus quibus Indorũ effusa libido, eos in grauissima flagitia detrudit; supplicatione percelebri instituta, concionibus cantilenisque diuinis recitandis eluso die, innumeris peccatis aditus intercluſus. Huic tam felici exordio, quadragesimæ progressus cumulatissimè respondit. Diuinum Euangelij semen mandatum tam Hispanis, quàm Indicis agris, eos fructus dedit, vt fere noctes omnes verberum sonitus feriret aures, & tracti ab imo pectoris gemitus per plateas sese acriter cædentium, vel duros quosque homines commouerent. His ipsis operibus promouendis maximo fuit adiumento Gubernator, eiusque familia; cuius cum pietatis ardor pijs exercitationibus obeundis emicaret in primis, nullus tam erat excors, qui talem ducem imitari renueret: vsque adeo verum est, quibus moribus gubernatores imbuti sint, eisdem populum affectum esse. Multæ igitur inimicitiæ magno huius Regni detrimento contractæ, & gubernatoris opera, & Patris, cuius res Deus feliciter promouet, oblitteratæ sunt. Nec minore cura Patres alij, qui in ciuitate sancti Iacobi remanserũt, salutẽ proximorum procurarunt. Tantus namque perceptus est ex nostris ministerijs fructus, tantáque cum laude in illis versantur, vt Episcopus concione ad templum aduocata, multis vrbis iacturis enumeratis, affirmauerit, nullam adeo grauem ciuitati posse contingere, nec quam ipse magis pertimesceret

timescceret quàm si nostri, vt ipse subaudierat, vrbem desererent. Et vero prærer complures exceptas confessiones, illum vberrimum fructum duxerim, quod ita timore Domini coercentur, vt nullis illecebris, nullis minis, nullo vitæ discrimine induci possint, vt quidquam Christiano nomine indignum, animiue castimoniam commaculans, turpiter admittant. Multæ sunt feminæ quas non sæuissima verbera, non aperta vitæ discrimina, nõ strictus a perditissimis hominibus gladius, iam iamque pectori iuguloque imminens, vel ad peccatum pellicere, vel, à salutari proposito dimouere potuerint. Cuiusdam viri animum pertentabat sæpius, vexabátque minùs honestus amor, cumq; se ægrè toties in se insurgentes incursus sustinere posse animaduerteret, cuidam è nostris vulnus aperuit, pollicitus, si eo releuetur, aureos centum pia in opera insumendos. Hunc igitur cum Pater bono esse animo iussisset, perque nouem dies pro morbo sedando, rem sacram viro præsente obtulisset, Dei Virginisque ope ita eum persanauit, vt beneficij memor promissa luculenter expleuerit, & nostros summa beneuolentia prosecutus fuerit. Nec minor omnium in nostros beneuolentia & liberalitas, vt non modo nobis necessaria suppetant, verum etiam supersint, quæ pauperibus erogentur. Excursum etiam ab eisdem sacardotibus per loca finitima, itumque ad Indos inter binos fluuios, quorum alterum Salsum, alterum Dulcem vocant, commorantes, ingenti omnium vtilitate. Expiati per confessionem ad mille quadringenti homines, quorum alij nunquam ritè, alij nouem iam annos peccata non confessi; quibus eo difficiliùs medicina

adhiberi poterat, quod vernaeuli sermonis perito Parocho caruissent. Quos turpis libido coniunxerat, Matrimonij legibus coniunximus, qui vt id præstarent, à Parochis induci nunquam potuerant. Tucumanæ missioni finem imponat admirabilis, viri Tucumanæ vrbis accolę in nostros, præcipue in P. N. B. Ignatium pietas & obseruantia; quam quidem ostendit semper multis, ac veris in nos officijs. Extruit in oppido sibi commisso optimum sane templum, quod ideo nemini dicat, quia est in animo Patri nostro, cum in sanctorum numerum ab ecclesia referatur, dicare; ab eodémque pietatis fonte manauit, vt suo filio B. P. Ignatij nomen indiderit, vt cuius esset insigni nomine decoratus, eiusdem clara facinora imitaretur; cuius rei cupidus, iussit infantem quadragesimo ab ortu die, Domino in templo nostro dicari: is igitur & nostros in hac ciuitate commorantes sustentat, & pollicetur Societatis Collegio victui necessaria vnus suppeditare, nec filijs alios redditus vtiliores exoptat, quàm Societatis in eis instituendis curam.

MISSIO AD REGIONEM SANCTÆ CRVCIS.

DVo maxime efficiunt, vt nouem è nostris, tametsi ingentibus pressi incommodis, in hac missione perseuerent, nempe mira paucitas aliorum sacerdotum, & magna spes fore vt ad innumeras gentes, à quibus, vt compertum est, interiota loca habitantur, aditus aperiatur. Præsens igitur fructus, & spes futuri, ingentia incommoda tole-

Digitized by Google

tolerabilia reddunt. Fructum ex priuatis litteris hunc excerpsimus. Datæ confitentibus aures, Indis præsertim, ingenti lucro, exceptæ vitæ vniuersæ confessiones septingentæ, tam quòd nunquam omnino, vel certe non ritè confessi; quam maioris profectus causa. Moribundus Indus, cùm cui confiteretur, adesset nemo, in hunc modum locutus alteri Indo est: Morior amice, audi quæso peccata mea, eáque in hoc rosario notata Patri defer vt ea auferat. Iam vbi capitis fluxu ita laborarunt Indi, vt multi interirent, ingens fuit nostrorum labor, sed fructus item vber & solidus; morbo namque sęuiente, vrgentéq; conscientia, in claro vitæ discrimine, cum vehementis significatione doloris, sincere ac integre mortifera cordis vlcera detegebant. Tam singularis porrò est ipsorum in nos affectus, déque studijs proximorum iuuandorum opinio, vt nullis libentius, quàm Societatis nostræ hominibus conscientiæ, & salutis suæ curam credant. Cum mulieres quædam infirmę, vnum è nostris confitendi caussa accersendum curassent, nullúsque è Societate adire posset, alterius familiæ Religiosus accersitus est; quem cum illæ intuerentur, confiteri renuentes, clamare Paita aipota, hoc est, volo verum Patrem; & quia nostri, quòd ipsimet ægrotarent, adire has non quirent, contendêre ipsæ vt ad ædem nostram deueherentur, donec è nostris vnus, tametsi æger, tamen vtut potuit, earum pio attractus desiderio auditum iuit. Facti sunt hîc Christiani amplius sexcenti, qnorũ erant adulti octoginta. Matrimonio consociati centum septuaginta quinque; nonnulli ex infidelibus vltra altissimos & gelu frigoribusque rigentes montes commorantibus

morantibus fidei Christianæ præceptis imbuti. Itum etiam ad ciuitatem sanctissimæ Trinitatis, cuius missionis vtilitatem priusquam referam, de hac vrbe condenda, conditáque pauca præmittenda. Nobilis Ioan. à Mendoça Prouinciæ huius delectus Gubernator, cum certis comperisset argumentis, altissimis, ac prægelidis montibus superatis, patere aditum ad complures nationes; egregio pertinacique animo, cum centum militibus hanc sibi Prouinciam suscepit: vt clarissimum Euangelij lumen in illas nationes primus inueheret; profectus igitur vt decreuerat, multis laboribus itineris exantlatis, ad eum locum peruenit, qui & lacubus, & montibus claudebatur. Locus & ob nimium humorem insalubris, & quod integrum annum culicibus infestus sit inhabitabilis; ceterum ijs partibus, quæ excoli possunt, adeo fertilis, vt & singulis mensibus semen suscipiat, & fructus referat: hunc igitur, quia nullus vrbi condendæ magis idoneus occurrebat, elegerunt; conditur vrbs, nomen imponitur sanctissimæ Trinitatis, vt tam faustũ nomen protegeret ciuitatem. Gubernator igitur, quia prouinciæ sibi commissæ administratio id postulabat, relictis vrbis præsidio quinquaginta militibus, quibus filium præfecerat, ad S. Laurentij ciuitatem reuersus est. Ad hanc igitur ciuitatem cum P. Angelus peruenisset, superassétque ingentes difficultates, ac manifesta vitæ discrimina effugisset, tredecim tantùm milites, eósque squalore ac macie penè confectos inuenit; obierant enim reliqui septemdecim morbo; viginti, dum victum quæritant, ex insidijs Indorum sagittis transfixi; quâ victoria insolenter efferati Indi, in vrbem impetum fecerant, flammisque

Digitized by Google

miſque eam incendentes, Hiſpanos telorum nimbis petierant. Contigit illud in hoc congreſſu ſane mirabile; adierant milites templum, flammis ardentem educturi effigiem, cúmque multis peterentur ſagittis, atque innumeræ circa ipſos volitarent, nec vnâ ſauciati ſunt. Tum etiam cælo antea ſudo ac ſereno, tanta vis aquæ defluit, vt & flammas extingueret, & Indos funderet; quibus peractis illico priſtina tranquillitas redijt. Hiſpanorum rebus in tam arcto poſitis, atque vrgente inſuper fame, vbi Pater cum nouo militum præſidio ſubuenit, territi ac fugati Indi, reſpirandi locum noſtris dedêre. Paulo poſt autem maturo conſilio relinquendam ciuitatem, quando defendi non poſſit, communiter eſt decretum. Inde ergo tribus menſibus in itinere conſumptis, haud dubiam perſæpe numinis opem expertus, incolumis Pater cum reliquis in hanc ciuitatem peruenit; quo ſanè tempore vſus eſt in milites officio veri patris, eorum neceſſitatibus, tam quæ ad corpus, quàm quæ ad animum pertinent, conſulendo.

PROVINCIA MEXICANA.

SEPTEMDECIM Sedibus nempe vnica Profeſſa domo; Collegijs ſeptem; quinque Reſidentijs; tribus Miſſionibus; & Alumnorum Seminario, nouæ Hiſpaniæ Prouincia Socios aluit ſeptem & octoginta ſupra ducentos; Sacerdotes

centum

Digitized by Google

centum & quindecim; Coadiutores centum & tres; Scholares duos & quinquaginta, Nouitios septemdecim. In Domo Professa Mexicana numerati quadraginta; In Collegio octoginta duo; In Angelopolitano triginta octo; cui adiunctum Tyrocinium, in quo alumni septemdecim; In Collegio Guaxacano viginti; In Tepozotlano quinque; In Guadalaxarensi duodecim; In Pasquarensi quatuordecim; In Vallisoletano octo; In Residentia Veræ Crucis sex; In Zacatequana quinque; In Guadiana sex; In S. Ludouici duo; in Cinaloënsi octo; In Missione ad Paludem magnam sex; In S. Iacobi seu Pasquarensi quatuor, In Topiana totidem; In Seminario Mexicano S. Ildephonsi decẽ.

Ab ijs in cœlum Sacerdotes migrauere duo, Socij quatuor. Ac primum è Mexicano Collegio duo Fratres adiutores, formati ambo, virtutis & religionis speciem reliquerunt. Primus ex ijs Bartholomæus Garçias, duobus abhinc & viginti annis ad Societatem adscriptus, humilem se, & officiosum, & charum omnibus ita præbuit, vt in vita de nullo bene non mereretur; domi desideraretur in morte. Ioannes Torrensis alter, octo ipsos annos in humili adiutoris officio, vitam instituit Societati perutilem, paulóque antequam vocaretur ad Superos, coquum maluit domi, quam ruri vitam agere; atque hinc menses ferè quinque lethali morbe exhaustus, & dolore lateris, cœlum lætabundus petijt.

Petrvs Fernandius, & Ioannes de Mirueña priores illos & vitę exemplo, & feliciore morte secuti sunt. Hic graui prolixaq; affectus ægritudine, dum loci temperiem mutat, Angelopoli Vallisoletum proficiscens, beatam cum misera, æternamq;

cum

Digitized by Google

cum mortali vitam commutat. At Fernandius multum diúque, singulari religiosæ humilitatis exèmplo coquinæ præfuit, dicique vix potest, quantum Nouitiorum animos ad benè in posterum, humiliterque viuendum, opere magis quàm verbo instruxerit. At propterea quod eo in munere necessitatẽ sibi, minus vacandi diuino ocio, videbat imponi, à Rectore supplex obtinuit, vt aliud susciperet, quo liberiori contemplationi feruentiùs incumberet: votique compos, quantum supererat ocij, totum se orationi seruabat. Sed sociorum rogatu domesticum ob commodum, cito restitutus ad pristinum officiũ, paruit libenter. Nihil enim ei magis cordi erat, quàm vt maiorum suorum nutui morem gereret. Tum vero ei magis inussit animum amor cælestis Patriæ. Igitur in suscepta cura, quanta posset solicitudine & alacritate permansurum se, cum Deo paciscitur: si modo tamen ad certum præfinitúmque tempus, corporis sibi carcere absoluto, numinis obtutum liceat reuelata facie contemplari. Ratum habuit pactum Deus; constituto enim tempore in tibia, casu ne an diuina Prouidentia, non leuiter ictum pertulit. atque adeo nonnullos recubans dies, Protoparentis nostri Ignatij exercitamentis meditationibúsque recreauit animum, donec dysenteria grauiter laborans, breui exultantem spiritum exhalauit. Duos etiam Sacerdotes cælo dedit Guaxaquense solum; primitias Societatis ea in vrbe: quippe ibi post quinque & viginti annos, nemo adhuc è nostris obierat. Primus ex ijs Alphonsus de Sanctiago quinquagenarius: agebat iam trigesimum in Societate annum, emisso dudum quadruplici Professionis voto. Horam

hic

Digitized by Google

hic migrationis suæ præsciuisse visus est, iamque moribundus affore sibi prædixit Patrem Christophorum Cabrerium; ambo videlicet vnà Societati nostræ nomen dederant, consortes Tyrocinij ambo, studiorúmque, & sacros ordines suscipiendi; quatuordecimque ab hinc annis è mortalibus ad immortales animas receptus Cabrerius, mira sanctitatis & doctrinę laude, vitam præfulgentem beatiore morte clauserat: iamque propè aderat Alphonso non iniucundus è vita discessus, agebátque animam, cum manibus gestúque tripudians, Plaudite, inquit, en video cælestis curiæ agmen; Plaudite, Dei quoque genitricem video: dumque hæc ingeminat, fixis in cælum obtutibus extremam efflauit auram. Mira eius mentem ornauerant virtutum insignia; illud vero vnum patientiæ singularis specimen silere non possum, quòd cum aliquando publica procedens via, obuium monachum anathematis causa vitaret; is ira simul & rubore extimulatus, fremensque, & frendens, dicere difficile est, quanta in ipsum fuderit probra conuitiáque, & quàm Alphonsus æquo animo pertulerit, adeo, vt admirantes qui aderant, genus id hominum Apostolicam æmulari vitam acclamarent. Illum ad immortalitatem secutus est Pater Petrus Rodericius, paulò post è rebus humanis ereptus, sexagenarius, & spiritualis coadiutor: is ab hinc quadraginta ad Societatem adscritus annis, quinque ipsos & viginti in Guaxaquensi Collegio posuerat, notabili cum fructu & vitæ sactimonia, exemploque admirabili ciuitatis vniuersæ, cui à confessionibus fuerat assiduus. In eo animi æquitas, mansuetudo & submissio, suique contemptus, & propensio ad edomandum castigatione

gatione corpus, religioſáq; paupertas inſigniter eluxerũt, vellemq; imitari magis quã recenſere. Tota ſibi paupere in cubili ſupellex, erat lignea crux, flagellũ è funiculis, papiraceę imagines nonnullæ, non ſella, non ceruical non molle quippiam quo ſenio confectum corpus, canúmue cubaret caput. Epularum & panis reliquias amabat in menſa: A vino abhorrebat omnino, pura contentus aqua, idque ſemel quotidie; diebus ſingulis afflictabat corpus verberibus, cilicina veſte & hirſutis tonſo crine cinctorijs. Tres quatuorue horas vacabat orationi, curuatiſque poplitibus diuinum aſſidue recitabat officium; atque ea propter, & ob reliqua item ſanctitatis ornamenta, magnam ſibi æſtimationem laudemque pepererat; non apud noſtros ſolum, verum etiam apud externos, vt illi non immerito, paternæ ſanctæque venerationis nomen fuerit impoſitum. Igitur morbo graui & mortifero affectus, lethali æſtu, aſſiduaque febre iactatus, ſingulari dolore vrbem perculit: quæ grauiter affecta ſentire cœpit tanti viri decubitum; optabátque ei vitam publicis votis propagari, qui tamdiu publicæ ſaluti conſuluiſſet: confluebantque certatim tota ex vrbe ciues, amantiſſimum parentem viſuri, prouolutique ad genua, manibus ſimul ac pedibus oſcula dabant frequentiùs. Ille interdum ardenti calore exæſtuans ardentem ſitim patienter tolerabat, cum longe ardentius amore cæleſtis patriæ deflagraret, iamque admonitus nullam ſibi ſpem vitæ affulgere, manus oculóſque ingenti cum animi lætitia gratulabundus pretendens, Iam ſatis, inquit, terræ: iam ſatis terræ; cælum, cælum petendum eſt. Interea de cruce pendentis imaginem intuitus, fixiſque

Digitized by Google

que hærens obtutibus, vitę cursum, vocante Deo, confecit. Vir ille profecto felix, qui ne semel quidem baptismalis gratiæ facto naufragio, nec lethali vnquam correptus scelere, æternæ vitæ portum incolumis appulerit. Eius obitum quàm grauiter non modo nostri, qui eum numero parentis habebant, sed etiam tota ciuitas tulerit, mœror funeris indicauit. Cohonestarunt funebrem pompam cùm Canonici Nobilesque complures, tùm religiosorum ordinum præclarum agmen, cum apparatu celebri, lugubri personante cantu, portante feretrum religioso cœtu; tanto parente orbati ciues, id vnum in mœrore solatium inuenerunt, vt de ipsius vestitu pauperéque supellectili, quantulamcúnque particulam referrent.

PROFESSA DOMVS MEXICANA.

IN Mexicana professa domo præter illa, quæ frequentiùs nostri, dum in animorum salutem incumbunt, obire solent, adiutos nimirum ægros & moribundos, visitata nosocomia, non absque miserorum solatio fructúque aditos carceres, alienum æs & famam restituta, simultatésque compositas, pueris rudimenta fidei per compita & plateas tradita, datas frequentes aures confitentibus, conciones habitas domi foriſque, id quod frequens est & solemne professis domibus: nonnulla seorsim recensere lubet, quæ nostrorum opera & laboribus gesta sunt hoc anno. Sacerdotis vnius suasu, à proposito confodiendæ coniugis quidam

quidã homo deterritus, relictis pugione laqueóque, quod ad exitiũ miseræ pararat, in matritalem beneuolentiam restitutus est. Furoris Thyrso agitatus alter viduam parentem oderat, maternæque pietatis immemor, in vincula & carcerem imbellem fœminem coniecerat, grauiora minitatus, nisi sacerdotis hortatu pœnitenti filio pauida mater indulsisset. In maximam præterea Dei laudem, Reiquè publicæ totius emolumentum cessisse videtur, quod venientibus ex Hispania fratribus iis, quos vulgo vocant de Iuan de Dios, quorum opera & industria in peregrinos & pauperes insudat; dum vix pateret aditus vt ea pietatis officia liberè vt par erat, obirent, eáque propter de reditu tractarent; effecerunt nostri vt hospitali domo recepti, nosochomio præsint, publicisque custodiis; magno cum ægrorum solatio & vrbis exemplo. Nostros illi prẽterea frequenter adeunt, statis diebus de peccatis audiendi, pascendique sacra synaxi, & diuinis meditationibus recreandi. Sodalitium Saluatoris, de quo aliàs plura scripta sunt; accreuit hoc anno tam virtute quam numero: in quo Sodalitio id firmum perseuerat, vt quot mensibus ad venerabilem Eucharistiam certis diebus conueniant, ac sub vesperam, post horariam exhortationem, cum lautis sportulis & pecunia ad subleuandam ægrorum inopiam, hospitales domos inuisant. Felix huic consuetudini faustúmque dedit initium Illustrissimus Prorex; eo enim die, qui tutelari Sodalitatis sacer est, magnæ suæ erga nos beneuolentiæ significatione, in templum nostrum cum primatibus, & dynastis vitis conuenit, vtque in Sodalium numerum admitteretur, non sine reliquorum exemplo precatus est;

Digitized by Google

acceptúſque cum gratulatione ingenti domus & Sodalitij, noſtróque confeſſario vſus in Apodyterio templi, cũ regalibus Senatoribus primoribúſque nonnullis, & Sodalitatis alumnis longo ordine, diuinis paſtus eſt epulis; inſignis Heroum Diui Iacobi Epheſtride, id quod rarò niſi in æde maxima facere conſueuit, habitiſque concione & ſacro, celebri concentu, regulas decretáque Sodalibus ſeruanda propalam accepit. Atque hęc & alia religionis ornamenta, veręque pietatis pignora in tanto Principe, magnos non Sodalibus ſolùm, ſed ciuibus etiam reliquis ſtimulos ad imitandum admouerunt. Templi fabrica mirè creſcit ſumptibus, liberalitatéque domini Aloiſij de Ribera, qui quemadmodum erigendæ domus præcipuè author fuit, ita de Societate benemerendi principatum appetit obtinetque; atque adeo præter complura in nos amoris officia, decem aureorum millia in ſtructuram templi, ſponte hoc anno, munificéque erogauit, ideoque eius ædificatio non ita pridem cæpta, vrgetur ſtrenuè, propediémque ducetur ad exitum.

COLLEGIVM MEXICANVM.

ADDITVS hoc anno tertius Philoſophiæ profeſſor, non ſine compendio maximo totius academiæ. Concio cum haberetur de peccatorum pœnitudine, deque iniuriarum indulgentia, ſex hominum paria odium ſe deponere teſtati, mutuo amplexu pro communi omnium frequentia, in amorem & concordiam reducti ſunt: idque eo

Digitized by Google

eo mirandum magis fuit, quod ex iis plerique enixiùs irati, poſt probra & contumelias alter alteri colaphum, & fuſtes impegerant. Agebatur pro concione alia, de fluxæ atq; mortalis vitæ incertitudine, déque imminenti morte, idque ea verborum vi & ſpiritus ardore, vt proruperit ex adſtantibus quidam, clara voce deteſtans errores ſuos, diutinámque & inueteratam peccandi licentiam, annoſámque confitendi deſuetudinem propalam ſit confeſſus. Sub hebdomadæ maioris ferias, incidit forte ſacerdos noſter in refertum aleatorum gregem, inuenit furioſum hominem non ita pridem in vincula coniectum, qui nulla cauſa, temeréque iuſiurandum vſurparet frequentiùs: hunc noſter ſerio mollique hortatur ſermone, ille vociferare potius, & quo ſuo ſuadet ſacerdos magis, hoc magis ex aduerſo delira fari, obteſtarique furenti voce, quo magis ſuadeatur, eo minus à iureiurando ſe temperaturum. Indoluit Pater, quod nefariam illam conſuetudinem, licentiámque, nec prece, nec minis coercere potuiſſet, paſſiſque manibus, & erecto in cœlum capite, Cælum, inquit, obteſtor, teque ô ſupremæ curiæ iudex, vt effrænatam hominis linguam, ne tuum irreligioſè nomen vſurpet, compeſcas. Hæc vbi ſub veſperam dixiſſet Pater, ſequenti nocte periurus homo, dictu mirabile, ſpectris quibuſdam horrificis agitatus, ſublimi raptu in pilæ ſuſoriæ morem hinc inde iactatur, fuſo per ora naréſque & aures multo cruore; accurrunt de vinctorum grege nonnulli, inueniúntque magna iactantium dæmonum vi exanimem. Albenti vero die, mirantibus cunctis verboſi hominis ſilentium, rogantibúſque, quid hoc repente eſſet negotij, nihilominùs elinguis,

Digitized by Google

conanſque loqui, ſilentium oris non obrumpit. Diuina nimirum vltio clauſerat vocem, linguámque palato aſſuerat, eminebantque adeo circum circáque ductæ quaſi ex acu ſuturæ. Ergo peccati pœnitens, patrem acciri iubet eum ipſum, cuius pridie monitis obſtiterat, vſúque vocis amiſſo (neque enim per octo ipſos dies mittere vllas potuit) rem omnem nutu & geſtibus, ſcriptóque enarrauit; audiſſe præterea dæmonum voces increpantium, quòd hortantem ſacerdotem reueritus non fuiſſet. Igitur criminum ille confeſſione nonnullos dies abluens animum, opem expoſcebat & precationum auxilium; donec imaginem Loyolæ parentis impetrat, precarióſque Deiparæ globulos cum ſpe ſalutis ab vtroque certiſſima: atque eodem die, qui octauus à culpa numerabatur, Virginis & Ignatij memor, cum magno cordis affectu in hæc verba primam vocem reſoluit: Aue Maria, plauſúmque omnibus indicens, hæc eadem iterabat verba: Aue Maria, linguæque nexibus ſolutis, ad priſtinam ſanitatem reſtitutus eſt, eum plauſu omnium & admiratione, cumque prædicatione diuinæ vltionis, iuxta & miſericordiæ. Atque hoc exemplo reliqui cautiores, cum timore ac tremore à periurijs abſtinent, vtque ea res commouerat omnium animos, aliud fere nihil per eos dies in ſermone verſabatur. Quidam vero rei ſeriem cum nouiſſet, facile induci non poterat, vt ea, quæ narrabantur, vera eſſe crederet. Ecce ergo quadrantem horæ ipſe hic incredulus à dæmonibus corripitur, auferturque è conſpectu, ſtupentibus, admirantibúſque vniuerſis. Iamque præceps ferebatur ad penetralia obſcuri carceris, & interiora ergaſtula, ni quatuor hominum

Digitized by Google

hominum magna vi, dulcissimóque IESV nomine inuocato retentus esset. Hac ratione adductus est non solùm ipse vt crederet, verum etiam vt alios ad credendum hortaretur, factaque confessione ad animi tranquillitatem traductus est. Cuius rei syngraphas literas obsignatas, Prætorum iussu penes nos habemus, vt perpetuò sint veritatis testes. Labor caritásque nostrorum, mulieres multas à turpitudine ad honestatem, pleráſque etiam conquisitis eleemosynis, ad matrimonij statum traduxit; fuerunt, quæ vt Christo animarum sponso liberius deseruirent, erogatis in hæc pietatis officia multis aureorum millibus, religionis statum elegerunt. Vtque ea in vrbe instituti sunt iamdiu plurimi nobilium cœtus, qui collocandis nuptum puellis, stipe coacta, annuisque redditibus addicti sunt; nonnullas eximiæ virtutis ad earum Sodalitatum primarios sacerdos cum stitisset, ne earum puditia laboraret, duæ sortitionis expertes relictæ sunt, quas aduentitia dos non pertingeret: quarum vt inopiæ subueniret Pater verba fecit ad nobiles, egitque vt pecunia eorundem è fortunis erogata, quingentorum aureorum munifica dote singulæ maritarentur. Virgo quædam nobilis matronæ ancilla, nondum annos nata vndecim, per annum fere integrum heri prioris non ita pridem emortui vmbras, persona viui corporis inducta, vigilans pernoctánsque videbat frequentiùs, mutuisque cum eo sermonibus integros consumebat dies, perinde ac si è viuis nõ excessisset; sed cùm ille eò progrederetur, vt ad multam noctem sese illi singulis pænè diebus obijceret; iã iniquo animo ferre assiduis salutationibus, nocturnisque spectris sibi somnum abrumpi, at-

Digitized by Google

que adeo vitæ tædio affecta multis ab hero verbis contendere, vel ne cubantem somno toties excitaret, vel emori tandem sineret. At ille, Quin tu, inquit, quoniam piacularibus flammis iamdiu multúmque crucior, sacerdotem oportunis precibus adis, aræ sacrificium, opémque pro meis manibus imploratura? Acceſſit ergo ad vnum è noſtris, oratum vti diuinam rem pro defuncto faceret. At ille haud facilè fidem puellæ ſermonibus habendum ratus, negotium differebat; vrgebat enim illũ magis Patris Antonij Arias memoria, qui nonnullis ab inde menſibus, miræ ſanctimoniæ doctrinæque dotibus inſignis, viuos reliquerat, quemadmodum ſuperiores annuæ docuerunt; atque adeo ipſo eodem die, qui ſub natalitias ferias Diuo Stephano ſolennis erat (humanóne an diuino conſilio) pro Antonio miſſam obtulit. Igitur poſtridie multo mane, lacrymabunda dolenſque puella, ad Collegij fores adeſt; Patrem aduocat, alloquitur, vidiſſe ſe commemorat ſub eam noctem, tetra facie horridóque vultu minitantem herum, ſéque ſacrificio fraudatum valde conquerentem: Patrem videlicet Antonium Arias ad cæleſtes tranſlatum domos, ea ope iam pridem non indiguiſſe; ſed ſuffeciſſe ſuo nomine alium è noſtris, in igni purgatorio tum luentem, qui tali confeſtim ſuffragio ad ſuperos euolaſſet. Iam vero puella, ne ipſum quidem Antonij nomen vnquàm antè audiuerat. Itaque ſacerdos partim rei nouitate, partim terrore ſuſpenſus mirari, percontarique ſæpius, eóque magis, quòd cum de Antonio pridie cogitaret, ſacrúmue faceret, nullum prorſus voluntatis propoſitiq; ſui, ſiuè in ipſa peragenda liturgia, ſiue aliâs ſignum dediſſet.

Quare

Digitized by Google

Quare hoc ipso die factum pro puellæ hero fecit. Quo facto adest illa postera luce, & Patrem gratulabunda affatur, aitque herum forma oris & maiestate conspicuum, sub quietū sibi apparuisse, & pro accepto beneficio grates egisse, adeòquo promisisse ipsammet ex his ærumnis, ad vitam molestię omnis expertem, breui concessuram. Mirum, quàm illa, quasi exploratissimum haberet certam fore verborum fidem, ad diem obeundum alacriter se campararit; atque ecce tibi, non longo dierum spacio interiecto, vltrò sacerdotem è nostris quempiam accersiri iubet, fatóque nescio quo, in eundem ipsum confessariū incidit Rector, imperátque ægram vt adeat: decubuerat enim, nullo quidem morbi genere laborans, sed emarcida moribundáque, tanta pietatis significatione, támque suaui ac pænè diuina verborum vi, facilè vt intelligeres quo magistro, quo duce vteretur. Nam certa moriendi; Regem, inquit, ac Dominum, Deumque meum certissimámque promissi fidem adimplendam secura præstolor; atque ita non multò post, extremum edens spiritum è terris abijt. Fundandi tyrocinij appetens Petrus Ruicius de Ahumada, vir nobilis & summè affectus erga Societatem, legauit ex testamento, cùm propiùs abesset à morte, quatuor & triginta aureorū millia. Eius cineres & ossa huius in Collegij templo, cum insigni ferali pompa sepulta, in propriam ædem asportanda seruantur: data præterea ab eodem argenti vis huic templo in annuos redditus, ad alendam perpetuò materiam lychno pensili, ex precioso oleo.

Digitized by Google

SANCTI ILDEPHONSI SEMINARIVM MEXICANVM.

SEMINARIVM hoc tùm alumnorum, tùm Indorum etiam accolarum, Mexicanæ vrbis salutem procurat. Pueri elementorum notitia, Christianisque præceptionibus, & musicis informantur ad apparatum templi, qui multo facilius, vtpote nouellæ plantæ, in virtutem pullulant. Reliqui frequenti concione, sacrorúmque mysteriorum vsu, confessionis præsertim & Eucharistiæ, vnctionis etiam non infrequenter è varijs animi morbis emersere. Cum semel, vt moris est, in Regale Xenodochium issent nostri, vnum in reliqua turba languentem hominem primùm offenderunt, qui pœnè simul & confessionis, & vitæ munere defunctus est. Indigena mulier iam dudum turpitudini operata, vitæ tandem & veneris tedio affecta, cum fieri vix posse arbitraretur, veterem vt peccandi consuetudinem aboleret; votum nuncupat se, si modò lux salúsque oboriatur, auratum virginis simulachrum ex immortali cedro, cum splendenti diuiteque feretro Virginis in templo dicaturam voto vix facto, sub nocturnam quietem offert sese ei teterrima specie dæmon, prensáque manu, ignem faucibus eructans infernos cruciatus iam tunc infaustæ minitatur. Sed contrà adest Virgo, cuius aspectu tetra illa species mox euanescit. Hæc autem salutaribus monitis rectam viuendi rationem edocta, venit ad nostros; & à susceptis totius anteactæ vitæ maculis accurata

se

se confessione exoluit. Ex alumnis vnus nobilis Cacicij filius, cui populosæ Patrię oppida hęreditario iure debebantur, hoc anno excessit, qui incō-moda hic vtens valetudine, diuinis communitus mysterijs, iamque è vita discessurus, magno animi ardore (quæ est recta iuuentutis institutio) IESV nomen Mariæq; & Iosephi sponte inuocans, iunctis ad sidera ambabus manibus, felicem animam expirauit. Id de alumno; subijciam de externis alterum. Ea die, quæ per solemnioris hebdomadæ ferias, sacri mysterij institutione solennis est, è vicina parœcia venerunt ad sacras epulas tres tenera ætate virgines, seriùs tamen, excitato nimirum de more sepulchro, & sanctissimo Christi corpore iam in theca repositō; sicque voti impotes, multis cum lachrymis ingentique ploratu, seipsas grauiter accusantes abiere. Nempe ex peccatis suis factum esse, vt quo die Ecclesia opiparè de publico conuiuaretur, solæ infelices infaustæque sacris epulis carerent. Ergo sub Domini Resurrectionem communicaturæ ad nos impigre conueniunt; quoque magis religiosam pietatē admirere, quinque ipsos dies à Mercurij ad Dominicum impastæ cibo, potuque prorsus abstinuerant, precibus videlicet, lachrimisque ac ieiunio ad illud se mysterium ritè comparantes; iamque inito sacro conuiuio, vix credas quanta, quamque ingenti alacritate perfusæ fuerint, quæ scilicet sub vesperam tantùm, & penè coactæ domum repetierint.

COLLE-

COLLEGIVM ANGELOPOLITANVM, ET TEPOZOTLANVM.

NOBILITATA humanioris scholæ gymnasia frequenti & delecta iuuentute, quo factus est felicissimus litterarum progressus. Casuum item conscientiæ lectio ad externos Sacerdotes instituta. Parthenica Sodalitas aucta & sodalium numero, & fructu. Conciones tùm in reliquis templis, tùm in æde summa, perque fora cum puerorum concinentium agmine, ad quoslibet hominum ordines ingenti cum prouentu habitæ: ad salutarem confiten do culparum expiationem adducti complures, sedatisque animis ad concordiam plus centum.

AD expeditiones Tepozotlanas dudum fieri solitas, duæ ad longinquiores pagos additæ. In oppido vno confessi de peccatis, tria millia, ad ineundas sacras epulas recés inuitati plures. Alio in oppido sedati nostrorum opera oppidanorũ animi, paxque inter eos propriúmque Sacerdotem composita. Quod ni feciſſent nostri, a piacularibus mysterijs, Eucharistiæque Sacramento, integros annos animum abducere popularis turba constituerat. Vir & vxor numerosa prosapia clari, septem iam annos dirempto matrimonio, cum magno vtrinque suorum suóque periculo, in mutuas cædes adspirabant, donec vnius Sacerdotis suasu, in maritalem gratiam integrè redeuntibus, imminenti malo itum est obuiam, & syngraphæ discor-

Digitized by Google

discordiarum obsides nutrimentaque, igni traditæ.

COLLEGIVM GVAXAQVANVM.

RVINOSA Collegij domus, hoc anno terræmotu grauiter concussa, cum graui dispendio, non leue vitium fecit. Diues item & spaciosum arundinetum, vnde premendum fuisset saccharum in victum & expensas domus, non vtile solùm sed etiam omnino necessarium, gelicidio combustum, ingentem inopiam rei familiaris peperit. Æstimatur enim damni precium duodecim aureorum millibus, verum (quæ est diuina liberalitas) hanc Deus iacturam, iniuriámque temporis, præter communem spem reparauit in melius. Atq; adeo, nescio quo modo, bona Collegij pars denuo exædificata in commorantium commodum; alienique æris septem aureorum millia disoluta sunt hoc ipso eodem anno, aulæisque fericis accomodatum templum. Ceterum ad indigenas Hispanósque simul nostrorum labor se protulit, ac dum pestilens & mortifera grassaretur lues, non modo a morte animos, sed interdum etiam corpora defenderunt. Allexit ciuium animos ad amorem nostri, Beatissimi Parentis Ignatij benefica largitas. Triennis infans graui morbo & humanas vires exuperante, obseratisq; iam pænè faucibus, properabat ad mortem: adfertur Icuncula B. Ignatij ægro admouenda: tum Pater adhuc incertus spei, Quin ego, inquit, te præclarum, Ignati, heroem, interque cælites omnino magnum

magnum prædicem, si desperatam filio sanitatem restitueris. At ille citius, quam optare potuisset, obtinuit. Actutum, puer conaluit, mirabundáque familia, quo grates ageret Ignatio, sospitem templo nostro stitit, & nouendiale sacrum gratulabunda persoluit. Epilepsiæ morbo, sæpius indies singulos, desperatâ salute virgo quædam afflictabatur: Vrgente igitur grauiter Epilepsi, exosculandam imaginem vix accepit, cùm ad integram salutem restituta, perpetuò in posterum incolumis euasit. Mulier altera, partus difficultate tres omnino dies excruciata, atque ad extremum vitæ periculum adducta, eandem imaginem sibi cùm applicuisset, emortuam iamdudum prolem, putridúmque vtero cadauer depulit. Porro tanta est vrbis vniuersæ religio in Parentem Ignatium, vt probo vitióque detur, siquis in extremo vitæ discrimine laborans, eius aut non imploret opem, aut imaginem non exposcat.

COLLEGIVM GVADALAXARENSE.

RECENS collectum Sodalitium ex flore discipulorum, & nobilitate vrbis, sub Annuntiatæ Virginis tutela mirè procedit. Ac præter alia virtutis exercitamenta, singulos in menses publicos carceres vltrò adeunt, hospitaléque domos, pietatis & officij causa. Excursiones ad longinqua oppida factæ cum fructu, indictúsque Iubilæo dies pro more Societatis, multáque ad Dei gloriam & animorum salutem feliciter acta, magna hominum frequentia, maiore vtilitate. Eaque propter

propter multi eruditi concionibus, confessione purgati, refectique cælesti cibo apparatis epulis, & compressæ nonnullorum discordiæ. Societatis nomine allecti, venerunt sæpius ad nos Confessionis ergo, triginta pænè leucarum spatio indigenarum plurimi, cum animorum fructu solatióque tùm ipsorum tùm Sacerdotum. Ædium nostrarum ædificatio egregiè promota: ornatæ præterea geminæ templi aræ, tabellis hinc inde auro purissimo rubentibus. In altera Sanctissimæ Dei Genitricis imago, at beatorum reliquæ cineresque in altera religiosè asseruantur. Accesserunt ad veterem Collegij fundum, fertilioris agri satiuæque areæ scheni viginti; visque ingens alieni æris dissoluta.

COLLEGIA VALLISOLETANVM ET PASQVARENSE.

IN Vallisoletano recens inducta est tradendæ doctrinæ Christianæ ratio, idque quot diebus, numeroso concursu fructúque ingenti, adeo vt vel ipsi quinquennes pueri omnia fidei elementa gratissima modulatione promptè recitent.

IN Pasquarensi nihil prætermissum industriæ in proximorum vtilitatem. Franciscani, Augustinianique amant Societatem ex animo, deque nostris bene vt mereantur student, ideoque ad ornandos suorum tutelarium festos dies, nostros concionatores adhibent, cum exemplo & plausu popularium.

SACA-

Digitized by Google

ZACATEQVANA SEDES ET VERÆ CRVCIS.

IN Zacatequenſi ſede aleatorum cætus, magnũ Reipublicæ malum, quódque occultis publiciſque augeſcebat incommodis, a Societatis hominibus inhibiti. Inſignis etiam eorumdem in odijs, ſimultatibúſque tollendis induſtria extitit, atque adeo complures à deſtinatæ cædis ſtudio deterriti. In his vnus ſeptimum iam laborabat annum inteſtino odio, & enecandę coniugis propoſito, ſcilicet adulterati coniugij ream dixerat coram marito improbus homo, iamque propediem occiſurus erat immerentem, ſi opportunam occaſionem nanciſci potuiſſet. At ille altor ſuaſione ſacerdotis palinodiam recantauit, viroque & vxori, conciliata pace, mirifice conſultũ eſt. Sedati etiam Sacerdotes externi duo, quorum res eò adducta erat, vt ex eorum inimicitijs magna ciuitatis diſſidia timerentur. Quidam indigena quadraginta ipſos annos neque ſacrum audierat, neque confitendo expiarat animum. Hunc conſpicans pater, ad peccatorum confeſſionem rite obeundam inuitat. Annuit ille, cæleſti vtique conſilio, ac ne obſcurum eſſet diuinæ largitatis officium, non multo poſt è vita diſceſſit, magna cum ſpe futuræ vitæ, & anteactæ pœnitudine. Diceres illi, ritè vt confiteri, piéque mori poſſet, vitæ vſuram diuinitùs prorogatam. Alius ſibi vitam laqueo extorquere conſtituerat, iamque in agrum egreſſus reſtem collo aptabat, cum vnus è noſtris ei obuius, ab ea peſte illum abſtraxit, effecitque vt ætatis

Digitized by Google

tis vniuerſæ crimina confeſſione deleret, & nouum vitę genus inſtituens, diuina deinceps myſteria frequentaret.

GVADIANA SEDES.

ELEMENTARIORVM ludus, & latinitatis gymnaſium, cum alumnorum non vulgari frequentia, parentum animos ad amorem noſtri non mediocriter deuinxit; ipſaque experientia didicimus, in tam longa latáque Guadianica Prouincia, tantaque, qui iuuentutē erudiant, magiſtrorum penuriâ, noſtrarum partium eſſe tam vtili labore non ſuper ſedere, cum præſertim oppidani omnes, de nobis benemerendi, occaſionem nullam prætermittant. Hinc in Tepehuanam plagam, in Paludem magnam, in Acagæorum vallem, aliaque loca cum fidei ſemine excurſum eſt.

Ac primò quidem Tepehuanus nouellus ager vix arari, excolique poterat duorum Sacerdotum induſtria, propterea̅que, aucta ſemente, totidem operas adiungi oportuit ad labentem iam annum. Ceterum in tria præſertim oppida, ſociorum partitus labor, ad eaque quindecim alij pagi conueniunt ſæpius, vt ſacris myſterijs imbuantur. Hæc oppida pagóſque funditus erexêre Sacerdotes noſtri, partim ex ijs indigenis, qui luſtralibus aquis regenerati ſunt, partim vero ex alijs, quos baptiſmali fonte nondum ablutos, ſub Chriſti vexillum acciuere. Primum ex ijs Sancto Iacobo dicatum oppidum, in Paſquiarenſi valle ad longe lateque labentis fluminis ripas adiacet, triticea meſſe, maiciaque Cerere longè fertilis, ideóque reliquis

reliquis victum abundè præbet. Sancti Ignatij alterum oppidum ad ortum solis eos aspectat populos, quos in Palude magna nostri Sacerdotes excolunt; præcipuum vero tertium illud, quod Cape vocant, grandiores natu è Tepehuana gente Cacicij incolunt, qui bello quondam, & armis potentes adeo extiterunt, vt ab ijs Hispano militi multum facessitum sit negotij. Eos è gentilitia barbarie, vtpote terrarum dominos, & auitæ Religionis magistros & duces, plebs reliqua omnis veretur ac timet: ij venefica arte clari rerum euentus prædiuinant, & quanquam nonnulli relicti sint, qui nondum baptismo emersi, Patrum conatibus pro virili parte restiterint, ne ad Euangelicæ veritatis lucem in finitimos populos aditus pateret: plurimi tamen ex ijs omni iam genere humanitatis nos amplectuntur, magnamque ingerunt spem propagandæ fidei, & religionis Christianæ. Ipsis etenim annuentibus, comitantibusque sæpenumero, in longinquiores terræ tractus ingressi patres, longè latéque albicantes animorum segetes admirati sunt: Veneruntque quam plurimi, ijsdem ipsis adiutoribus, vt relicto infami dæmonum cultu, ad Christianam religionem se aggregarent. Id vero oppidum, qua flumine, qua terræ cingitur crepidine; vbi videre est ingentes domorum ruinas, ipsóque in vertice prægrandium idolorum copiam, antiquæ superstitionis monumenta; famaque iam pridem inualuit Mexicanam gentem (quo tempore dæmonis ductu, è longinquis oris eam Prouinciam, quam nunc incolunt, omnino cæterarum vberrimam, in morem Israëlitici populi, longo viarum ambitu peterent) hanc sedem multos annos tenuisse. Eiusque rei argumenta

Digitized by Google

menta creduntur ea ipsa diuersi generis idola, escaria vasa, cantharique & pocula, Mexicanorum hominum supellectili non absimilia. Ergo ingenti nisi conatu sunt Societatis Patres, non modo pristinos ritus & inanem idolorum cultum, vt obliterarent animis; verum etiam vt ad Christi caulas adductos, sacrorum mysteriorum pastu recrearent, Catechesi, & concionibus, & sacramentorũ frequentia ad rectam vitæ rationem instituerent. Vtque ea res maius incrementum caperet, erecta sunt hoc anno templa quatuor; nec mediocris fructus extitit, licet multo maior futurus in alijs longè nationibus, si operarum numerus suppetisset. Verum in ijs, quæ præ manibus habemus, accidit vnum atque alterum memoratu dignum. Senex is, quem superiore anno retulimus pendentem è collo lapideum globum, commorante intus familiari dæmone, gestare solitum; is inquam Patrum hortatibus induci haud quaquam poterat, vt Christianam fidem amplexaretur. Imo faustis nostrorum euentibus inuidens, Patrum semper obstabat conatibus. Igitur pestilenti morbo grassante, tantus erga indigenas amor iniectus est Sacerdoti, ægrósque adiuuandi desiderium, vt incredibili cupiditate, nõ cęlestibus tantum mysterijs opem illis ferret, sed pharmacis etiam, rebúsque dulcibus, & conditis apud se cibis, ad ægrorum inopiam, tædiúmque subleuandum ostiatim veteretur. Tunc senex dęmonis instinctu, hanc mutatæ religionis pœnam esse dictitabat, admonebátque Sacerdotis domo allatas epulas, tam diuturnæ ægrotationis causſam esse; exterminandos igitur procul populorum pestes Sacerdotes, & à noxiâ, corporibúsque & animis inimica religione

Digitized by Google

abstinendum; sin minus, ocyus moriendum. Vix credas quam facile ijs versutijs, eorum animos in terrorem erroremque immerserit: præsertim cum per id tempus accidit, vt vnus ex ijs æger, quem Pater maiori cura, & ardentiori studio frequentius inuiseret, sperans ea ratione illius animo melius consultum iri (quippe Christianis nondum annumeratus, baptizari renuebat) simul ac Pater illum adiret, eo acrius lethali morbo corriperetur, vt simul illi cum Sacerdotis aspectu pernicies inferri crederetur. Ea res magnam aspernandæ religionis materiam præbuit, instigante præsertim veteratore sene: quo facile obtinuit, Patris vt omnino congressum, aspectumque vna omnes vitarent, ingentemque inusserit Sacerdoti dolorem, quod veram fidem despicatui ducerent. Verum (quæ est diuina Prouidentia) cum sperandum erat minus, baptismum poscit æger, sperans, si compos fiat, breuiter sibi restitutum iri valetudinem, nec irrita spes, fuit. Vix enim salutaribus lymphis renatus fuerat, cum sanitatem recepit, postridieque gratabundus domum venit. Vix credas quot hominum per eam occasionem religionem appetiuerint, optarintque Patris aduentum, baptismi & sanitatis ergo. Atque idem ipse senex, qui antea à nobis tam alienato erat animo, quique à Christianis sacris maxime abhorrebat, iam nunc accusat stultitiam suam, Christianamque religionem appetit, paucis post diebus salutari fonte tingendus. Alius indigena senio confectus & moribundus, Patri relictus erat, desperata spe tum vitæ, tum baptismi, ob inauditam duritiem, quâ à fidei veritate, & piacularis aquæ curâ, eius omnino peregrinabatur animus: sed mirum

mirum dictu est, quantum in eo diuina misericordia eluxerit. Coquebat Patris mentem ea cura, miserúmque senem ad infernas sedes iam dudum descendisse ratus, magnopere angebatur animo, sed Dei aspirante numine, iam post nouem amplius menses (longius enim, quam vt sæpius adiri posset, morabatur æger) eo Pater reuertitur, inuenit iam iam agentem animam, suadet prolixa tandem hortatione, Christianus vt fiat; at ille, quin imo, inquit, morior auorum vestigia sequens, & quos iam diu multúmque, noui, veneror Deos; tellurem nimirum, maicium & ceruos, quippe ij proficiunt in humanos vsus & commodum. Tu vero, quem prædicas, quis ille est Deus? nec noui, nec veneror, nec vidi vnquam his oculis. Ingemuit Pater, ac ne quid intentatum relinqueret, tametsi barbaricum ingenium flecti nequáquam posset, instat ex ipsa natura rerum petitis rationibus, sed tanto voluntas illi obstinatior. Occurrabant enim eius animo falsa auitæ consuetudinis documenta, ludi, compotationésque, quæque ebrietatem sequuntur; quibus, vrgente præsertim dæmone, ita barbara hominis mens indurauerat, vt iam sacerdotis hortamenta & monita, non modo ad animum, sed ne ad aures quidem admitteret. Atque adeo aliquot infelix dies in hac insania perstitit, donec de inferorum cruciatibus, non ita multo post obitum subeundis, déque scelestorum supplicijs, & horrore pœnarum sermonem nostrer intexuit, obstinatúmque animum flexit: tum hic tanquam ex alto veterno excitatus, caput extulit, cœpitque ex eo mollescere, & aspicere diuinam lucem, detestarique

starique parentum errores, ac delibutus maiore gaudio, quam quod mens capere posſit, fidei elementis inſtructus, diuina baptiſmi gratia potitus eſt; ſtatimque ab ipſa ablutione, fauenti cælo fortunatam animam dedit. Ablatus eſt quóque ſacrificulis & veneficis medendi vſus, inhumanúmque facinus extermiuatum, quo ingentem imperitabant occidi puerorum vim, cruore vt occiſorum intincti ægri ad ſalutem reparārentur.

MISSIO AD PALVDEM MAGNAM.

TRES Sacerdotes, tribus ſtationibus partiti, in hanc miſſionem excurrunt, vbi quatuor hominum millia Chriſtianæ doctrinæ, & ſacrorum myſteriorum imbribus irrigandos nacti, mille ſupra quingentos hoc anno irrigarunt, & Chriſto adiunxerunt. Cacicij duo magno ſuæ gentis comitatu ad nos venêre, ſexcentique ex comitibus baptiſmali lauacro abluti ſunt; Dynaſta item alius nuperrimè baptizatus, cum ad ſuos reuertens, legatos procul dimiſiſſet, vt ad regale conuiuium populares euocarent vniuerſos: ex ijs duos efferi homines, alterum occiderunt, alterum igni toſtum epulati ſunt; tertium item voraturi, niſi cum à ſuis male acciperetur, properè ſe proripuiſſet: is vidiſſe ſe teſtatus eſt numeroſam indigenarum plebem, quos Hooes, id eſt hoſtes vocant. Reliqui vero eiuſdem Dynaſtæ legati, oppida pænè ſeptem propediem ad nos ventura eſſe nunciarunt, treſque adeo miſſi ſunt ad noſtros obſides,

obsides, religionis adeundæ pignora. Homines ij sunt bona indole, statura proceri, intecti caput & corpora, prælongósque capillos in feminarum morem comere assueti. Igitur aduentantium hospitum consuetudine, nouitatéque magnopere gauisi sunt Paludani. Abundat porro Palus multo pisce, penelopéque & anseribus, quos expansis modo captant retibus, modo nantes, vel etiam volantes fixis sub aërem sagittis aucupantur: eáque est indigenis in arcu dexteritas, vt quoties libuerit, ceruos, fugacesue lepores sagittis saucios, cursu præteruolent, centenosque afferant domum. Eam in paludem exonerat sese id, quod Nassarum flumen vulgo nuncupant, deficientibus nonnunquam aquis, intráque terræ viscera furtim labentibus; ac per eam occasionem decrescente palude, partitáque in stagna, commodior fit captura piscium, in oppidanorum & vicinę gentis victum; humidęque stationes satiuas sementibus areas offerunt, tam vbere prouentu, vt nequo aratro, neque labore, neq; imbribus indigeat tellus, & Maiciæ arundines in cubitales spicas nihilominus matureſcant. Gens omnis, quæ Patrum doctrinâ instituitur, in duodecim diuisa populos, mirè ad Pietatem crescit. Ingenij nimirum bonitate excellit, eáque mansuetudine & suauitate morum, vt omnes iuxta nationes facile vincat. Sane adeo peramanter Sacerdotes nostros cuncti prosequuntur, ecclesiasticisque ceremonijs ac ritibus ita sunt dediti, vt veteranis Christianis nihil cedant. Illud vero ridiculum, & mirandum inter eos, quod grauidis feminis, vbi finem fecerit partionis dolor, ex more patrio seruabatur. Nam eæ statim à partu lecto exurgere, ac domestica

meſtica obire miniſteria, ſolitæ erant: quarum loco (qui Braſilienſium quoque mos eſt) in aliquot dies decumbebant mariti, atque officij cauſſa ab amicis, & propinquis inuiſebantur, quibus aliquando, rarò tamen, ſorbitiunculæ, ad reficiendas vires, adferebantur, qui interea à noxijs dapibus abſtinere iubebantur, à piſce præſertim & carnibus: Nam ſecus ſi facerent, fore, vt piſcoſa flumina, ſaltúſque, leporibus & ceruis frequentes, inquinarentur. Poſt aliquot vero dies præ fame confecti & languentes, prenſa manu deducebantur, à ieiunij & cubatus neceſſitate liberi. Si quando venatum ibant, ceruorum caput abſciſſum cum gemino prægrandi, ramoſoque cornu ſeruabant in parentum memoriam poſteritati relinquendum, vt, cum è viuis diſcederent, ritè hunc in modum parentarent. Sub intempeſtam noctem lugubri cantu, feralique pompâ è defuncti domo longus ordo procedit. Vna it poſt omnes reuerenda facie, canas expaſſa comas anicula, manúque defert ceruinum caput ingentem in pyram ſuperimpoſitis ſagittis extructam. Interea plorante anu, cantantibus ceteris, cum clamore & ſaltatione inſomnis ducitur nox; ad auroram verò, erectam tædis atque ilice congeriem, & ſagittas, capútque ceruinum, & defuncti memoriam vnâ Vulcanus abſumit. Cum ad bella procederent, ſi quidpiam triſte, lætumue accideret, eoſdem ritus celebrabant, octonóſq; totos dies ac noctes ſolennes choreas agitabant. Inter quos nonnulli, diem noctémque abſque intermiſſione, cantu & ſaltationibus conſumebant. Longa eſſet ſcribendi ſeries, ſi ſingula referenda eſſent, quæ

his

his indigenis, dum in gentilitia barbariè degerent, superstitiosè vsurpabantur. Iam vero quibus splendor veritatis affulsit; ijs superstitionibus iam dudum repudiatis, vna omnes in fidei luce perseuerant, satis experti, quantum Christiani ritus, suis antecedant. Est locus vno in oppido lustris horridus, sacérque indigenis prisca formidine, & auorum augurijs, spectrisque & nocturnis visis famosus, antiqua lemurum sedes. Hic dæmon priscis ab hinc annis serpentum, ferarúmque facie horrendus visebatur, famáque est, dum se in sacerdotum speciem aspectandum nonnunquam præberet, solo aspectu plurimos indigenas vita priuasse. Atque adeo cranijs & ossibus locus ille omnis horrebat, quibus vicini accolæ ingentes lapides opponebant, ne videlicet nocturnis imaginibus infestarentur. Quin hodiéque remanent ac visuntur illius antiquæ feritatis vestigia, impressis ex humano cruore ad eminentiores scopulos, exquisita forma characteribus, idque per summa crepidinum fastigia; quo *vix ipsis* volucribus patere via videatur. Ergo illud in oppidum profecti duo sacerdotes, cùm Societatis ministerijs nauarent operam, sub quietam noctem raptari cæpit dæmonum vi miser indigena, tum vero auditæ voces horrendo cum fragore. Accurrunt vna omnes populares, ac post ingentem clamorem, post aduentantem hominum multitudinem, ille nihilominus ferebatur exanimis; tum errabundi omnes quæritant hac illac percursantes, donec tandem inueniunt aspero in loco iacentem hominem, totum corpus caputque, & manus & pedes tremore gelidum, nec apparebat iactator: tum vero exterriti op-

pidani pauere, rogareque noſtros, huic vt calamitati conſulerent, facile futurum arbitrantes, vt patrum precibus, cæleſtique fauore tali tantóque metu liberarentur. Igitur ſequenti luce cum frequentiore ſupplicantium agmine, & prægrandi crucis vexillo pompa celebrata eſt; erectum dehinc altare extemporaneum, miſſæque ſacrificium rite peractum: poſt ad infamem ſpectris locum affixa crux, & ille raptus vexatúſque indigena, cum centum alijs adulta ætate hominibus, baptiſmo luſtratus. Poſtquam igitur accolæ ab ea die fugatos dæmones, noctiúmque occurſacula ac formidamina depulſa experti ſunt, maior in dies ad rectam fidem fieri cœpta acceſſio; tam Chriſtianis in ea confirmatis, quàm Ethnicis in eam propenſiùs inclinatis. Puellula, totus parentum amor, graui affecta ægritudine, amiſſa ſpe vitæ, miſere deplorabatur à ſuis; ad extremum vero ſalutis confugium inuenerunt: nam vbi ſacerdos flexis poplitibus parentem Ignatium precatus eſt, ad integram ſanitatem actutum puella redijt. Sacerdos idem cùm è pago diſcederet, peregrè ad alios profecturus officij cauſſa, inſtanter imperitat adiri popularium domos, diſquirique ægrotos omnes, donec admonitus confeſſionis, aut baptiſmatis indigere neminem, equum diſceſſurus conſcendit: veruntamen diuino inſtinctu etiam tum, ad magis magiſque requirendum, vrgebatur, quietóque animo eſſe non poterat, donec tandem pertentans ſciſcitanſque ſæpius, & ſtudio ſalutis animorum inardeſcens, huc illúcque dum pererrat, maturiorem annis feminam moribundam inuenit; quæ, quod aduena eſſet, deſpiciebatur

ab

ab oppidanis. Hæc tametsi principio baptizari renuebat, postea tamen ita peruicta est, vt & Christianam fidem receperit, & de lustralibus aquis cælum extemplo petierit. Felicissimam parentem, post biduum secutus est infans baptismo renatus.

TOPIANA ACAGÆORVM EXPEDITIO.

EA Vallis, quam Acagæi habitant, incolarum multitudine quondam florentissima, & totius quasi gentis caput, à muliere olim Topiæ nomen traxisse perhibetur; cui diuinos honores ideo impenderant, quoniam nubis more in saxum versa, ad scyphi capacioris formam huc vsque in Topiana valle perseuerat: atque vt Topias vocant eo idiomate, crateres è cucurbitis vimineóue textu, aliaue materia ad epularum vsum, testudinibus non admodum absimiles; à Topijs vasis, Topiæ nomen ea mulier accepit. Huc primus appulit Hispanici exercitus Gubernator & dux Franciscus Ibarrius, primúsque è nostris hominibus, non ita multo post, fidei vexillum erexit Pater Gonsaluus de Topia, is qui Cinaloënsium manibus, pro vera religione feliciter occubuit. Topiana omnis regio asperrima est, vergitque ab Aquilone ad Austrum longa montium series, latitudine leucarum quadraginta, atque adeo adeo protenditur versus nouæ Galliciæ regnum ab ea Regione, quam nouum Mexicum appellant. Vnde fama & auditione accepimus, oriundos esse Mexicanos indigenas.

Atque

Digitized by Google

Atquẽ inter ipſa montium iuga media ſita eſt hæc vallis, quam peculiari nomine Topiam dicunt, eáque propter non niſi per fauces & anguſtias montium, panduntur viæ difficillimis itinerum anfractibus, per aſperrimas ſaxorum crepidines, & multis millibus paſſuum ardua cacumina circunfuſis abrupta fluminibus; quæ capacioribus alueis, & crebris aquarum mæandris, longè latéque labentibus, quà ad meridianum mare, quà ad ſeptentrionale, quà ad eam, quam vocant Paludem magnam, celeri lapſu deferuntur, partimque viuis & perennibus aquarum venis, partim pruinoſis imbribus, & hiberna niue turgeſcunt. Ex quibus, vt reliqua ſileam, flumen vnum, ad duarum penè leucarum ſpacium, tercenties tranſuadatur. Neque vero ſoli montium vertices brumali teguntur niue, verum etiam ipſæ obcæcantur viæ, trium ferme quatuorue cubitorum altitudine: ideoque dum tumentes fluminum aluei ſolutis niuibus eminus ſpatiantur, planiora loca & longe lateque patentes campi niuali humore pingueſcunt; & Maicia meſſe victuque, ſatis ſuperque abundant; Ianuario præſertim Februarioque menſibus, vt æſtimare ſatis non ſit, vernumne tempus ſit, luxuriantibus agris, an hibernum potius, rigente bruma, & cælo carente imbribus. A Quintili vero ad Octobrem, quot diebus ruunt magno impetu intermiſſi aquarum imbres crebri, fulminibus ferientibus denſiſſimas & proceras pinus, quibus abundat montoſa tellus, cum picea nuce quam plurima. Huc idcirco eſum ventitant interdiu centeni pſytacorum greges, redeúntque dormitum noctu in natiua loca æſtu torrida; ſcyuros

præterea

præterea passim inuenies, eósque diuersi generis & exquisitæ magnitudinis, quibus pro tegumento est villosior cauda; ad hæc nil mirandum magis, quam passer ille, quem fabrum lignarium vulgo nuncupant, eo quod in arborum stipitibus, ter mille foramina rostris excauet, singulisque foraminibus singulas asseruet glandes, qua æstati prouideat, Galli, gallinæque cum pauonibus, & corpore certant & pulchritudine; sunt etiam qui noctu viderint, canibus nonnihilo minores, carbunculos fulgorem mittere extra sese; ac ne comprehendi possint, gemmantibus à fronte igniculis, explicatam cutem nonnunquam offundere. Ad montium radices cælum graue est, & immoderati calores, siquidem ipsæ conualles, & apertius camporum æquor torretur æstu, obnoxiúmque est infesto culicum generi cyniphibúsque; quos ea propter rotatores appellant, quod venenatis aculeis vbi diu multúmque pupugerint, humano fæti sanguine, nec gradi queant, nec volare, sed turpi rotatu dilabantur. Verum ea loca sunt varijs fecunda fructibus, platanis præsertim, melopeponibus & prunis, arundinibúsque succo prædulcibus atque alijs peregrinis & natiuis fructibus, quos partim industria, partim propria sponte, natiuáque vi tellus offert. Nec apes solæ fauis recondunt niueum mel, verum crabrones etiam, sub excauatis siluestrium arborum corticibus, capaciores cellulas dulci liquore grauidas abunde reponunt: quæ satis superque victum indigenis, & cereas templis faculas exhibeant. Piscibus abundant flumina, ijsque & gustu, & magnitudine, & forma multum absimilibus,

Digitized by Google

libus, quos Europa vnquam vidit. Augescentibus vero imbre ac niue fluminibus, cum ad ipsas maxime fauces fætificandi causſa æquorei greges ex alto succedunt, confestim è vicinis regionibus haud ignara prouentus, magna hominum multitudo cum retibus, & verriculis aduolat. Capiendi autem cùm aliæ sint artes, tùm illa in primis valde facilis; quòd iniecto in aquas liquore è contusis certarum arborum filijs, circum circa piscium effusam copiam, Lethalis veternus occupet, ingénsque captura nullo negocio fiat; adeoque ingens, vt non cibis solùm magnam anni partem sufficiat, sed exteris longinquisque victum præbeat. In dorsis vero montium benignior est soli, cæliquè temperies, scaténtque ea loca pellucidis ferme fontibus, vnde indigenæ dulces hauriunt latices, intráque ipsius terræ viscera passim argenti & auri venæ reperiuntur, omnium profecto, quas nouus habet orbis, ditissimæ. Atque hic Hispani iamdudum argentariorum villas extruxerant; effodiendis metallis, verum desertæ sunt pænè omnes, tùm Hispanorum hominum raritate, tùm rei familiaris & annonæ penuria: præ victus enim: penuria, ingraueſcentibus plus solito rerum precijs, euiluit argentum. Ad hæc medias montium crepidines, & inacceſſas rupes. Acagæi coluerunt, quà solis ardores & immoderatos calores imis in conuallibus, quà in summis verticibus aëris iniuriam & duriora frigora pertæsi: non illi pagos, non mutuos celebrabant cætus, sed dispersi per varia loca, solo coniugum & liberorum comitatu, more pecudum, nullis magistratibus, nulla legéue constricti morabantur. Si quando vero

per

Digitized by Google

per rixam, prælíorum oriretur occasio, euocatis hinc atque inde consanguineis, ad arma prodibant, pharetra è leonum exuuijs, prælongóque arcu è brasilia materie, ac veneno illitis sagittis insignes, Herculana claua Siculæ in morem ad lumbos accincti, pexíque prægrandem capillorum comam, discoloribus redimiculis, in caliendri seu muliebri coronæ formam intextam, lapillorum & gemmarum varietate, festiuóque ornatu visendi, ceromate peruncti cum metallico puluere: à tergo vero partes, quæ decorè cerni non possunt, lignea teguntur bracteola, supráque pendet, è præsegminibus ceruini corij, ad poplites vsque parum aptè collocata cauda, cum lucenti speculo. At qui potentiores in his erant, hostilem aciem vbi extinxerant, cruenti sanguine, & onusti præda, insigni cum victoria triumphantes impunè reuertebantur. Triumphi vero species hæc erat. Vbi missilibus spiculis vtrinque certatum esset, is cui victrices cessere sagittæ, magno impetu hostili tergo insultans, iacentem hasta confossum vita priuat; gladioque abscissum caput, in trophei speciem manu gestat, atque ad suos vbi victoriæ rumor emanauerit, ipsi longis agminibus procedunt obuiam, à quibus ouansque, & lætabundus excipitur. Interim aniculæ feminæ ad destinatam aram, vbi sedulò deportarint truncum cadauer, inditum intra prælongos lapides, syphonum in formam excauatos, trahunt sæpius, retrahúntque: efferáque barbarie præcisas manus, sibi suspendunt collo: deinde domum deferunt, fatali arbori affigendas. Postremò membratim auulsas carnes in ollis excoquunt: interea oppidani,

exterique

exterique omnes insignes hostium spolijs & cæsorum hominum ossibus, præeunte victore cum hostili capite, totam noctem in saltationibus & choreis ponunt, partasque ex hostibus victorias cum tripudio celebrant, donec albente die (horrendum dictu) valescentibus flammis, liquatas exossatásque carnes cum cicere, & elixis phaseolis ex æquo partiuntur: ac primum de condimento simulachris nonnihil apponunt, qui vetus est libandi mos, deinde victori, post aniculis, & saltatoribus; atque adeo in impias ipsi dapes magno cum tripudio, & effusa lætitia sese ingurgitant. Aiebant ij, dum Hispanos insequerentur, Æthiopum carnes porcinas esse, ac perinde gratiores iucundioresque: at Indorum, bubulas: Hispanorum vero, veruecem sapere: ceterum victoribus laudis honor tribuitur, perforato inferiore labro tot insertis osticulis, quot hostes marte trucidarint. Nullos illi pæne certis hominibus, quamuis nonnullos certis brutis animantibus, habebant honores; Nam cuniculis ceruisque religionem numinis tribuebant, ne satis, agrisue nocerent. Dum autem se ad varia mactandum animantia in montes effunderent, colebant aquilam. Nouaculam item è silice adorare soliti erant, quo tempore ad bella eundum erat, ne scilicet obtunderentur siliceæ sagittarum cuspides, neue in cassum spicula torquerentur: ad compotationes porrò & solennes epulas formatum lapidem in hominis effigiem, precaturi sistebant ad aras ipsas, quas crescentibus paulatim orbiculis, ab imo ad summum in maiores orbes, instar delphicæ mensæ construebant. Sed illud in primis ridiculum superstitionis

Digitized by Google

nis genus : quod ad captanda itinera, vel ad grauiores aliquas auſpicandas res, adhibita ad fatalem arborem precatione ſagittam, aut defuncti os filo traiectum ad aram, aut ad arboris ramum temere ac fortuito appendebant. Interea ſacrificulæ, penes quas erat precandi cura, inſtitutum ieiunium ſeriò ſeruabant, atque vbi pugnandum vel ſerendum eſſet, vel laxanda retia ad piſcoſa flumina, donec victoria, vel imber ſuccederet, vel piſcium ingens captura; eædem vetulæ longos ieiunij dies traducebant: neque vero à cibis ſolum & victu aſtinebant, ſed ab alloquio etiam, mutuóque hominum contactu, ne ieiunium violarent. Peregrè aliquando officij cauſſa profectus, cùm vni ex ijs forte occurriſſem, procedebat illa tardo greſſu, languentibus oculis, rugis tota contracta, emacida vultu, & confecta fame, totum corpus intecta, ſolam ſordido ſtrophio appendebat cucurbitam. Ampuſam, vnámue ex Harpyijs crederes, ſtygijs ſeſe vndis extuliſſe. Vix me conſpicata accedentem, fugit ilicet ocyor Euro, ne leui ſaltem affatu macularet animum : cúmque mirari ſatis non poſſem informe monſtrum, cauſſam ſciſcitatus, didici magnam ieiunij partem in ſilentio conſiſtere. Quod ſi res proſpere non euenerint, tum ieiunatrices deſpicatui ducunt, vel etiam multant, ſimulachrúmque verbis ac iurgijs male admodum acceptum, in terram proijciunt; neque vero informes adorant Deos, niſi impetrandi commodi cuiuſpiam cauſſa. Delectantur nonnunquam hauſtibus calidioris aquæ, inſperſo Maicij toſti puluere, quem Pinole vocant; atque ex ea potione olla perpetuo

tuo ſtat ante fores, vt inde venientibus & abeuntibus tùm amicis, tùm ignotis, tùm etiam exteris quibuſlibet, dapes & pocula porrigant. Pro pane vulcano torrent Maiciam Cererem, tenuéſque placentas in teſtis excoquunt. Si quando carnibus veſcendum, ſale cibos non apparant, ſed inter epulandum, ſalſi lapidis leui guſtatu, ſaporem temperant. Ceterum nudi ſemper incedunt, contenti tenuiſſimis cinctorijs, & longioribus flocculis antè, & retrò indecoras partes corporis, tegentibus. Sindones nonnulli texunt ex ijs fruticibus, quos Maqueyes vocant, innumeris vſibus accommodos; quos etiam, donec linum elicuerint, dentibus & molaribus aſſidue contundunt, ac macerant. Laborant præterea nebulas lineas, è goſſypio & bombice intertextas duplicibus mæandris, vndantibus variatas coloribus; gemmantibúſque lapillis & cocleis, monilia collo circundant, & brachijs armillas; quin perforatis naribus precioſos appendunt lapides, argenteóſque auribus annulos, & gemmas inſerunt. Tibialium vſus apud eos nullus, cruralibus tamen faſcijs, & ſubligaculis è ceruorum exuuijs tibiarum malleolum & poplites adſtringunt; non tam ad ornatum & pulchritudinem, quàm ad augendam, vt aiunt, pedum celeritatem in curſu: ac vbi ſe defatigatos ſentiũt, per ſalebras & aſperiora loca, breuiore arcu & ſagittula, ſanguinem extrahunt pedibus, parique modo è temporibus nonnunquam & fronte; qua diuturno capitis dolori medeantur. Si quando peregrinabundi alio immigrant, cum vxoribus & liberis per arduas vias, & auia montium ferunt ſeſe, quocúnque volunt. Feminæ curtam ſupellectilem, & penates, victúmque & poteria,

ria, escariáque vasa cistis capacioribus asportant. Circum circa penduli è canistris ceruorum tali, chara maritorum spolia, arundinum calamis inserti crepitant; infantulos vero superimponunt oneri cum psittacis,& auibus alijs variante penna picturatis,quas ob plumarum elegantiam in amoribus habent, seduláque & diuturna curatione custodiunt. Grandiusculos vero natu pueros, obuolutis à tergo,&à fronte decussatis amiculis,viri portant humeris. Homines præterea sunt corporis magnitudine non nimium proceri, aptâ membrorum compage, hilares animo, gracilique aspectu, orisque suauitatem præseferunt, ac sese familiares omnino Hispanæ gentis, & peramantes exhibent. Viri ad cursum lusoria pilá se exercent, ac primùm patentissimam aream, æquatamque planiciem quadratis à cæmento carceribus in effigiem theatralem ædificant. Trilibre pilæ pondus, tantum quantum est caput hominis,è congelato quasi compactilibus neruis certarum arborum gummi, decem aut pluribus colluforibus bipartitis, in factiones duas hinc inde propellitur, vicinosq; interdum populos, cum locuplete brauio, ad commune certamen lacessunt. Triduum vero ante compactam diem, viri feminæque instadiodomo peragunt modulatrices choreas, quarum hæc est species. Prima nocte duo hastati peltatique, armatorum instar, egregia forma iuuenes, quaquauersum conspicati reliquam multitudinem, ad stadij carceres sistunt sese, ingentique clamore populum excitant: tum senes iunioresque primùm silenti agmine, lentóque gradu occultè succedunt: dein horrenda cum vociferatione, mixtisque clamore concentibus, mediam

Digitized by Google

in plateam sese effundunt: Ponè ingreditur muliebris virginum nuptarumque cœtus, parique omnes concentu festiuos ducunt choros, tresque ipsos dies ac noctes suorum athletarum encomijs absumunt. Ad destinatam vero lucem lætum ac lautum conuiuium; & opiparas dapes ijs apparant, quos spes victoriæ eluserit. Postera interdum nocte athletę omnes antagonistas celebrant, magnumque ardorem & stimulos identidem ingerunt sociorum animis. Continuo albescente die egressi præfato ordine Primipilares duo, toto corpore & ore fuscum colorem fuco mentiti, prodeunt visendi in plateam, sequente virorum ac feminarum cœtu: ponè sequuntur ex aduersis populis iuuenes multi, lusoria omnes arte strenui, quà nudi, quà picturata veste, gemmantibus plumis, & stibio fuliginatis oculorum orbibus, lacessuntque effusum vulgus, & obtusas cuspide sagittas huc atque huc eiaculantur. Dein turbis terga vertentibus vacuóque foro, delectisque popularibus è conspectu obuiam egressis, nacti omnes idoneam stationem, hinc inde oppidani pariter & externi extra ictum teli, apertam planitiem occupant. Tum pila humeris ab vno propellitur maximo nisu. Mox accurrunt alij certatim, & ne vllam aliam corporis partem contingat, qui fuit velocissimus, iterum coxendicibus trudit. Dein accipitur ab alio impellenda ea cautione, ne vel pedibus vel manu contingant, vel fallente interdum cursu cadant, atque ea velocitate & agilitate corporis, vt quinas senásue horas sine defatigatione, hinc inde libratum pondus iactitent. Tum qui dexteriores extiterint, facile omnium plausu victores pronunciantur cum brauio & donarijs, coronis,

Digitized by Google

cotonis, variaque supellectile, quingentorum sæpius aureorum precio. Nonnunquam victis supercilia depilant acri cum dolore, vel oculorum sinus Indico pipere ad ingentem vsque vim lacrymarum acrius perfricant. Tesserarum ludus feminis frequentior, atque hæ sunt arundineæ, nostrisque non admodum absimiles, certis numerorum notis distinctæ, ludique victoria in eo sita est, vt cui prior destinatus numerus euenerit, hæc victrix decernatur, statis interdum quibusdam notulis, vt quæ in eas ceciderit, ad carceres iterum retroferri teneatur. Hęc de Barbarorum moribus; nunc de fide & Religione. Tandem Topianis rebus consuluêre, missi iam pridem, de Societate nonnulli: Primus P. Gonzalius, deinde & alij Euangelium prædicare, Christianæque disciplinæ capita tradere instituerunt, tam secundis euentibus, vt pauco tempore, etsi non pauco labore, multi indigenarum ex asperrimis montium iugis, & siluis, & rupibus inaccessis, ad æquiora loca, fluminaque multo pisce, salubribusque aquis gratissima, sola Patrum suasione commigrantes descenderint, atque à ferâ agrestique vitâ, ad humanum ciuilemque cultum traducti, principio è paleis & arundinibus, crudóque latere capaciora templa, domosque fabricauerint, atque amplius quinque hominũ millia salutari latice tinxerint, tanto ad nostros cõcursu, vt fidei dulcedine delinita multitudo quot diebus lubens confluxerit, confluatque discendi gratia. Atque inter hæc ablatæ primum compotationes, solenniores præsertim, magna vitiorum seminaria, cultúsque idolorum, & gentilitij ritus quam plurimi. Atque hucusque destructa sunt vel etiam adusta ignibus

Digitized by Google

idola amplius quingenta. Rara erat in noſtros indigenarum beneuolentia, quos alacri affatu victúque affatim venientes excipiebant; tam ad virtutem & pietatem propenſi, integros vt dies, cibi & potionis obliti, conſumerent in templis, donec de fidei dogmatis ſatis erudirentur: multique poſt vnicum edocti diem, Chriſtianæ doctrinæ elementa, catecheſimque non callerent modò, ſed memoriæ captu, tenui quidem etiam labore ac ſtudio perdiſcerent. Quo magis mirum videri poteſt, aſperrimis in plagis tam felici eſſe incolas ingenio. Verum inuidit dæmon tam proſperis ſucceſſibus, atque vt ipſi indigenæ erant ad bella gerenda ſuâ ſponte procliues, nec facili negotio, vbi ſemel arma ceperant, à deſtinato Marte deſiſtebant; amplius quinque indigenarum millia ad commune bellum excitauit, qui impetu primum facto, quinque trucidarunt ex Hiſpanâ gente adoleſcentes, quos rei prorſus ignaros, ſomnóque ſepultos ſub dio inuenerant. Argentariorum tum indigenarum, tum Hiſpanorum vicos euerterunt cum incolarum nece, redactis in cineres & fauillos fodinarum officinis, & templis quadraginta. Hæc cum noctu patraſſent, miſſi ſunt protinus, qui reſiduos tota regione ad necem inquirerent: ac poſt inſignem ſtragem, deſideratis ex Hiſpana gente plurimis, pluribus vulneratis, in templum collegêre ſeſe noſtrates cum nonnullis indigenis amicis. Spiculorum vero tanta vis, tantuſque ſagittarum turbo, atro mixtus veneno, intra templi ſepta faſtigiáque apparuit, vt imparati pænéque inermes Hiſpani, ad hoſtium furorem propulſandum, ne ad auram quidem excipiendam, templi liminibus pedes efferre auderent. Igitur Pater Alphon-

Digitized by Google

Alphonsus Ruicius vltima in necessitate, cum nulla nisi in cælesti auxilio, desperatis omnibus humanis remedijs, vitæ spes foret, vbi primùm vitæ criminibus expiatos cælestibus pauit epulis, manu gestans pendentis è cruce Domini salutiferum simulachrum, ad hostium aspectum se proripit, vnde conspicere omnes, conspicique posset. Hinc ad viriles animos & Christianam fiduciam, ad subeundam pro aris & focis glorioſam mortem, territos ac mœrentes Hispanos mirifice cohortatus est. Vix credas quanto exinde impetu sese mutuo cohortati, in mortis discrimen irruerint, pars contortis nitrato sulphureóque puluere ferreis fistulis, pars arcu & sagittis hostilem insaniam quindecim ipsos dies, vsi tenuiore victu, retardarint. Sed hostes facto ad extremum sagittariorum agmine, nostros facile circumuentos oppressisset, atque ad internicionem deleuissent, ni sedulus progubernator cum nonnullis subsidiarijs militibus celeriter affuisset, suoque opportunissimo aduentu, redintegratâ pugnâ, suos obsidione liberasset. Tum hostes in fugam versi, in asperiores montium latebras se receperunt. Hic ego, inquit P. Santarenus, de Indorum conspiratione certior factus, ad eos extemplo iter intendo, intrepiduſque per medias hostium turbas, viginti non amplius, hominum comitatu, vltrò rebellibus oblata pace, ad primarios accurro, vbi summum vitæ periculum adij. Siquidem eo ipso die, grassantes hostium manus vias obsidebant, & quoscunque obuios vestibus & pecunia, suppellectilique, quinimo vita ipsa exuebant. Iamque paterni nominis immemores, pacem offerenti mihi, Apage, inquiebant, non iam parentem agnoscimus.

mus. At demum, fauente cælo, certus vtrinque condictus est inundæ paci dies, qui vbi illuxit, cum albenti vexillo, & cruce, decemque ex Hispana gente, obuiam procedo ex præscripto venientibus, atque ex vndecim oppidis omnes accolas ad susceptam fidem, & ad Hispani regis obsequium vltro reuoco, ingenti omnium lætitia, tamque firmo & stabili fœdere, vt ij iuratam pacem illæsam perpetuò seruent. Ceterum non ita multo post, cum res nostræ melius ire cœpissent, Sobaibi homines, Acagæis vicina gens, facile abutentes nostra patientia, commotique, quòd tam leniter Hispani milites iræ pepercissent, & à vindicta temperantes, temeritatis & peruicaciæ pœnas, quas potuissent, non exegissent; breui sæuius excitarunt incendium. Erat in ijs grandæua ætate veneficus, homo arrogans, fortique & animoso pectore; is subdola fraude creatus à dæmone Episcopus, & Apostolorum, vt ipsemet aiebat, princeps, se Deum patrem ore sacrilego nuncupare veritus non est, eóque tandem suos impellere, vt acerbissimum seruitutis iugum (vt appellabat) excuterent, & priorem libertatem, legis & regis expertem secuti, iam aliquando ab Hispanorum imperio sese vindicarent: eos enim suauibus nihilominus Christianæ fidei legibus imbuendos dictabat. Ac ne deessent tanti sceleris adiutores, duos tresue sibi ex eadem farina indigenas, in Apostolos Iacobum & Ioannem adiunxit, qui plebem vniuersam ad nouæ fidei vexilla conuocarent. Cumque omnia, pro modulo diabolicæ fraudis, adumbrata sacramenta porrigeret, nihil illis gratius accidebat, quàm quod deserta priore coniuge, plures vxores vni viro liceret

pro

pro arbitrio copulari. Igitur dimissis sæpius ad eos ex Acagæa gente nuncijs, qui, si fieri posset, insanum errorem ignaræ genti patefacerent, cum pestis latiùs emanaret, paucis comitibus impigrè ad eos per infestas hostium vias profectus sum, ac dum eos salutaribus instruo monitis, è præruptis montium latebris, numeroso de nouem hostium oppidis cinctus comitatu, ad nostros breui descẽdo, diuina ope, mille periculis ereptus. Tum vero qui perfugæ remanserant in asperis montium verticibus, & densissimis siluarum recessibus, cohortem mittunt, vt oppidanos recenter sub fidei vexillum adscriptos, aut arcu & sagittis occidant, aut etiam flammis templa domosque absumant. Sed ad extremum opportuno Gubernatoris aduentu factum est, vt tanto animorum ardore ac virium, Hispanicæ phalanges contra hostilem indigenarum exercitum dimicarint, vt diuinis auspicijs, victoriæ compotes euaserint. Enimuero post atrox diu prælium, & continuatum tres ipsos dies nocteque acrioris certaminis laborem, ancipiti profecto victoria, dum hostes multitudine maxime freti, & montium latebris satis instructi, cursuque per salebras, nostros vna omnes internecione delere niterentur; dumque sub intempestam noctem, vt Hispanorum impetus eluderent, longius à stationibus flammarum ingentes apices excitarent, quò ad latibula montosque syluarum flexus, facto in Hispanos impetu, repentina eos nece occuparent: tum acrius instantes atque in varias cohortes partiti Hispani milites, impares licet numero ac montium peritia nõ ita exerciti, coëgerunt nihilominus Sobaibos, partim vt per saxa se præcipites agerent, quo mi-

Digitized by Google

litum manus euaderent, partim cum vxoribus, prole, & ſarcinulis victi manus darent. Tum & inſignis ille veterator epiſcopus, cum ſubdolis comitibus captus eſt, & capitale quidem ſupplicium æquo animo pertulit, firmatus in fide, dum duceretur ad necem. Hunc de vniuerſæ vitæ criminibus magno cum dolore mentis, tomploratione & gemitibus ritè confitentem, IESVque nomen ſæpius iterantem, ea ſpe fiduciaque cordis excepi, vt crediderim temporali hac pœna euaſiſſe æternam, cælumque pœnitendo acquiſiſſe. Atque huius victoriæ fama, in vniuerſa Topiana regione tranquilliores effecit res Chriſtianas; cunctiſque ex animi ſententia proſperè cedentibus, firmos in pace populos fidei myſterijs imbuimus. Baptiſmo renati ſunt interea ſub ipſum belli tempus mille amplius & ducenti. Porrò mirum in modum allexit Indorum ad Hiſpanam gentem animos, ſingulare Chriſtianæ moderationis ſpecimen, quod captiuas iuſto Marte feminas, non ſeniores modo, quas nihili pendunt, ſed decora ſpecie vel virgines, vel nuptas vltrò maritis & parentibus acturum remiſerint. Proptereaque millies potius mortem oppetituros, quam ſe iuratam pacem violaturos aſſeuerant. Ceterum hoc poſteriore anno bis mille hominum capita ſupra quingentos baptizati ſunt, in his paruuli quadringenti. De criminibus recens auditi amplius trecenti, & ad Eccleſiæ ritum rite maritati paria hominum ſexcenta, cum immortali gratiarum actione, Deo ſimul & patribus, & æmulatione, ingentique ardore ethnicæ plebis, deſiderióque tum addiſcendæ catecheſis, tum potiſſimùm baptiſmi ſuſcipiendi. Tempus, quo inſtaurati per crucem orbis

memoria

Digitized by Google

memoria recolitur, ſolenniter ab indigenis piéque ac Religioſe peractum; diuerberaruntque ſe ipſos ſæpius, tum in templo ſub primam noctem, tum interdiu ſolenni pompa albentibus amicti ſaccis, incredibili Patrum gaudio: quòd ij, quibus non ita pridem aut humanis carnibus, aut Hiſpani militis ſanguine, fames ſitiſue ſatiari non poterat; nunc tandem effuſo libenter ſuo cruore, & carnis maceratione, peccatorumque pœnitudine animum perpurgarent: quique modò nihil magis, quàm Hiſpanicum nomen horrebant; iam nunc nouo pietatis ardore, & Hiſpanos homines & Sacerdotes amplecterentur. Aduentantibus aliunde noſtris patribus, frequentes ex oppidis cum vexillo & cruce longiſſimè procedunt, occurruntque factis agminibus canentium Chriſtiana rudimenta, donec ad templi valuas Patrem proſecuti, eandem modulationem repetitis vocibus ſæpius iterarint. Atque horum indigenarum fama ita non finitimas tantùm gentes, ſed longinquas etiam peruaſit, eorumque animos Sacerdotibus adeo conciliauit, vt vndique ſummis cum amoris, ac deſiderij ſui ſignificationibus confluant, quo ipſos ad ſe alliciant. Ac primo quidem in oppido vicino, ethnicis frequenti, exceptus Sacerdos vnus, habita breui cohortatione de rudimentis fidei, oppidanos egregie erudiuit. Tum dynaſtæ duo maiore reliquæ plebis plauſu, grates vt agerent patri, quadraginta delectos ex omni ætate pueros; totius quaſi gentis obſides futuros ei baptizandos obtulere: quos vt primum baptiſmo abluit, mox alijs ſex è primoribus ea Chriſtianæ religionis cupiditas iniecta eſt, vt patrem extemplo adierint, negantes donec Chriſtiani fiant,

Digitized by Google

fiant, seſe quieto animo eſſe poſſe; itaque breuiter catechiſmo inſtructos aquis ſalutaribus expiauit. In his vnus actutum valere iuſſis feminis duabus, vni poſtea legitimis nuptijs coniunctus eſt. Quin & Baimoenſes dynaſtæ barbarum genus, nulliſque doctrinæ aratro adhuc proſciſſum, ſuorum animos fidei noſtræ adiungere iam diu peroptant; qui cum ad nos ſæpius rogatum cæleſtis doctrinæ magiſtros adueniſſent; quo facilior aditus euangelicæ prædicationi eas in regiones fieret, in ciuilem vitam vltrò conceſſerunt, & templa ſuis in oppidis extruxerunt, cruceſque erexetunt. At quoniam excipiendis Sacerdotibus præ operarum inopiâ locus non erat, decem ad nos eo animo conuenerunt, vt edocti fidei elementa ad cęleſtem, ſalutaremque religionem ſuos erudirent. Quare magna nos tenet ſpes fore, vt propediem ter mille indigenę, barbaris exuti moribus, veræ religionis beneficio pietatem induant; graduſque breui fiat ad innumeras pæne gentes, quà ſub auſtralem plagam; quà ſub ſeptentrionem longe diſiunctas.

CINALOANA SEDES.

IMMODICIS imbribus plus ſolito aucta flumina, tametſi ſatiuas areas, erumpentibus alueis, magna ex parte perdiderint, perque ipſas oppidorum domos, præruptis carceribus, ingentem ruinam minitari viſa ſint; nihilo tamen minus, fauente Deo, ex luto, incoctiſque lateribus confecta domus, nullis affecta incommodis, imminenti periculo erepta eſt. At ij Patres, qui in finitimis

Digitized by Google

finitimis expeditionibus de more apud Indigenas commorantur, paulo maiora incommoda perpessi sunt. Vnus ex ijs in Apodyterio templi quinque ipsos dies, quà cœlo sæuiente imbribus, quà augescente in dies aquarum eluuie, vel mori destinarat, vel ingentes vndarum fluctus cum vitæ discrimine nando metiri, ni præsto affuissent parati indigenæ, qui medijs ereptum aquis humero parentem deportarunt. Duo alij Patres ad montium crepidines, circum circa vrgente fluminum impetu, & solutis imbribus, infesti Iouis iniurias quatuor etiam dies sustinuerunt. Nam cum omnes vndique viarum commeatus arcerentur, vix euadere potuissent incolumes. Illud Patrum animos vehementer affecit, quod veteratores quidam, diabolo instigante, opportunã nacti occasionem, sub Hispanici ducis abscessum, indigenas à vera religione deterrere contenderint; tentatisque eorum voluntatibus, ad communem fugam facile induxerint, vt Christi se iugo vindicarent, & liberius vitæ genus instituerent, villas, vicos, & templa, domosque incenderent, denique fugam ad montium præruptos vertices capesserent. Sed breui repressum iri eorum audaciam speramus, virtute & consilio ducis, quem reducem ea omnis Regio magnopere veretur ac timet. Per illud vero tempus mirum eluxit tenerioris ætatis, & alumnorum in virtutem & Sacerdotes amor, quod cum à suis in fugam auidius solicitarentur, illi nihilominus parentum æque & propinquorum suasionibus audacter obstiterint, maluerintque cum ijs conuiuere, sub quorum disciplinam ad virtutem & bonos mores instructi essent, quàm eorum, à quibus geniti, inania hortamenta sectari. Indigena

digena mulier annis & senio confecta, tametsi nondum piaculari fonte immersa, tamen inter Christianos diuinis assueta mysterijs, iam diu morabatur. Ea graui correpta morbo Sacerdotem acciri iubet, eique in extremis agens rem totam aperit, atque vt baptismo abluatur expostulat: vtque erat, fidei capitibus satis instructa, obtinet; & ecce cum salutaribus aquis actutum ad vitam æternam euolat. Altera, ætate & euentu non absimilis e gentilitia barbarie ad nos venerat, filium vt viseret. Quem, tametsi ethnica esset, nostris erudiendum tradiderat; vtque huc accessit, in febrem incidit, diuino sane consilio: nam Sacerdotis hortamentis, filijque persuasione ad baptismum adducta est, breuique tam salutari pharmaco salutem corporis experta. Multi ex indigenis ad sacras epulas recenter inuitati, à compotationibus & ebrietate, vbi semel communicauerint, prorsus abstinent. Quingenti adulta ætate homines baptismi compotes facti, pueri pænè sexcenti; atque ex ijs multi recenter nati, à baptismali fonte ad æternas sedes confestim traducti sunt.

INSVLÆ PHILIPPINÆ VICE-PROVINCIA.

QVI in Philippinis Insulis Vice-prouinciam incolunt, sexaginta nouem; quorum Sacerdotes triginta; Scholastici duodecim; Coadiutores viginti quatuor; Nouitij quatuor numerantur, vndecim sedibus diuisi; nempe Collegio vno; Semi-

Digitized by Google

Seminario altero; Residentijs septem, & duabus Missionibus. Collegium Manilense socios habet vndetriginta; Seminarium D. Ioſephi tres; Residentia Antipolitana quinque; Silanensis duos; Zebuana sex; Boholana totidem; Carigarana, cum Ogmucensi Missione sex; Dulachensis quinque; Samarensis tandem, cum Catabigensi Missione septem. Duo in Societatem recepti; obiere tres.

COLLEGIVM MANILENSE.

TRES è Patribus nostris vitâ excessere: P. Didacus Garcia, P. Raimundus do Prado, & P. Didacus Sanchez. Obijt P. Didacus Garcia, anno sexcentesimo quarto, pridie idus Nouembres, cùm in Philippinis Insulis munere fungeretur Vice-prouincialis. Agebat ætatis annum quinquagesimum secundum, initæ Societatis trigesimum secundum, professionis decimum tertium. Admissus fuerat in Castellana Prouincia, dederatque tam Probationis, quàm Studiorum tempore insignia futuræ virtutis, ac perfectionis argumenta. Inde in Perüanam Prouinciam missus, Limæ Ministri munus in Collegio, cùm singulari nostrorum ædificatione obijt; tametsi etiam tum studijs nauaret operam, neque sacris adhuc initiatus esset ordinibus: ac licet ipse & eius Superior ingenijs moribúsque adeo dissiderent, vt ferè semper primâ fronte diuersa sentirent, tamen ita se ad Rectoris sui nutum perpetuò accomodauit, vt eor vnum & anima vna esse viderentur. Ex Perüana

Digitized by Google

ruana in Mexicanam transijt, vbi fuit tyronum Magister, duorum Prouincialium socius, item Tepotlanæ Domus, Collegij Vallisoletani, Angelopolitani, Mexicani Rector; quæ munia semper eximiâ prudentiâ, & ardentissimo zelo præstitit. Missus deinde est in Philippinas Insulas Visitator, vbi & Vice-prouincialis postmodum fuit. Istius itaque Prouinciæ status augmentumque illi plurimum debet: quippe qui primus quintæ congregationis canones illic indixerit, qui plæraque alia necdum ad praxim deducta, vt in hominum paucitate & tenuibus Vice-prouinciæ exordijs, sua prudentia regendique suauitate, priuatis præsertim domesticisque adhortationibus, seruanda curauerit: qui Probationis locum instituerit: qui Residentias, seu varias nostrorum sedes, ex Patris nostri Generalis præscripto aptè distribuerit: qui xenodochia & Sodalitates inter Indos instituerit: qui puerorum indigenarũ seminarijs, ad teneros animos præceptis Christianis imbuendos, initia dederit, viuendique normam præscripserit: qui denique Seminarij S. Iosephi, vbi oriundi ex nobilioribus Hispanis adolescentes, à nostris magno reipublicæ bono educantur, fundamenta Manilæ iecerit. Natura porrò humanus erat ac mitis: disciplina autem modestus, grauis, prudens: vnde cunctis ita carus, amabilis iuxta & venerabilis erat, vt alijs Angelus, alijs Sanctus appellaretur. Eius puritas intentionis non minus in exiguis rebus, quàm in maximis elucebat. Orationi fuit mirifice deditus, quam singulari animi ardore colebat, in qua multum temporis tum matutinis, tum vespertinis horis insumebat; ad eam sese summa animi puritate, in quam diligenter incubuerat,

Digitized by Google

buerat, componebat, diuinam ob oculos præsentiam perpetuo habere studens. Singulis fere diebus conscientiæ suæ maculam, vel minimam per confessionem abluebat; assidua illi erat cum Deo Opt. familiaritas, qua eius animus, veluti aurum optimum, diuino adhibito igne purior, prætiosiorque reddebatur, diuinæque Maiestati charior fiebat. Summum itaque studiũ, atque operam in orandi exercitatione ponebat, in qua sæpius per hebdomadam integram seipsum exercebat, itaque negocijs prætermissis, domum quandam, quæ inprædio Manilensis Collegij sita est, ab omnique strepitu prorsus remota, petebat ad aliquot dies: ibi non solum se totum orationi mancipabat, sed etiam exterioribus corporis afflictationibus ieiunijsque, in quibus summopere enituit, corpus ipsum macerabat: obriza namque pro pane contentus & herbis; quo enim erga alios liberalior erat, eo inse magis parcus existebat: sæpissime nulla adhibita cæna cubitum ibat, & cum infirmo esset stomacho & aduersa laboraret valetudine, nil tamen, quod à communi victu abhorreret, admisit. Cum vero nauigaret, non raro ieiunus vsque ad vesperas perseuerabat, eo ductus consilio, vt ad portum appellens, sacrum de more perageret in altari, quod portatile vocant: summa eius cura enitebat in ea præcipue spiritualis lectionis regula seruanda, quæ fere semper erat contemptus mundi, vel Beati P. N. Ignatij exercitia: quare morti proximus, nostris indixit, vt illud sibi caput legerent, in quo de Regia Crucis Dominicæ via agitur: exercuit enim illum Dominus semper plurimis laboribus: nam prætermissa illa, qua angebatur stomachi aduersa valetudine, in itineribus

ribus nauigationibúſque, oborta ſæpenumerò tempeſtate, adductus eſt in maximum vitæ diſcrimen; itaque in medio laborum eximios pacis fructus collegit. Vnde morti proximus, interrogatus qua eſſet corporis habitudine; Incredibilibus, inquit, crucior doloribus: interrogatus deinde, quid in animo ſentiret? Bene inquit mecum agitur, ſumma pace fruor, gratias Deo; cuius iugum ita ſuaue eſt, vt non ſolum ſolicitudinem ac moleſtiam ſecum non adducat, ſed omnem ex animo moleſtiam adimat, adeóque pacem afferat ſingularem. Cum ſemel præter morem corporis dolores accreſcerent, ac mirum in modum torqueretur, à Domino ſuppliciter petijt, vt paululum illos remitteret: ſed ſtatim ſe ipſum corrigens, Non ita recte locutus ſum, inquit, illud rectius; Auge Domine dolorem, & auge patientiam. Inter hæc iuſſit ſibi Dominicam paſſionem perlegi, quam frequenter meditari ſolebat. Singulis noctibus poſt auditas Sanctorum litanias, alias ſolus recitabat, eorum videlicet Sanctorum, quos ſibi ab ingreſſu in Societatem, ſorte ſingulis menſibus veluti patronos delegerat; horum patrocinium ſæpius inuocabat. Æger petijt à Rectore, vt eius menſis ſanctum tutelarem in libello conſcriberet, quem ad id à primis Societatis annis dicauerat. Pius ſemper extitit in Beatam Virginem, in Ioſephum, Magdalenam, nec non & Beatiſſimum P. N. Ignatium: hũc præſertim, ex cuius recordatione dici vix poſſit, quantum lætitiæ ac voluptatis animus eius caperet aſſidue: quare ſingulari ei ſolatio fuit fruſtulum oſſis eiuſdem, quod hic Manilæ in ſacra theca aſſeruatur, quo viſo atque adorato, in hæc verba prorupit. O ſacrum theſaurum

Digitized by Google

saurum, in quo repoſita ſunt à Deo dona cæleſtia. Eius ſæpiſſimè præſidium eſt expertus, vt patet ex eius manu ſcripto codice; quorum illud, cùm ex noua Hiſpania huc nauigaret; nam cum nauis qua vehebatur ceteras præiuiſſet, terræ proxima, iam iam ad ſcopulos impingebat, quos modica cælabat aqua; vnde clamore oborto omnium imminere ruinã, eius ſuaſu vniuerſi Ignatium inuocant, vixque preces fuderant, cum omni ſunt periculo liberati; quo etiam immunes effectæ ſunt ſubſequentes naues, igne ſuccenſo commonitæ à Socijs Patris. Ad hæc in his inſulis nauigans, orta tempeſtate coactus eſt ſe ad terram recipere, nauiculámque diuino patrocinio commendare; hócque conſilio gubernatoris effecit, qui tempeſtatem diuinans Patri ſuaſit, vt ad terram quàm primùm deſcenderet: timebat namque nauigij ruinam; ad terram ſe contulit Pater vbi noctem duxit inſomnem; illud, certus Ignatij ſubſidio, repetens, affligendam eſſe nauem, ventorúmque vi iactandam, nulla tamen ictu diſſoluendam: cúmque vehemens fuiſſet maris fluctuúmque vis, ita vt ipſi piſces prægrandes ſcopulis impacti, pænè examines ad littus deferrentur, manúque ipſa prenſarentur ab Indis, per Ignatium tamen effectum eſt, vt nullo pacto nauis læderetur, licet tribus integris diebus concuteretur. Ea nauigatione quam poſtremam inijt, ingruente ventorum vi, nauis Sinenſibus, ijſq; gentilibus nautis deuecta, plenis velis errante gubernatore impegit in ſyrtes rimas egit, aquam imbibit, mortem cunctis minabunda. Quare expiati peccatis interitum præſtolantes, Ignatij opem implorant, miſſas pollicentur & preces: & ecce, ſedatur tempeſtas, & ſcapha

quam deuehebant, portum incolumes appulere vniuersi. Pater vero nudis pedibus, ieiunúsque noctem insomnem habuit, quo factum est vt pristini eius languores reuixerint; verum illud omnes angebat, versari scilicet sese in insula deserta absque vlla recedendi spe: scapha enim exigua paucos, non absque periculo, in tanto mari capiebat: sed in hisce laboribus eum vna cum socijs tutatus est Deus: missis namque duobus nautis ad nauem, quam demersam existimabant, illam aquæ insidentē reperêre, ita vt ea præcipue inde extraherent quæ ad sacra facienda opus essent, ceteris nullo vsui seruientibus. Itaque post sex dies en prægrande nauigium illac iter faciens, Patrem socióque, a quibus euocatum fuerat, recipit: primarij viri eiúsque Domini iussu, insulam inde non longe dissitam petunt: vbi alia naui comparata, à fratribus Augustiniani ordinis recepti, se reliquæ deinde nauigationi tradidere. Vix Zebuanam vrbem pater ingressus erat, cum nuntij allati sunt de Sinensis gentis contra Manilantes Hispanos conspiratione: nam Manilæ, quæ caput est Philippinarum, supra viginti hominum milia è Sinensi regno, tum mercaturæ, tū nostrorum vsibus indulgentes, versabantur. Hi Hispanos neci traditos, harum insularum imperium sibi concessuros fidebant; sed res aliter cecidit; ipsi ferè omnes intra mensem ab Hispanis igni, ferro, aqua suspendióque confecti sunt, pauci exceptis, quibus ad triremes, aliaque id genus supplicia, vita est concessa. Horum interitu tum vrbi magna caritas, tum Societati nostræ non exigua est oborta iactura: Nam duo fere millia pondo argenti, ab illis quasi annuos reditus, ob conductos nostros hortos casasque

Digitized by Google

que exigebamus: ſicque omnia vel diruta, vel incendio pænè conſumpta, in nihilum redacta ſunt. Quibus auditis, Pater Deo gratias agens, hæc Patri Rectori, cuius ibi litteras acceperat, reſpondit. Licet caſus hic, tum circa temporalia, tum etiam circa ſpiritualia, dolorem nobis creet nō mediocrem; id tamen mihi perſuaſum habeo, Deum ſcilicet ex his malis bona nobis eximia collaturū, vndique nos Deus laboribus exercet, terra marique tum tempeſtatibus, tum hoſtibns: hinc colligo anſam nobis tribui, qua noſter animus maiora indies ſuſcipiat incrementa virtutum. Hactenus ille. Vix menſis elapſus fuerat, cùm eidem nuncia-tur Mindanaos Indos (hi ſunt permagnæ inſulæ coloni, Mahometicæ ſectæ addicti, noſtrorúmque infenſiſſimi hoſtes) triremibus ſupra ſeptuaginta, magna armatorum hominum multitudine ad Leitenſem inſulam, in qua noſtrorum tantùm deſudabat induſtria, appuliſſe, inuaſiſſe præcipuam Societatis domum Dulacenſem, ſeptingentas mulieres, puerósque captiuos abduxiſſe, quodque caput eſt, Patrem Melchiorem Hurtado inter captos numerari; neque hoc ſatis; in eadem inſula ſedes noſtras decem, templáque ab eodem hoſte igni ſuccenſa eſſe. Hinc magnus animi dolor Patri inceſſit; tot Indos in ſeruitutem redactos, tot animas in fidei ac ſalutis diſcrimen deuolutas, tot ſacras ædes à Mahometanis incenſas ac profanatas, tot ſanctorum imagines fœdis modis habitas, proſtratas, conciſas: denique ſacras Reliquias indignè afflictas, ſacros calices & ornamenta rapta, & violata: nihil iam ſanctum, nihil intaminatum reſtare; & præter hæc libros, ſcripta, exiguámque qua ſocij ſuſtentabantur ſtipem ac ſuppellectilem

Digitized by Google

hostibus prædam ac spolia esse facta, ipsos verò Patres vix seminudos effugisse; pyxidem tamen, qua sanctissimum Christi Domini corpus seruabatur, secum asportasse, atque istud in fuga, vt necessarium viaticum consumpsisse, adeo scilicet barbari derepente irruerant: summo præterea dolori erat Patrem Melchiorem, quem ex animo veréque diligebat, adeo duram seruitutem inter hostes illos, belluis quàm hominibus similiores, seruire adactum. His tamen nuncijs nequaquam cecidit animo, sed maiori studio vitę sanctimoniæ operam nauauit, seque ipsum in diuinam coniecit voluntatem, qua factum est, vt & nostros solari, eorúmque animos ad laborem erigere conaretur. Quare operæpretium duxi hic illud adnectere, quod ipse paulo post, Patri francisco Otazo Rectori Dulacensi scripsit. Omnis, inquit, aditus nobis ad humanam consolationem prorsus est intercluſus, illud tantummodo restat, vt nos ad Deum ipsum recipiamus, id quod pius ille Rex Iosaphat effecit: timore námque (inquit scriptura) perterritus, totus se contulit ad rogandum Deum. In nobis siquidem haud quaquam, subdit, tanta est vis, vt possimus huic tantæ multitudini obuiam prodire in nos irruenti, sed cũ ignoremus quid agere debeamus, hoc solum residui superest, vt oculos nostros ad illum dirigamus. Diuo Augustino vitam agente (teste Possidio) ecclesia in Africa floruit, quam ille verbi prædicatione, studio, seduláque cura ad felicissimum erexerat statũ, sed ecce exercitus potentissimus, veluti quoddã examen non apum sed Wandalorum, Alanorum, Gothorum barbarorum omni sæuientium crudelitate, cunctáque quæ potuere, expoliatione

ne

ne, cædibus, tormentis, incendijs alijsque innumerabilibus, infandisque malis depopulati sunt: nulli sexui parcentes, nulli condonantes ætati, nec ipsis Dei sacerdotibus vel ministris, nec ipsis ecclesiarum ornamentis aut ædificijs. Hoc ipsum videmus non sine nostrorú lacrymis in Leytensi ecclesia, conspicimúsq; (quod tunc sancti Doctoris pectus dolore complebat) ecclesias sacerdotibus ac ministris destitutas, & ex fidelibus alios gladio interemptos, alios animi corporisq; captiuitate parum abesse, quin datam Christo Domino fidē denegent: Ecclesias igni traditas, sacrificia diuináque Sacramenta vel non quæri, vel quærenti, qui tradat haud facile inueniri: in ipsas montium cauernas, siluarúmque latebras confugientes necessario victu priuatos, ipsos Ecclesiarum Præpositos vel captos, vel rebus omnibus nudatos, egentissimos victum emendicare, nec ijsdem quibus fulciendi essent commodis, per summam miseriam, posse subueniri. Hæc ille sanctus. Nullum tunc aderat humanum perfugium, nunc verò nec refugis vestigium apparet vllum: illud præsentissimum remedium visum est illi, cæteriſque sanctis viris talibus obsessis angustijs, omni studio atque ardore animi, orationi se dare, illud sæpius repetentes, Iustus es Domine & rectum iudicium tuum: quod in huiusmodi casu excellens arbitror esse animi munus, reuereri scilicet profundissimam diuinæ mentis iudicijque abyssum; ac profundissimam suiipsius cùm diuina voluntate consensionem, à Deo Opt. expetere; vera etenim amicitia in hoc vno sita est, vt vna eadémque sit amicorum voluntas: ita vt idem ytérque exquirat, idemque perhorrescat; idque tum certum explo-

ratúmque arbitramur, cum alter pro altero difficilia perpeti nequaquam reformidat, sed audet. In alijs epistolis scripsi id, quod nunc repetendum arbitror. Quod ad vos Patres chariſſimos ſpectat, digni eſtis, quos ceteri æmulentur, illúdque certiſſimum mihi eſt, hac occaſione, eos qui currebant, volaturos, eóſque qui ambulabant, velociorem curſum inituros, atque omnes non mediocriter profecturos. Quòd ſi Diuina Maieſtas ſtatuerit vos in ſeruitutem redigi, ob eius cultũ ſeruandum; ſatis perſuaſum habeo, à vobis ſumma cum lætitia diuinum decretum approbandum: at ſi vos vitam effundere ipſi Domino placuerit, eam libentiſſimè à vobis etiam pro eodem effundendam, ſummæ mihi lætitiæ erit. Nos verò licet in hoc boni æmulatores ſimus, explicari vix poteſt, quàm graui dolore euentus hic adeo triſtis torſerit; qui libenti animo ſanguinem vitámque offerremus, vt vel vnus quidem veſtrum, quicunque ille ſit, in priſtinam reuocaretur libertatem. Verum enimuero cum vos Deus tam felici bono dignos effecerit, eo lubenter fruamini velim: creſcat in dies & in horas veſter animus, veſtrum omnium ora, cordaque tantorum bonorum authorem extollant: opera nanque veſtra, veſtrôque exemplo Patres, natique amantiſſimi, viſcera ac corona mea, ampliſſimus Societatis noſtræ honos gloriáque, maiorum quotidie ſuſcipiet incrementa bonorum: multóque plures (vti ſpero) veræ gloriæ fructus, ex his veſtris laboribus Societas noſtra colliget, quàm ex ijs omnibus, quæ hucúſque compoſitis rebus omnibus, maxima cum laude peregiſtis. Confido Dominum, qui non permitteret mala, ſi ex illis bona colligere nequiret,

ex

Digitized by Google

ex hoc, quod maximum videtur malum, bona incredibilia prouisurũ; quod si maluerit omnia perturbari, euerti, labefactari, conteri, nósque quam viuimus vitam amittere, ac reddere illi, qui nobis illam dedit, Iustus es Domine & rectum iudicium tuum. Voluptas leuandi dolorem meum vobiscũ, Patres amantissimi, alio me transtulit. De eo vero quod vobis agendum sit, immemorandum ne sit isthic vobis necne, consultũ est hic inter nostros, visúmq; id quod per alias litteras ad vos misi; sed secundum quod nos vrget, ac summopere sollicitat, est seruitus Patris Melchioris Hurtado, omnes sanè libentissime sese offerrent pro eo, gauderemúsque eius redemptionem mittere: sed vt alibi scripsi, non ita opportunum videtur eam periculo exponere; quid autem in hoc faciendum sit, hesterna die te certiorem feci, idémque nunc repeto. Hactenus Pater vice Prouincialis, qui perinde ac verus Parens pietate plenus, christiana prouidentia, sanctóque zelo boni filiorum suorum, nostrorum scilicet, plantarúmque in fide nouarum, ea scripsit, statuitque ijs calamitosis temporibus, quæ salutaria fuere; & dici non potest quantum ad rem nostris fuerint, vt ij scilicet sua præsentia, consilio ac spiritu præsto essent, ad pertrahendos ac solandos debiles, & timidos, eosq; in fide firmandos. Quare res fauste felicitérque cessit; Interim Pater ipse sese lubens offerebat ad redimendum captiuum P. Melchiorem, ipse itineris pericula, nauigationis labores subire exoptabat: quem cum præsens inuisere non posset, solatus est epistola amoris plenâ, ac prorsus digna quæ ab obliuione vindicetur, ea est huiusmodi. O bone IESV, si liceret mihi hoc potissimùm

Digitized by Google

tempore pennas ad volandum desiderare, ego quidem sane non columbinas, sed Angelicas, ad maiorem celeritatem exoptarem; ego proculdubio totus essem in desiderio, totus sanctis flagrarem votis, quibus, omni secluſa mora, mox responderet effectus, statim enim ego ipse præsto essem, assiderem socius in nauicula, qua fertur socius IESV Christi, non hostis Mindanai, Pater, & filius meus dilectissimus in Christo IESV, Melchior Hurtado, ligatus non tam ferreis, quàm suauissimis amoris vinculis: non vt animum tuum replerem solatio Pater, plenissimum enim puto, illúmque supereffluere diuina dulcedine mihi satis persuasum habeo, sed vt superabundantium cælestium gaudiorum particeps essem, & micas, quæ ex tam lauto diuinæ consolationis conuiuio cadunt, possem colligere, non fonte ipso satiari, sed cadentibus hinc inde riuulis, sitim ipsam aliquomodo leuare percuperem. Non irrigaris solum Pater amantissime diuino flumine, qui lætificat ciuitatem Dei, sed impletur animus tuus, seruo IESV Christi, à Patre, amore animarum eiusdem Christi Domini, vt possis & ipse consolari eos, qui in omni pressura sunt. Certissimum puto, si in tanto quo crucior animi sensu te solum alloquerer, Pater mi dulcissime, ex tuiipsius colloquio me alium recessurum, incensum videlicet verbis tuis, quem hinc prospicio plenum cælesti robore, non fractum animo, nec tristem ob seruitutem, quam æquissimo fers animo ob eius amorem, qui propter te seruus factus est, conseruósque fuso sanguine redemit, quem omni gaudio plenum contemplor, quia in te sanctissima Dei Opt. impletur voluntas. Inter tot tantósque labores, quibus nos

diuina

diuina maiestas hisce lubentes temporibus cumulat, non sine singulari eius prouidentia, ingenuè fateor illud fuisse segetem maioris doloris, altiúsque confodisse pectus meum, te scilicet ab hoste ereptum, extortúmque è meis visceribus, quem singulari prosequor amoris beneuolentia; tantúsque est dolor meus, adeóque intensus, vt intra rationis terminos vix contineri queat, faciléque eius limites transgressum fuisse putem: quod si culpa est, amoris culpa censenda est, nec ita facile culpandus amor, quid enim ille non audeat, quid non licet amori? feruet, ebullitque amore animus meus: quare totus est in affectibus. O vtinam mihi liceret tua præsentia frui, te videre, te alloqui, si possem vel hostes decipere, vel illis suadere, vt me nullius pretij, nulliúsque momenti senem vinculis vincirent, teque in libertatem asserrent, qui pondus diei & æstus in vinea Domini colenda portasti, cuius manus plenę sunt innumeris pænè manipulis, quique in dies, fauente Deo, tum sacrosancti Euangelij prędicatione, tum vitæ exemplo eiusdem vineæ terminos eras amplificaturus. O me senem felicem! O millies beatum! si in me talis ac tanta caderet sors, quàm lætus viuerem, quámque hilaris moreret, & vt felix ille senex Simeon moriendo canerem, canendóque morerer! O amor animæ meæ dulcissime IESV, concede obsecro mihi iam effæto quod cupio. Huc illuc atque in diuersa trahor, vix mihi consto, vix in eodem persisto; delirare facile ego senex tibi viderer, si me amantem non crederes; ardeo amore Pater mi, crede, æstuo, verba sunt amantis, non adulantis, vera sunt, non ficta; scit enim Deus Opt. quod non mentior: libentissimo namque

animo paterer vinculis colligari, quin & catenas amplecterer hilaris, ac deoscularer, & veluti torques non aureos, sed cælestes, è collo ipso suspenderem, vt hostis te nobis amantissimum Patrem restitueret. Quòd si hoc ille renueret, suaderem vt æquo animo concederet, nos vna eadémque catena circumdari, quorum corda, & animos, vnum diuini amoris vinculum longe strictius deuincit: quo reliquum vitæ meæ, quod quidem breuissimum puto, in tam glorioso obeundo munere, tantáque cordis mei voluptate, gloriáque transigerem. Singularis fuit omnium dolor Pater mi, te in hostium incidisse manus, mihique persuadeo omnes (nemine quidem excepto) æmulatione quadam flagrare, efferuescere desiderio, vehementérque exoptare tui ipsius socios esse, téque in hisce glorioſissimis vinculis comitari. O bone IESV, O dulcissime IESV, amor animæ meæ suauissime, licet obruar immenso pænè tristitiæ pelago, complectens tamen animo, in hisce tuis laboribus ac vinculis, passus, quibus veluti gigas fortissimus progrederis in via Domini; progressus illustres, tuáque quotidie maiora incrementa, non possum non exultare gaudio, non abundare lætitia, non exuberare consolatione. Tua opera, Pater mi, apud Indos Bysayas, Dominicam vineam coluisti, eius dilatasti fines, innumerósq; diuinæ gloriæ fructus percepisti: sed longe nobiliores ac diuiniores, inter Mindanaos hostes, fauente Deo ac protegente, & credo & spero, tum vitæ exemplo, tum inuicta animi patientia, inter tot tantásque temporum ac personarum iniurias, à te fore colligendos: & forte qui non credunt verbo,

verbo, vitæ ſanctimonia abſque verbo lucrifient, illã ex timore ſuſpicientes. Tuis laboribus tuáque cura & diligentia, multum gloriæ hauſit Societas noſtra apud Byſayas; confido tamen longe plures futuros diuinæ gloriæ manipulos apud Mindanaos, quinimo arbitror te fore gaudium ac coronam Societatis noſtræ. Quod ſi forte, Pater amantiſſime, inter vincula & anguſtias quibus premeris, nullus adſit lectus, nulla veſtis ſed multa victus & rerum neceſſariarum incommoda, quibus antiquiſſimus hoſtis dæmon, exitium Chriſti athletis moliri ſolet; ſingulare illud puto & pænè diuinum, quo eccleſiæ Doctor Auguſtinus in huiuſmodi concertationibus vti ſolebat, remedium, ad Deum preces fundere, ſeipſum paruifacere, ſibi diffidere, ſeque totum in Domini miſericordias, auxilium; amorémque conijcere: magnámque idem fatetur hauſiſſe ſe animi voluptatem ex his verbis, Iuſtus es domine, & rectum iudicium tuum. Semper ſuis præſto fuit is, cuius nomen eſt, Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione: enimuero ſi ob iuſta ſua iudicia non liberet inopem ab anguſtia, non priuabit tamen proculdubio illum ſua gratia; Cum ipſo, inquit, ſum in tribulatione. Cruces denique ac labores pretioſiſſimi ſunt theſauri (teſte Ioanne Chryſoſtomo) quibus ditat ac locupletat ſuos diuina maieſtas: Ceterum ſi adhibita omni diligentia, non eſt voluntas Dei, vt votorum compotes ſimus; credendum eſt, nobis illud magis conuenire: plurimúmque prodeſt ſe totum diuinæ tradere voluntati, ſiue in vitam, ſiue in mortem. Spero ego & quidem admodum breui fore, vt te videam, teque alloquar, cuius tanto amore teneor: quod ſi per Deum

non

non licebit, in cælo sanè te videbo, te alloquar, te fruar, vbi Mindanaus hostis, neque te mihi extorquere poterit, nec vllo esse impedimento. IESVS D. animarum sanctarũ infinita dulcedo soletur te, Pater mi, tuosque leuet labores & ærumnas, fili in Christo IESV dilectissime, corona mea, & gaudium meum, vale. Hactenus ille. Hinc facile colligi potest amor, quo nostros prosequebatur, quos semper in corde ac visceribus habebat, quippe qui vniuersos, vti Parens verus, summopere semperque diligeret. Dum hæc porro agerentur, in Zebuana vrbe morabatur Pater Didacus Garcia, vbi maiori studio atque animi ardore orationi operam dabat, ieiunia aliaque idgenus officia sibi comparabat: noctes, post flagella corpori infricta, orando transigebat coram sanctissimo Christi Domini corpore, aperta sacrarij portula, sublatoque velo; qua re factum est, vt cæteris exemplo fuerit, incredibilémque in nostris excitauerit flammam, animósque omnium (quasi in tirocinio versarentur) ad orationem exacuerit, ad mortificationem incitauerit, ad pœnitentiam compulerit, atque ad veram cum diuina voluntate consensionem prouocauerit. Sacro denique ieiuniorum tempore absoluto Manilam rediit, vbi cum nostros sua præsentia recreasset, qui eum perinde ac laborum suorum dulce leuamen auidè expectabant, Collegium, vti mos est, visitare cœpit, pluribusque verbis exposuit, quanto ex nostrorum progressu in virtute, inter tot, tantosque huius anni labores, afficeretur gaudio; illúdque de se affirmauit non semel, nullo modo velle non expertum fuisse, quæ in suo naufragio ac periculis Deus illi præstiterit: sed vehementer potius exultare, quod

Digitized by Google

quod ea omnia sit perpessus: adiecitque se, licet semper exoptauerit, vt innouationes votorum, visitationesque summa cum spiritus abundantia fierent, eo tamen tempore longe maxime id concupiuisse, huiusque rei, optimique euentus signa certa habere. Ad finem verò visitationis, paulo deterius, quàm solebat, valere cœpit; & quamuis in lecto cubare nollet, incommodáque vteretur valetudine, nihil tamé de solitis remisit exercitijs, sed orationem, mortificationem, aliásque id genus exercitationes, perinde ac valens vsurpauit: donec audito tristi, sed falso nuncio, Patrem scilicet Melchiorem, apud Mindanaos hostes captũ, è vita excessisse, atque ab eodem hoste petitam denuo insulam Boholensem, febri exardescente decubuit: supplex ipse tunc, eleuatisque manibus atque oculis, suspirans, magno animi sensu in ea prorupit verba, Benedictus Deus, in omnibus & per omnia illi gratias agens, acerbissimo licet dolore perculsus: sciebat enim quanta esset penuria in his insulis fidelium ministrorum, ad tot animas è dæmonis seruitute liberandas, quámque in florenti statu reliquisset ipse Boholensem ecclesiam. Quare febri, exæstuante, & ingraueſcentibus alijs vehementibus doloribus intestina ipsa depascentibus, cùm assidua dysenteriâ, pridiè Idus Septembris, tertia fere post meridiem hora, ex hac vita, siue potius morte, ad vitam migrauit sempiternam, sacramentis confessionis, Eucharistiæ, nec non & extremæ vnctionis rite, piéque perceptis, Hactenus de P. Didaco Garcia.

PATER Raimundus de Prado vita functus est, dũ esset Manilanus verè Rector, decimo tertio Kalen. Martij anni sexcentesimi quinti supra millesimum.

Digitized by Google

mũ. Signa ſummæ ſanctimoniæ moriens reliquit, quo quidem titulo vniuerſa prorſus ciuitas eũ ſuſpiciens reuerebatur: dúmq; vitam ageret, eius ſibi dicta ſententiáſque cuncti comparabant, ac iam demortui reliquias, vel enixe petebant, vel violenter rapiebant, puta cilicium, diſciplinam, veſtium fragmenta, vel quidquid in manus veniret. Eximius ſemper extitit eius amor in Chriſtum Dominum, eiuſque ſacroſanctam Matrem, quorum in eum collata dona cunctis pænè palam facta ſunt. Illud præcipuè à noſtris pro certo habitum, apparuiſſe illi puerum IESVM crucem in humeris deferentem, dum vice Prouincialis munere fungens, Leytanã inſulam pedes viſitaret. Scripta reliquit peccata ſua, D. Auguſtini exemplo incitatus; codicem alium ſcripſit, in quo interiora animi ſenſa, diuináque conſilia, quibus per quinque ante obitum annos informatus eſt, conſignauit; de quibus, alijſque eius virtutibus ſeorſum, vti par eſt, ſcribemus. Pater Didacus Sanchez Antipolanę ſedis Superior, Manilam oppreſſus morbo delatus eſt, vbi & vitam finijt, ipſo Sancti Philippi & Iacobi pernigilio. Eximius vineæ Domini operarius fuit, Indicámque linguam fere ſupra omnes callebat; Indicæ gentis zelo feruebat maxime: quare eorum conuerſioni & ſaluti ſe, vitámque ſuam libentiſſimè dedicarat: quin & mors ipſa illum hiſce diſtentum occupationibus reperit, quippe qui editiſſimos tunc temporis adibat montes, quos Itæ (ſic nàmque eos appellant) barbaræ incolunt gentes, humanæ conſuetudinis inimicæ. Has verbis, has blanditijs alliciebat & donis, quóque libentius Societati aſſueſcerent, illas ad oppidum conſtruendum impulerat; vbi quæ Chriſtiani

Christiani instituti sunt leges edocerentur.

RESIDENTIA ANTIPOLANA.

TERRAM Antipolanam tanta obsedit vexauitque locustarum, cuncta semina exedentium multitudo, vt fructus nulli, & fames ingens timeretur. Quare ad misericordiæ fontem confugiunt vniuersi, orationi se dant, supplicationes adhibent, missas celebrant, Patribus ipsis Indorum necessitatem dolentibus, qui ipsis præsto pro viribus fuêre : locustasque adiurarunt adhibito exorcismo. Vnde factum, vt paucis post diebus, in ipsis herbarum summitatibus demortuæ iacerent locustæ non paucæ, è quibus residuæ in montem cùm transuolassent, illîc breui consumptæ sunt : quarum fætor fuit tantus, vt illac transeùntium iter vel retardaret, vel prorsus impediret. Indigenæ nihilominus, omnesque qui paulo ante mœsti ac iacentes suam deplorabant vicem, hac internecione læti & erecti, Deo gratias agebant, non sine magna admiratione Ecclesiasticæ adiurationis, siue exorcismi, addebantque sæpe illud : En quomodo Deus Patrum voluntati præsto est! mouerat quippe illos haud mediocriter, locustas eiusmodi precationibus è designato loco esse depulsas. Porrò messe adueniente, tanta obrizæ copia reperta est, quanta potuisset optari, cum alioqui nulla prorsus ab ijsdem speraretur. Sed dedit videlicet Deus Opt. Max. pro ratione temporis, id quod cuique necessarium erat : obrizæ enim serotinæ pluuias quasi hyemales attribuit, tempestiuas

Digitized by Google

peſtiuæ vero ſolem nequaquam denegauit. Qua cœli indulgentia factum eſt, vt diuinam ſinguli clementiam perſentirent. Innouata eſt hoc anno in Taytayana ſede, quæ non procul a mari ſita eſt, Diui Ioannis Baptiſtæ Sodalitas, datumque eſt in vulgus, maximi eſſe momenti verum eſſe ſodalem: hoc inflammati deſiderio vniuerſi admitti non ſine lacrymis poſtulabant. Duo accidêre hoc anno, quorum alterum mirifice permouit Indos montanos, eoſque barbaros; alterum verò, eum cui contigit, in fide firmauit. Primùm Chriſtiana quædam mulier Dei oblita, ad interiores montes confugit, vbi poſt aliquod tempus, appropinquante partu permagnos ſenſit dolores, ad quos leuandos, bis idolis ſacrificia patrio more obtulit, ſues, vti mos eſt, interemit libauitque; quæ omnia cum nihil proficerent, morſque ex altera parte vrgere videretur, ſtatuit ad Beatam Virginem confugere, quam prius poſthabuerat: mirum quidem, peracto voto, eleemoſynáque promiſſa, cui illud addebat, ſe ad Chriſtianum oppidum reuerſuram, Chriſtianóque ritu vitam acturam, feliciſſime ac facillime partum edidit: at vero poſtmodum oblita promiſſi, diuinam in ſe iram adeo concitauit, vt miſerrimè breui vna cum fœtu interierit. Alterum eſt eiuſmodi; Indus diu morbo afflictatus, cum ſe venenum hauſiſſe ſuſpicaretur clam ſibi ab aliquo propinatum, (nam hic occidendi mos frequens eſt in his Inſulis, quæ veneficis hominibus feminiſque ſcatent plurimum:) ad Dominum ſe conuertit, eique votum vouit, & ecce mox herbam euomit, quam inſcius ſumpſerat. Hæc Deus in noſtris oppidis, ad ſuſceptam ſtabiliendam fidem operari conſueuit:

nec

Digitized by Google

nec minora in abruptis montium,& proximis defertis locis solet efficere, vt ad S. Euangelij pascua errantes gentiliũ greges aduocet: Placuit etenim Deo vt manus iam (quod nunquam antea) darent barbari ac syluestres, quorum habitatio sunt vel montium cacumina, vel inuia syluarum; vita autẽ bestijs proprior quam hominibus. Hi nempe sunt bellatores, sęui, ab hominum consuetudine alieni, humanoque generi infensissimi; nudi incedunt; nullam possident certam domum, venatu tantum & aucupio victitant: arcu sagittaque habiles, sermone vtuntur subdifficili, nec ita claro; aspectu sunt feroces, vngues oblongos alunt, cincinnos comasque longiores nutriunt, fouentque; colore sunt subfusco, assiduoque sole tetri & deformes. Hos ergo feros homines ad fidem, vitamque mitiorem adduxit Pater Didacus Sanchez, partim sagaci industria, partim insigni charitate.

RESIDENTIA SILANA ET ZEBVANA.

DE Residentia Silana nihil est quod scribamus in particulari. In Zebuana vero sacerdos è nostris cum fratre, Bantayanũ perrexit: Insula ea est, cui antiquitus Augustinianus ordo insudauit pari fructu ac religione: nunc vero ministrorum penuria in desertam siluam conuersa est. Inde Candayam appulit: hinc magnum petijt Cambuesam, atque Hinaum cum Iagariguco & alijs oppidis eiusdem Insulę; ibi humanitate vsus ac vrbanitate, ad humanam traxit viuendi formam plurimos barbarorum greges, multósque Chri-

Digitized by Google

stianos, qui Patrum inopia, à recto religionis tramite deflexerant, ad rectum identidem iter aduocauit: matrimonia quæ gentilitio more contraxerant, partim iuxta sanctæ ecclesiæ ritum solidauit, partim diremit.

RESIDENTIA BOHOLANA.

ADIVNCTA est hoc anno Sequianæ Insulæ Missio, quæ non longe à Boholana distat. Accidit vt illuc iret Pater Gabriel Sanchez, cui Deus singulari munere concessit, vt in horum Indorum conuersione, vel etiam progressu singularis esset. Incolæ porro huius Insulæ non vno tantùm loco morabantur, sed huc, illucque diuagantes incertam habebant sedem. Sed curatum est vt in vnum conuenirent locum, Patre ipso abruptos montes adeunte. Delectum est ergo oppidum aptissimum, vbi primum de construenda Patris domo actum est, deque Templo ædificando cogitatum, quod breui quidem, summáque lætitia executioni mandatum est. Hoc peracto filios ad sacrum baptisma susciendum detulerunt, qui supra octoginta numerati sunt: adultos deinde edocuit ea, quæ ad Christianam religionem spectant, quibus rebus summopere lætati sunt, sicque affecti vt omnes vnâ voce sacro ablui baptismate petierint, nullo excepto. Nam & senes ipsi instabant, asserentes velle se vero Deo deseruire, atque à præterita viuendi prauitate desciscere: summa item animi demissione, ac reuerentia Patri morem gerebant, qui cùm de adultorum baptismate, ob

eorum

Digitized by Google

eorum ignorantiam, nihil dum cogitaret, tamen cum plura eos intra quattuor dies didiciſſe, quàm alij pluribus annis ſolent, animaduertiſſet, eorumq; feruorem atque ardentia vota intueretur; dimidiam eorum partem ſacro baptiſmate luſtrauit, ſimulque eccleſiaſtico ritu, matrimonio iunxit eos, qui antea more gentilitio illud inierant: inter quos fuit eorum Princeps, ac nobiles aliquot Indi: immò, ſi commorari illic diutius licuiſſet, vix vnus baptiſmi expers reſtitiſſet. Ablutus eſt inter alios & ſenex quidam cum vxore ſua vetula, ambo centeſimum ætatis annum tranſgreſſi, qui ex aſſidua frequentatione catecheſeos, mirum quàm breui eam perdidicerint.

RESIDENTIA DVLACHIANA.

POST eam tempeſtatem, qua Mindanaënſes more barbarico totam hanc inſulam anno ſuperiore vaſtarunt, redigi in meliorem ſtatum poſtliminio res cœptæ ſunt. Ædificata ſunt iterum oppida, templa, domus noſtræ: fugitiui partim pœnis, partim blanditijs ſunt reuocati, admiſſi quoque alij plures, qui vagi incedebant; cui rei plurimum emolumenti attulit ipſius gubernatoris edictum, imperantis vt maxima fierent oppida, nec cuilibet liceret vbilibet pro votis commorari: Itaque duodecim ſunt exædificata. Hoſpitalis domus Indorum, Virginis ſanctiſſimæ Sodalitas, ſeminariumque puerorum Bilayenſium inſtaurata ſunt, tùm Hiſpanorũ eleemoſinis, tùm præcipue Regis Philippi copioſiore erogata ſtipe.

Digitized by Google

Ex adultis sex & triginta supra sexcentos sacro sunt fonte abluti, ex infantibus mille ducenti & octuaginta sex, Christi gregi sunt adscripti.

RESIDENTIA CARIGARANA.

CVM domus hæc eâdem non solum contineatur Insula, qua Dulachium, sed ijsdem fere finibus claudatur ac terminis, hinc fit, vt easdem visa sit calamitates pati, quibus ipsa Dulachiana sedes anno superiore, irruente Mindanaensi hoste, pæne corruit: crudelius tamen in nostros Indos sæuisse visus est metus, quam hostium ensis ac furor. Hinc multi pauore consternati ad montes confugerunt: nonnulli præruptas, reconditasque speluncas petierunt, quas iam pro oppidis pertinaciter incolebant, nullo illos inde valente extrahere. Sed industria Ducis Francisci Roderici de Auila, deinde consilio ac diligentia Ducis Francisci Alfonsi de Pedraza, qui ei in munere successit, factum est, vt qui nos nostraque infestabant, per insidias capti, iustè damnati, publicoque supplicio affecti sint, non sine eorum bono, qui in montibus remanserant, qui iam non minus terreno, quàm cælesti Regi morem libentissime gerunt. Quare diuinitus accidit, vt è tot malis innumera pæne bona colligerentur, licet identidem hostium denuo aduentantium metus multos perturbarit, multos oppido mouerit: verum haud ita præualuit, quin cum Patre nostro bona pars permanserit, solitaque Christianæ pietatis officia exercuerit.

MISSIO

MISSIO OGMVCANA.

EXCVRSIO hæc Carigaræ adiuncta est: ad quam vbi primum nostri, post Mindanaensium tempestatem accesserunt, vacuum reperêre oppidum atque in siluam conuersum, sed tamen Indos illos per dumeta, inuiáque loca quasi venantes, tandem aliquando repertos secum ad pristinam habitationem reduxerunt, ac solito more instituerunt. Inde ad Baybayense oppidum excurrerunt, quod similiter colonis exhaustum, in pristinum quoque statum redegerunt, adiunctis non paucis, qui belluarum more vitam in siluis hactenus degerant. Hinc ad Ilongos se contulêre, barbaros illos quidem ac feros, sed nostrorum militum aduêntu, atque in nonnullos ferociorum animaduersione, nonnihil mitigatos. Ibi ergo felicibus initijs institui cœpta est Christiana res, non sine copiosæ futuræ frugis spe. Ex hoc loco ad Polum accessere adeo opportune, vt ingressus oppidum Pater cum socio (non enim plures missi sunt ad has excursiones) iacentem Indum, accepto vulnere iam iam moriturum offenderit, ac prope ex ipsis orci faucibus eripuerit. Nam peracta peccatorum confessione, statim vitam finiuit. Ædificata est hic perpulchra ædes sacra, iuxta quam initium datum est oppido haud spernendo, quod in votis iam diu fuerat. Hinc instante votorum renouatione, in sua, terrestri itinere, velut diuino ductu reuertentes, in Indum moribundum, & iam voce defectum inciderunt,

Digitized by Google

quem Pater, audito quàm enixè baptiſmum paullo antè petijſſet, baptizauit, cælóque adſcripſit.

RESIDENTIA TINAGONICA.

SEDES hæc adeo ferax eſt, vt meſſe potiùs abundet, quàm operarijs: duodecim enim oppidis præeſt, excepta Catubigana excurſione cum mille alijs Indis. Baptizati ſunt hoc anno ſexcenti & ſeptuaginta, præter alios ducentos viginti, qui apud Catubigam, eodem dono affecti. Poſt Mindanaënſium irruptionem, qua duo nobis Templa, adiunctis totidem oppidis, incenſa ſunt; permenſes aliquot nullo pacto oppida inuiſere valuimus, abſque mortis periculo. Gens ipſa nouo percita terrore, Hiſpanos exoſa, noſtris parum obſequens, inter hoſtes erat potius cenſenda, quàm natos: vt neceſſe fuerit, Patre oppidum abſque oppidanis petente, per multos ibi dies præſtolari, nullo ſacrum audiente. Tandem militum præſidio, in Dulachiana ſede locato factum eſt, vt redirent qui aufugerant, & qui nos oderant, colerent, timore tamen magis quàm amore. Inſtaurata ſunt oppida, conſtructaque Templa longè maiora, quàm antea: denique omnia innouata ſunt: licet Indi ſumpta ex bello occaſione, priora repetiſſent inuia loca, remotaſque ſyluas adijſſent, non ſine fidei, quam profitebantur, defectione. His ergo omnibus Deo duce prouiſum eſt, detectis prius eorum feminis ſacrificis, dæmoniſque mancipijs, quorum aliqui, ſua ſe ſponte apud Patrem, proiectis idolis accuſarunt: alij ab alijs accuſati,

Digitized by Google

cuſati, ea ſunt pœna affecti, qua digni viſi ſunt, re ipſa per Patrem, quam fœda eſſet, oſtenſa: traductæ ſunt ad Chriſti gregem octo, ex ijs mulieribus (has Baylanas vocant) dæmonum antiſtitis; ac præter has, aliæ plures, quæ Chriſtianæ iam erant, quæque veluti apoſtatæ retroceſſerant; item viri nonnulli tum his, tum alijs nequioribus criminibus implicati. In Chriſtianorum funeribus abolitæ ſunt quædam conſuetudines gentilitiæ: extracta enim ſunt ex eorum ſepulchris, quæ ſuperſtitionem redolebant: nempe, aurum, vaſa, patinæ, vaſcula, ſcutellæ, aliáque quibus vtebantur infirmi, quaſi eas omnes res adhibituri ſibi eſſent poſt mortem. Detecta quoque ſunt tredecim priſcorum monumenta tùm infidelium, tùm Chriſtianorum, quos pro dijs habebant, quibuſque ſuo more ſacrificabant, non ſine campani æris pulſu ſolemni, dum ſepulchra hæc detegerent, quo ſanitas infirmis (vti fingebant) concederetur: horum cadauerum quædam incorrupta, quædam vero in partes diſſecta, quibuſdam artificijs condita ſeruant, exſiccatáque cuſtodiunt: Atque his perpetui curatores præſunt, qui diu noctúque ad ipſa ſepulchra excubant. Infantium etiam aborſus, neceſque plurimæ impeditæ ſunt; nam cum huiuſmodi fœtus ederentur, illos ſuperſtitiosè enecabant; præcipue ſi parente orbati naſcerentur. Cautum ergo eſt, ne obſtetrices talia deinceps patrarent facinora: prohibita etiam ſunt, quæ puerperij tempore inibantur ſacrificia: Repertæ nihilominus, in hac tanta colluuie peccatorum, nonnullæ ſunt feminæ Chriſtianæ, quæ pro tuendâ caſtitate, promiſſa, minas, commoda, incommoda nihili duxerint, fugámque ab aris & focis

Digitized by Google

focis quàm impermissam cũ viris primoribus voluptatem elegerint. Adest hic mulier gentilis, quæ per multos annos filiam in prægrandi calatho delitescentem seruâuit, idque eo tantùm consilio, ne lænonũ pateret aspectibus. Inda quædam toto fere corpore tumida, atque ad gradiendum inepta, gemino sacramentorũ Pœnitentiæ & Eucharistiæ remedio, quod reiectis elegit superstitionibus, omnẽ incolumitatẽ est assecuta, seque mulierum Christianarum insigne præstat exemplum. Aliam infestabat venefica quædam: sed aquæ benedictæ subsidio repulsa est. Eandem cùm Indus tumori, quo in faucibus afflictabatur, adhibuisset, extemplo, sanatus est. Alius cui cancer ita crus exederat, vt putrefactæ carnis frusta defluerent, medelam à peccatorũ confessione & sacro oleo cũ requisisset, sanitatem obtinuit. Nam ossa eius partis, quę peructa fuerat, sua sponte absq; chirurgi auxilio resolidata sunt, cruscq; ipsum detumuit ac reuiguit. Inter eos Indos qui Christo nomẽ dedere hoc anno; vnus prẽcipue numeratur, qui inter huius prouinciæ primarios viros iure censeri solet. Hic cum superioribus annis proprium oppidi Dominum eumque Hispanum occidisset, adeo omnium consuetudinem delitescendo vitauerat, vt nec Hispanos, nec nostros cerneret vnquam, vel in eorum se conspectũ daret: Hoc tandẽ anno, quodam è nostris duce, manus dedit, seq; suaq; omnia Patri lubens dedidit (quod quidẽ in his gentilibus mirum est) addidit, se è sex vxoribus, quatuor tunc tantũ retinere, quas itẽ offerret, certus se ad vnguẽ quicquid iniunctum esset seruaturum, idque eo proferebat spiritu eoque animi feruore recensebat, vt facile nostros in admirationem adduceret: quod-

que

Digitized by Google

que maius est, nunquam hic quæ Christianę legis sunt instituta didicerat, ijs exceptis, quæ aliquando illum per Indos aliquot Pater ipse monuerat. Christianus igitur factus est, ecclesiasticoque more matrimonium inijt, exemploque fuit atque est omnibus tũ fidelibus, tũ in fidelibus huius Prouinciæ Colonis, sicuti antea dedecori fuerat adeo barbare vixisse. In his quæ ad pœnitentiã spectãt, annus hic præteritos superauit: nam præter quotidianas disciplinas, ciliciaque adhibita corpori: plures reperti sunt tum viri, tum mulieres, qui se pluries ad sanguinis vsque effusionem diuerberarent. Cruces itẽ magni ponderis, pro Christo Domino suis humeris haud pauci, longo itinere detulerunt. HÎc domi alimus quindecim pueros cum Indo Magistro, idq; nostris impensis seu eleemosynis, atque in hunc numerũ nobiliores, aptioresque seligimus, per quos eorum parentes Christo lucramur. Post menses aliquot domi transactos, generali se confessione expiant: atq; vbi nostrorũ colloquijs, exemplis, cohortationibus satis profecerint: tũ spiritualibus muniti ac roborati exercitationibus, in oppida sua remissi, nostris ibidẽ sunt ad fidei messẽ subsidio. Ex illis hoc anno nonnullos eduximus, qui infantium fierent magistri. Prẽter hos pueros sunt & alij, qui nos in rebus domesticis, varijsque muneribus obeundis adiuuant, cũ sint inferioris conditionis quam priores. Infirmos etiam necessitatibusque oppressos, iuuamus pro viribus: nã eleemosynæ auctę sũt hoc anno, quas, quo prolixius Deo erogamus; hoc idem refundit liberalius, tum in temporalibus, tum in spiritualibus rebus: Quippe templa quinque, totidemque domus nobis iam à fundamentis extructa sunt.

MISSIO

Digitized by Google

MISSIO CATVBIGANA.

HÆc missio sex Templa, totidemque oppida habet, quæ omnia supra mille Indos tributa soluentes numerant. In singulis hisce oppidis per quindecim fere dies, dum visitantur, insigne factum est tam ex confessionibus, quàm ex alijs instituti nostri exercitijs, operæprecium.

PROVINCIA LVGDVNENSIS.

DEGVNT in hac Prouincia Socij quatuor supra trecentos, in Collegia octo, Domum Probationis vnam, & vnam Residentiam distributi; nam duo Collegia hoc anno restituta, Lugdunense ineunte, & Billomense exeunte anno. Ex Sociorum numero Sacerdotes sunt centum viginti, è quibus Magistri viginti duo, ac Magistri non Sacerdotes quadraginta quatuor; Scholares viginti quatuor, Coadiutores quatuor & septuaginta, Nouitij quadraginta duo. In Collegio Auenionensi sunt septuaginta; In Lugdunensi triginta octo; In Turnonensi viginti octo; In Billomensi quindecim; In Camberiensi viginti sex; In Diuionensi sexdecim; In Aniciensi viginti octo; In Biterrensi viginti quatuor; In Residentia Albenacensi nouem; In Domo Probationis Auenio-

Digitized by Google

Auenionensi quinquaginta. Admissi sunt in Societatem quadraginta; obiere tres.

COLLEGIVM AVENIONENSE.

IMMINVIT paululum huius Collegij numerum restitutio aliorum, quæ dum supplentur pro tempore, præter eos, qui occupantur in studijs, vix relicti sunt hic operarij necessarij: Istis, cum negotia neque mole, neque multitudine creuerint, creuisse tamen oportuit animos, ne pauci succumberent illis oneribus, queis multi prope impares erant. Vnus diem obijt suum, sibi non improuisum, alijs certe omnibus inopinatum, sed plenum documenti, quàm paratos esse oporteat seruos, qui Dominum opperiuntur improuisò venturum. Erat is Petrus Doligier, Picardus, Bellouacensis, annorum quinquaginta sex, Coadiutor formatus, quamquam senio prope fractus, & ingraueſcente ischiade identidem elisus, integer ad domestica opera, animo strenuus in paucis; quæ virtus in illo cum eximia simplicitate, candore animi, comitate, pudore, exacta obedientia sic eminebat, vt inde sibi omnes exempla peterent, petantque etiamnum, qui nôrant, è suauissima recordatione. Donec valebat, nullus eum desidentem vidit: Cum appeteretur morbo, colluctabatur animosè, eumque diu claudicans exercebat domesticis ministerijs, egregium fortitudinis specimen iunioribus. Vbi tandem vis eum mali afflixerat, stabat, superabátque patientia; cui cum quasi pertæsus, paucis diebus morbus cederet

deret resumptis alacriter occupationibus, claudicans iterum conualescebat. Id adeo spectatum est ea die, quam supremam habuit. Præsenserat nescio quid humoris defluere in coxendicem, nec tamen vnquam visus alacrior in sternendo triclinio, ministrando accumbentibus, tergendis, reponendisq; vtensilibus: à cœna, quam leuissimam sumpserat, expiat animum confessione, parátque, quippe in sabbatho, ad sacram sequentis Dominicæ communionem; tum componit se in lectulo, è quo surgat nunquam. Postridie, quasi dormiret placidissimum somnũ, adeo nihil mutauerat, frustra excitatus, frustra conclamatus, stupentibus omnibus, qui concurrerant, agnoscitur extinctus: sed ita integer, vt nulla deprehendi potuerint vestigia morbi, vel eausæ mortis. Et dormiebant in vicinis cubiculis multi, tectorijs potiùs tenuissimis, quam parietibus diuisi, neque vllum questu, vel gemitu moribundus excitauit. Vnus paulo inde remotior, media nocte in somnis exsertum stragulis brachium, nam summi erant calores caniculæ, percuti sibi leniter sensit, cum voce monentis quadam; Vigila (inquit) Deoque vnum commenda è fratribus, qui iam nunc agit animam. Ceterum nullus domi fuit, cui non sit persuasum, & monitum se à Deo maturi senis insperato obitu, & Deum propitium illi ipsi facillimum exitum annuisse; qui ea tamẽ causa, ne diu iaceret inutilis, diuturnos morbos deprecabatur. E Scholasticis complexi sunt Religiosum institutum spectatissimi adolescentes triginta quinque, omnes ex albo sodalium minoris congregationis. Creuit in primis illo delectu Domus nostra Probationis, in quam moribus & ingenio lectissimi

simi octo transierunt. Frequentia eadem vel maior quam superioribus annis huc confluentium, vt, tametsi pluribus locis instaurata sint studia in hac Prouincia, reuocata Societate, laxanda nobis fuerint omnium classium exedræ, coëmpta domo vicina, in quam ciuitas è publico duo aureorum millia contulit, quæ vt commodior esset, atque amplior, Illustrissimus Cardinalis de Comitibus potestatem fecit vias tres intercludendi. Instabant operi cæmentarij, cum pauci quidam minus beneuoli conqueri coeperunt: Horum querimonijs moti consules, senatum vocant, vt incœptum opus inhibeatur, impetrata à Cardinali rescripti reuocatione. Placuit tamen illis Rectorem Collegij vocatum prius in curiam, audire; hic ille graui oratione senatum docuit, quot quibusque causis vias illas claudi oportuisset, principe præsertim annuente. Cùm peroraſſet palam, omnes etiam infensissimi confessi sunt habere se nihil, quod auditis eius rationibus opponerent. Itaque ex senatu discessit vt hiscere contra nullus auderet. Ferebant tamen permolestè quidam, ea de re, quæ totius ciuitatis iutereſſe videbatur, nihil ad consules, nihil ad senatum relatum esse, nec de adimendis publico vijs, publicè quæsitas esse sententias. Adierunt igitur Cardinalem oratum, ne pateretur incommodari publico. Negauit ille se reuocaturum, quod consulto concessum esset, nisi de Rectoris sententia. Itaque eum conuenirent, cumque eo transigerent, se, quod Rectori videretur, probaturū. Nostri igitur ne sui iuris nimium tenaces esse viderentur, simul populi auctoritati commodóq; consulerent, vias duas retinuerunt, quarum altera nostræ ædes incommodissimè dirimeban-

BIBLIOTECA
Digitized by Google

rimebantur, nec iam multis optata annis obtineri potuerat: alterius acceſſione creuit area ſcholarũ paſſibus ſexaginta in longitudinem, duodecem in latitudinem: Tertiam reddiderunt populo, ſed ea lege vt domus, in qua nunc ſunt ſcholæ, cum noſtra connecteretur fornicato ponte, quem ſuis ipſa ſumptibus ciuitas è ſectis, quadriſque lapidibus ædificaret. Omnibus deinde rite compoſitis, ac pacatis, migrârunt in eam domum quinque claſſes inferiorum facultatum, queis ſexta addita eſt, diuiſa tertia Grammatices, vt Magiſtris, & Diſcipulis, in nimia multitudine, ſubueniretur. Prodidit ſe etiam in eo negotio Illuſtriſſimi Marchionis Blaſij Capiſſuchi, Præfecti vrbis, propenſa in nos voluntas. Nam interea dum pendebat ædificatio, cum ſubuereretur, ne nocturnis tenebris cœpti muri clam diſijcerentur ab ijs, quibus vias occludi non placebat; non ſolùm milites ſuos iuſſit obambulando iuxta Collegium, quaſi excubias agere, ſed ipſe etiam multa nocte illa ipſa loca adire voluit, ne quid detrimenti incœptum opus pateretur. Dedit & hoc indicium, ſuæ in Societatem noſtram beneuolentiæ, Cardinalis Illuſtriſſimus Carolus de Comitibus; ſimul vt reſignauit literas nuntias purpurei pilei, proripiens ſe è Pontificio palatio, venit in Collegium, vt ille nobis, nos illi inuicem primi gratularemur: increbeſcente interim per vrbem noui honoris fama, concurſus fiebat omnium Ordinum in Palatium, inde in noſtras ædes; vbi poſtea quàm omnes fere noſtros gratulantes, gratulabundus ipſe complexus eſt, quà in anguſtis noſtrorum cubiculis, quà in porticibus, quà in horto, & templo gratulationes excepit totius ciuitatis. Ea die tota domus

vndauit

Digitized by Google

vndauit affluente, & refluente procerum, vulgique multitudine. Discessit denique appetente vespera, prosequente Nobilium Equitatu, à quibus, ex ipso Collegio, deductus est in vicinum vrbi castellum. Solemniter deinde purpuratus condicta die, sacrum fecit in nostro templo. A prandio, quod nobiscum sumpserat, instaurata est gratulatio breui dramate, varijsque emblematis, & felicibus sanè anagrammatis. Dramati materiam dederant Illustrissimæ Comitū Familiæ, ac trium præsertim Summorū Pontificum, ipsiusq; Caroli, in Auenionensi Legatione, res præclarè gestæ. Multorum liberalitate creuit non mediocriter res Collegij. Nam si veniant in hunc numerum aurei illi bis mille centum quinquaginta, collati in domum scholarum, & ponticulum lapideum; quod eleemosynæ nomine acceptum est, aureorū trium millium summam æquauerit. Hæresim abiurarunt multi, huc aliunde missi à nostris concionatoribus. Viri nobilis, & diuitis, fuit satis insignis conuersio: is Auenionem venerat, vt sanctiore hebdomade materiam risus captaret è sacris cerimonijs. Die ipso Cœnæ Dominicæ ingressus est in nostrum Templum, inspecturus solemnem ritum includendæ salutaris hostiæ. Obstupuit primùm ad populi frequentiam, tum communicantium modestia, nostrorum maxime reuerentia, percussus est penitus, & sensim immutatus. Postremò statuit à ficta pietate, aut falsa opinione, tantam religionis speciem oriri non posse. Postridie occupat in primis locum suggesto proximum, è quo noster concionator de Christi cruciatibus erat dicturus. Hic verò ordiente concionatore, ita diuinitus tactus est, vt quatuor ipsas horas, quibus extensa

extensa est concio, vberrimè lacrymaretur; dimisso cœtu, accidit Sacerdoti nostro ad genua, Hæresim detestatus. Sacerdotes decem missi in totidem vel vrbes, vel oppida, Aquis sextijs, Arelatis, Nemausi, Monspelij, Sisteriaci, Carpentoracti, Tarascone, Venciæ, Paternis, Visani eadem illa vsitata, sæpéque præscripta, vel continuarunt, vel repetiuerunt. Vnus ex illis, cum quadraginta ieiunij diebus æquauit totidem reconciliationes dissidentium familiarum. Fæderauit alius, in nobili ciuitate diuisos factionibus; omnes vel quotidie, vel ter in Hebdomada Sacerdotes informarunt scientia casuum. Qui diuersis locis illorum opera hæresim hoc anno reliquerunt, censi sunt ad centum septuaginta. Sed Monspelienſium præsertim spectata est constantia in fide retinenda, ad quam redierant. Nam cùm in ea vrbe plus polleant sectarij, incredibile est qua petulantia, quibus conuitijs insultent suis transfugis, eósque lacerent, à quibus deseruntur; sine discrimine, sine reuerétia, ipsi coram proscinduntur à nobilibus iuxta, & fæce vulgi. Quam confusionem plerique passi sunt æquissimo, sereniſſimóq; animo: plerique, ne periclitarétur, quæsitis alibi sedibus, exilium religioni posthabuerũt. In hac sola vrbe centũ viginti erepti sunt hæreticis, innumerabiles ecclesiæ confirmati, qui vacillabant. Occasio quæ viri primarij familiam totam adduxit ad fidem, non est indigna memoratu: inter eius liberos filia erat natu maxima, & adulta iam nuptijs, quæ præparabantur; ea duimo acta spiritu sæpius attente cogitabat de animæ salute, veráque ad eam via: quæ cogitatio semper desinebat in ardentissimum desiderium veritatis agnoscendæ,

Digitized by Google

agnoſcendæ, & orationes acres, quibus enixè Deum precabatur, ne ſe diutius in illis animi tenebris palpantem ſineret. Inclinante iam Decembri, his maximè ſtimulis angebatur: bina dormienti obiecta viſio ſecuram eſſe iuſſit, non prius abiturum Ianuarium, quam fieret voti compos. Primùm ſibi viſa eſt orare ante crucifixi imaginem, Chriſtúmque, perforatas clauis manus pedéſque, obteſtari, vt ſe in ea cruce reciperet ſociam, pro qua copioſum illum ſanguinẽ quinque vulneribus defunderet; tùm quaſi annuiſſet ille; refixo brachio adſtringi ſe à Chriſto, & in illam crucem ſubleuari. Vnde puellæ tanta voluptas, & ſpes oborta, vt iam minus dubitaret de vera fide & Eccleſia. Iterum dormienti monſtrauit ſe B. Virgo, ſpecie geſtantis puerum IESVM, cuius eximia pulchritudine delinita, dum feruenti prece, miſtis gaudio lacrymis, filium compellat & matrem, ne dedignentur ſe ancillulam, paratam ipſorum obſequio immori: audit venturum Ianuarium, quo menſe admittenda ſit ad Chriſti ſeruitutem. Hic gaudio è ſomnis excita, ne vanæ imaginis ludibrium putaret eſſe, vidit vigilans, non exigua mora, eandẽ ſpeciem plurima luce & radijs coronatam. Hinc illi omnino iam ſecura fides: poſtridie ſorori ſecundæ animũ detegit: hortatur ad idem conſilium, ſermones adhibet, quibus vtraque ad conſtanter audendum inflammabatur. Lapſi ſunt pauci dies, & viſis defuncta eſt: mediante Ianuario, à cœna, ad oblectandos parentes ac domeſticos, pulſabãt lyram ſpecie quadam honeſtæ æmulationis hinc puella, de qua ſermo, inde nobilis adoleſcens; è liberis credo aliqui ad ſonitum fidium ſubſultabant: quidam è

Digitized by Google

vicinia excíti ſtrepitu auſcultant diligentiùs, non boni id exempli deputant, ab hominibus, & apud homines reformatæ religionis eiuſmodi oblectamenta; Papiſtas decere diſſolutos, non ſeueros Caluiniſtas. Itaque factum deferunt in conuenticulum ad miniſtros, citatur poſtridie Mater familias, indicta cauſa. Enimuero illa ſiſtere ſe pernegat, niſi prius ſibi conſtet quare appelletur; vereri ſe ne ab reſponſis imparata coram omnibus erubeſcat, quod, in rebus leuiſſimis, ſæpe multis acciderit viris ac feminis, cetera non inconſideratis. Interminantur miniſtri excommuuicationem, niſi pareat, inde cauſæ mulieri capiendi conſilij ex noſtro ſacerdote; à quo docetur, quàm inania ſint ea tonitrua extra veram Eccleſiam; calentem animo, & libere indignantem non ægrè perpulit, vt ſe ipſa prior ex illa ſynagoga proriperet in Eccleſiæ aſylum, vnde eorum minas tuta deſpiceret: dixit diem ſacram conuerſione ſancti Pauli, qua in ſuburbanum ſacellum cũ ſuis liberis conueniret, animóque confeſſione expiato, Eccleſiæ reconciliaretur. Rumpebantur inuidia Hæretici exitu tam inopinato, tantáque illis, & priuatim & publicè, clam, & corã dixere conuitia, vt improperium crucis Chriſti virgo illa planè agnoſceret, & gauderet in ſe recidiſſe. Obſeruatum eſt à multis eam conuerſionem eo potiſſimùm die contigiſſe, quò ſancti Pauli conuerſi memoria colitur, quod ea olim familia D. Paulo fuiſſet addictiſſima; quippe cui Narbonæ templum primarium ædificaſſet, eóque beneficio etiam nunc poſteri à Narbonenſibus in primis honorantur. Quod paulo poſt accidit, eam virginem confirmauit vehementer in propoſito. Virgo duodennis Catholicis

Digitized by Google

licis orta parentibus, & à noſtris ad pietatem formata, magna dederat ſigna ſanctitatis. In morte ſæpe virginis Mariæ aſpectu recreata, ſæpe accenſa diuinitus tanto igni, vt ex eius vultu quaſi radij emicarent; cum de Deo, de virgine Matre, de viuifico Euchariſtiæ cibo diſſereret, tanta inerat verbis efficacia, vt circumfuſi lectulo arderent medullitus: ea denique abeuntem animam ſecuta eſt odorum fragrantia, quæ omnes ſuauiſſime afficeret. Extinctæ corpuſculum floribus redimitum, cum quinque alijs efferebat illa, de qua ſupra memini, quæ iurata affirmauit vidiſſe ſe columbam, eximio candore, ori eius tota via alludentem, atque in ipſo cæmeterio, donec terræ mandabatur. Sacrarum reliquiarum vim aduerſus infeſtas vmbras hoc probauit: in eadem vrbe, ancilla cuiuſdam cauponis hæretici, ipſa Catholica, hauriebat è dolio in cella vinaria, videt aduolitantem columbam fuliginoſam, nec mirabatur primùm, etiam eò loci; rata vnam eſſe è domeſticis, quæ plurimæ alebantur cicures, eò, caſu aliquo illapſam: vbi ſemel & iterum abactam ſe circum importune gemere ſenſit, quæruloque roſtro veſtis laciniam vellicare, extimuit, aue deinde humanas effingente voces, metu prope diriguit: hortabatur illam dirum monſtrum, bono eſſet animo, ſe animam eſſe ancillulæ, quæ in eadem domo paucis ante menſibus obierat, orare ſe tantùm, vt ſuas aliquot veſtes diſtraheret quas in vetere arca, quam indicabat, inueniret, pecuniamque ex eis confectam cuidam redderet, cui debebatur, nemini porro quidquam indicaret ſecum locutum, niſi male mulctari vellet. Oenophorum retulerat in triclinium ad accumbentes

Digitized by Google

semianimis, ipsóque pallore & anhelitu crebro, satis indicat funestum aliquid sibi obiectum. Vbi loqui potuit, rogata rem narrat ex ordine, ridetur ab omnibus, maxime ab hera hæretica; post aliquot dies, cogente hera, iterum hauriebat, & iterum eodem monstro exterretur, sed iam minaciter expostulante desilentij fide: vt inde euasit in superius cœnaculum, linquente animo collapsa est in oculis domesticorum; collocatur in lectulo, ægrè tandem post aliquot horas reuocatur. Nocte media clarè ingemiscens, heris suis excussit somnum, qui accurrentes (dormiebant *enim in* eodem conclaui) percunctantur, quid rei sit. *Illa* iterum ingemiscens, heu inquit, quàm mihi condolet brachium! admouetur lucerna, deprehendunt liuida fœdissimi vnguis vestigia impressa, ductaque a summo ad imum brachium: cum primum illuxit, emisit illam Domina suis ex ædibus in domum Catholicæ mulieris, cui soror eius famulabatur; hortata vt sororis curam gereret, remediaque Catholicis consueta, huiusmodi spectris adhiberet. Soror eam duxit ad nostrũ sacerdotem, confitetur, munitur sacrâ cerâ: postridie vbi euigilauit, queritur sibi similiter aliud brachium cruciari; & erat ducta nota hesternæ tam similis, vt dubitaret nemo, quin ab eodem vngui inusta esset. Iterum ad sacerdotem, iterum confessio vsurpatur: rite confessæ thecã reliquiarum noster suspendit è collo; ferendã, aliquot diebus ei deinceps animus, & corpus in tuto fuerunt. Venciæ contigit quod subiungo. Mulier nobilis pluribus iam annis premebatur conscientiæ scrupulis, & prope obduruerat: vbi tandem placuit Deo expugnare eius duritiem, dat se in viam, vt

nostrum

Digitized by Google

noſtrum ſacerdotē conueniat, eique confiteatur: per pontem forte torrenti impoſitum, ſequentibus famulis, & moloſſico cane, equitabat: Hic illi ingens repente oborta triſtitia, itaque perturbatus animus, vt canis ipſe quaſi miſertus, deſperationem & præcipitium in ſubiecta ſaxa, dominę ſuadere videretur, quo finē tam diuturnis angoribus inueniret. Iam adueſperaſcebat; nondū apparente oppido, quod petebatur, diuertit in prædium ſuum vicinū: metu & fiducia fluctuauit ei animus eâ tota nocte. Poſtero die, cum iam ſubiret portis oppidi, dira quædam facies mediâ ſeſe opponens viâ, ita equum quo vehebatur conſternauit, vt ipſa excuteretur, quo caſu impacta in rupē fronte, caput ei diffiſſum eſt: alleuatur ſuorum manibus, vtque ſpiritum reſumpſit, agnoſco inquit hoſtis inuidiam, & inſidias; agite, nihil eſt opus medicis, ducite me in templum cruentatam, vti ſum; non patiar alligari prius vulnus hoc humana ope, quàm me cœleſtis medicus confeſſione curatam vinculis abſoluerit, quibus me ipſa animi vulnera obligarunt: ita abiecit ſe ad noſtri pedes, vixque paſſa eſt ſaltem reprimi ſanguinem, & ſudario caput adſtringi. Mox animo ſanatā, corpus medico curandum permiſit: incredibile eſt, quantum illa fortitudine ſtatim profecerit ad vitæ reformationem. Pluribus locis catholici confirmati ſunt, concuſſi hæretici vehementi diſputatione, quâ ſuos miniſtros abijci ſæpe viderunt. Sed hoc iuſtitiæ diuinæ exemplum, quod affero, tenuit plurimos in auita Religione: veteranus hæreticus, vnus ex illis, qui Arauſicanorum ditione ferrum, faceſque templis olim inferebant, ſæpe brachium dextrum exerens, oſten-

tando gloriabatur, vt bilé moueret Catholicis, se illis lacertis in sacras ędes arietasse, illis aras euertisse, imagines deiecisse, flammas templis iniecisse, sperare se, quæ adhuc starent templa, deiecturum illis, campanáque ęra effracturũ. Vanas eius minas redarguit, & nimium vera sacrilegia mox vindicauit diuina ira, inusitato, sed plane consulto, supplicio. Fœdissimo vlcere percussit sacrilegum illud brachium, quo miris modis excruciabatur. Intolerabilis fœtor arcebat omnes medicos, consanguineos, mercenarios. Haud scio, an visum alias, ea parte corporis, retrimenta omnia ciborúmque reliquiæ per brachium efferebantur, occlusis ordinarijs meatibus. Ipsi cibi incocti, & quidquid in stomachum iniecerat, per eam vomicã egerebantur. Infelicem denique animam, per acerbissimos cruciatus, eadem via exegit. Docuit hoc exemplum omnes, qui hominem norant, quę sequatur eos vltio, qui lætantur cùm male fererint, & exultant in rebus pessime: quamque iusto Dei iudicio, per quæ quis peccat, per eadem puniatur.

COLLEGIVM LVGDVNENSE DECENNII POST LIMINIO RESTITVTVM.

LVGDVNENSIS Collegij res hoc anno gestas conscripturus, ab eius restitutione narrationem aggrediar. Simul atque regij edicti, de nostræ Societatis restitutione, diploma Auenionem ad P. Visitatorem, & Prouincialem perlatum est; (perlatum est autem eodem, quo editum erat, Septembri

Septembri menſe anni milleſimi ſexcenteſimi tertij.) Prouincialis, gubernatoris Lugdunenſis, ac primariorũ ciuium litteris ſæpius compellatus, & euocatus, Lugdunum proficiſcitur, ea mente, vt ex regio edicto Collegij poſſeſſionem adiret. Repetit Societatis noſtræ ciuitatem cupidiſſimã; ordines omnes, ad hunc regiæ in nos benignitatis nuntium, mixto gratulatione gaudio, geſtientes. Verum quia regij edicti veritas, nondum Pariſienſis curiæ ſententijs confirmata fuerat, viſum eſt tantiſper differre executionẽ, donec ſuper ea re Pariſijs mandata accipiſſent. Hoc interuallũ profuit Diuionenſi Collegio, ad quod reſtituendũ ſe contulit P. Prouincialis, ac reapſe reſtituit illico; propterea quod Diuionenſis vrbs ſuis Parlamenti regij vtẽs auſpicijs, à Pariſienſi curia nihil penderet. Menſes tres interceſſerant, cùm Regium edictũ in Pariſienſi curia approbatur poſtridiè Cal. Ian. Anni milleſimi ſexcenteſimi quarti; quod vbi reſciuere Lugdunenſes, generale totius ciuitatis conciliũ conuocant, quo de noſtris hominibus in ſuam vrbem reuocandis, decernatur. Non facile aliàs tantus, in curia Lugdunenſi, ordinum omnium concurſus viſus fuit. Conueniunt magno numero omnes proceres ciuitatis, quique alias cauſæ noſtræ iniquiores extiterant, quique nobis ſemper ſo amicos præſtiterant. Expectabant hi, vt ſalutaribus ſuis ſententijs iſti ſe opponerent, & totum reſtitutionis noſtræ conſilium, ſi quà poſſent, diſturbare niterentur; verum longè illos ſua fefellit expectatio; ſiquidem vbi ſententiæ cœptæ ſunt rogari, eorum qui aderant fuit nemo, qui non ſo reſtituendæ Societatis auctorem, ac Principem fieri exambiret: quinc ad auctoris ſui ſententiam

Digitized by Google

non aliquid cumuli, in laudem noſtri ordinis, adijceret. Itaque communibus totius ciuitatis ſuffragijs decretum eſt, vt nulla interpoſita mora, noſtri homines vltrò accerſerentur, nemine prorſus reclamante, aut intercedente; illis ipſis, præ ceteris omnibus, reditui noſtro ſuffragantibus, qui diſceſſui ſtudio maiore inſtiterant. Nimirum docuerat eos, quod fere in bonis rebus vſu venit, noſtri ordinis abſentia, quid noſtrorum concionatorum, quid confeſſariorum, quid denique præceptorum opera, ciuitati olim ſuæ contuliſſet; idque ipſum vir in ea ciuitate primarius, & ne gratiæ potius quàm veritati, teſtimonium eius adſcribatur, diſceſſus noſtri auctor & patrator, non obſcure præ ſe tulit: cum in eo, quo de agimus, concilio, inter primos rogatus ſententiam, inter ea, quæ in laudem Societatis, & multa, & magnifice dixit, hoc quoque latinis verbis, vt quod intimus animi ſenſus exprimeret, grauiter pronuntiauit; Lugdunenſem vrbem, quid ſibi noſtra nauaret opera, carendo magis, quàm fruendo didiciſſe. Ergo redit Lugdunũ P. Prouincialis ad vigeſimũ primũ Februarij menſis diem, ac tertio poſt die a præſide Lugdunenſi, domino de Villars, & ab hoſpite ſuo domino d'Auſtrem locũ tenente, & conſulibus vrbis in Collegium deductus eſt, proſequente numeroſa nobiliſſimorum ciuium turba. Vt ventum eſt in Collegium, præſes ex edicto Regio, curiæque Pariſienſis authoritate P. Prouincialem, Societatis perſonam ſuſtinentem, in integrã Lugdunenſis Collegij poſſeſſionẽ, traditis ei in manus clauibus, reſtituit; exultantibus gaudio omnibus, quotquot aderant, Lugdunenſis vrbis proceribus, neç minus ſibi Societatis noſtræ

ope-

Digitized by Google

operam, quàm nobis ciuitatis suæ pomeriũ gratulantibus. Enimuero visa sibi eo die Lugdunensis ciuitas, nouum solem suos fines collustrantem intueri, & nescio quid humana ope maius, ex laboribus nostris sibi deinceps polliceri. Incredibile dictu est, quantus ciuium honestissimorum concursus per eos dies in Collegium, gratulandi causa factus sit, quantoque animi sensu certatim quisque id munus obierit. Nec se intra verba Lugdunensium amor continuit. Priuati homines varia supellectile domum, templumue instruunt; in Bibliothecam, quæ integra nobis & seruata, & reddita fuerat, trecenti aurei a diuersis erogantur. Consules inter se de Collegij amplificatione consilia ineunt, quæ, vt dicemus, paucis post mensibus felicem exitum habuerunt: Interea loci ad annuam pensionem, variæ supellectili coemendæ, duo millia francorum adijciunt. Dum hæc geruntur, qui de nostris Lugdunensi Collegio habitando destinati fuerant, partim Turnone, partim ex alijs vrbibus, vbi degebant, aduenerunt. Octaua Martij, proxima post primam Quadragesimæ Dominicam die, magistri sex, omnes humaniorum literarum professores, perinde quasi exactis vacationum diebus, scholas de more aperiunt, præmissa, antecedenti die, oratione Panegyrica, in qua Lugdunensis vrbis gloriam, literarum magis, quàm mercaturæ tractatione, contineri Rhetor ostendebat. Non facile alias tantus cordatorum hominum cœtus Lugduni ad audiendum confluxerat. Gymnasia scholasticis, vt in nouo Collegio, vacua, præ turbâ honorariorum auditorum angusta erant; atrium ipsum huiusmodi hominibus redundabat. Neque vero ieiuni

illi,

illi & expectationis irriti discedebant: argumento est pertinacia in audiendis scholis integris, & in redeundo constantia; duos menses totos id institutũ tenuit. Ad conciones quod attinet, tria omnino, quæ totius vrbis & amplissima, & celeberrima sunt pulpita, ordinum omniũ proceres nobis non obtulerunt modò, sed ingesserunt; de quibus, cũ et aliorum Religiosorum haberi rationẽ vellemus, et concionatores, vt in recenti Collegio, paucos haberemus, duo duntaxat accepimus: ad ea vero ex omnibus vrbis regionibus, ingens hominum vis assidue confluit, & vt quisq; eruditione, aut gradu dignitatis primus est; ita ad conciones nostras maxime assiduus est. Ipse vrbis Prorex, & Viennensis Archiepiscopus senior, quod per valetudinem licuerit, Præses vero, quod per vrgentes occupationes, nunquam a concione abfuere. Dici oratione nulla potest, quantopere hisce rebus commota sit ciuitas Lugdunensis, quantaque nostram Societatem beneuolentia, & charitate complectatur. Illud tantum dicam, quod breuissime, & verissime dici potest; iam demum nos intelligere verum esse, quod ante annos quinque primus Diuionensis curię Præses Rectori Lugdunensi totidem verbis dixit; Societati nostræ plus absentiam, quam præsentiam profuisse. Dum postrestitutum, quo ante dixi modo, Collegium, Pater Pouincialis Camberio redux Lugdunum tertiò adueniſſet, & a Consulibus, vt sufficientes Collegij muneribus redditus assignare tandem vellent, quos promiserant, petijsset, illique publicum super ea re concilium conuocassent: communi omnium consensu decretũ est, vt maximo, absolutissimóque Theologiæ, Philosophiæ, linguarum

guarum, atque humaniorum disciplinarum Collegio fundando necessarij redditus, publica magnificentia Societati nostræ attribuerentnr, datáque Consulibus potestas, super ea re cum Patre Prouinciali contrahendi. Nec diu fuit cum opulenta vrbe, & nostri ordinis cupidissima altercandum. Duo aureorum millia pensionis annuæ, à ciuitate adiecta sunt ad eos redditus, quos ex prioratibus, qui nobis iam ante venerant, percipimus: vt nunc tribus aureorum millibus & amplius, perfecti Societatis Collegij munia in hac ciuitate exerceamus. Quo die fundationis negotium transactum est, Consules post solemne sacrum, & poëticas scholasticorum nostrorum salutationes gratulationesue, apud nos conuiuio accepti sunt. De sacerdotibus Viennæ vnus, alter Molinis, quibus in vrbibus Collegia nobis excitantur, conciones habuere. Iam ad eos fructus, quos Lugduni habendis concionibus, & confessionibus audiendis nostri homines collegerũt, hæretici nonnulli ad fidem reduces, auctuarium adiecerunt; quindecim sedecimue Caluinianam hæresim abiurarunt. In his adolescens quidam Geneuæ, in Caluiniani Ministri familia educatus à puero, qui postquam hero mortuo, alteri cuidam hæretico homini se dedisset, cúmque animam agentem, & sacerdotem Catholicum, apud quem peccatorum confessionem faceret, & perfidiam abiuraret, flagitantem vidisset, non putauit sibi in ea hæresi viuendum esse, in qua herum suum mori nolle conspiceret. Lugdunensem Caluini gregem, octingentis capitibus constantem, ministri duo pascebant, Alter capularis senex, alter iuuenis temeritate insignis: vtrique concionum

Digitized by Google

cionum noſtrarum frequentia, alteri ex iactantia dedecus, alteri primùm furorem & inſaniam, mox exilium, perniciemque attulit. Vir hæreticus orta, vt fit, cum Catholico rixa de Religione, cum ab eo & Catholicorum multitudine, & Religioſorum, inque his Ieſuitarum integritate & ſanctimonia, itemque concionum noſtrarum fructu & approbatione vrgeretur, ad eáſque audiendas prouocaretur; miniſtrum ſuum ſeniorem, quaſi quoddam Religionis oraculum, ei obiecit; ex cuius etiam quotidianis quiritationibus affirmare auſus eſt, neminẽ vnum de noſtris fore, *qui* cum illo congredi auderet. Hic Catholicus ſponſione facta recipit ſe Ieſuitam facile producturũ, qui eadem hora miniſtrum aggrediatur; quod cum alter pari facta ſponſione, non futurum pertenderet, Catholicus, quinquaginta aureis contra denos pignori depoſitis, aduerſario in turba, quæ vt fit ad ſpectaculum conuenerat, relicto, in Collegium aduolat, & Rectori, cuius ex concione rixa extiterat, rem exponit. Nec mora, miniſtro renuntiatur, vt horam, vt locum eligat, in quo diſputatio habeatur. Negare ille ſe coram congreſſurum, ſcripto agere ſi placeat, diſputationẽ non diffugere. Deſcendit etiã ad has conditiones concionator noſter, & theſeos proponendæ facultatẽ aduerſario permittit. At ſcriptum huiuſmodi nullis ſuorum, nullis catholicorum conuitijs ab eo vnquam potuit extorqueri. Pari ex occaſione, orta alteri miniſtro cum Catholico quodam rixa, exitum habuit haud paulo grauiorẽ. Die quadam Dominica proximè elapſi menſis Decembris, Catholicus quidã, audita noſtri hominis concione, ruſticatũ digrediens, incidit in miniſtrum iuniorem, ad

ſuas

ſuas Vlinenſes caulas de more exeuntem, ab eóque ad audiendum Dei verbum inuitatur: renuit hic in ſynagogam Satanæ diſcedere,& ſe à meliore Magiſtro Dei verbum, matutinis horis audiuiſſe reſpondet. Miniſter adducto ſupercilio contemptim interrogat: ecquiſnam melior ille magiſter? Ieſuita, inquit, Catholicus, coram quo tu comparere non audeas. Ergone ille, excipit Hæreticus, homines deuorat? nequaquam reſpondet alter, ſed voraces lupos, diuinorum eloquiorum latratibus, in fugam vertit. Hic miniſter, poſt Thraſonicam ſui ipſius iactantiam, & effrenatas conuitiorum quadrigas, quibus omnes Catholicæ Eccleſiæ legiones diſſlabat; ad extremum, ſeu Caluinianus zelus perſuaſit vt hominem ſuæ, vt credebat, factioni appoſitum, nouarum rerum expectatione percelleret; ſeu furor & væſania ſceleratæ mentis machinationem detexit, grauiter pronuntiat; ſe, intra trimeſtris terminum, in D. Ioannis, maximo Lugduni vrbis templo concionem habiturum, deſtructis ante omnibus, quæ ibi forent, idolorum ſimulachris. Quæ verba auritis excepta auribus, nequaquam in ventos abierunt. Catholicus diſſimulans, è veſtigio regreſſus in vrbem, Prorege conuento, rem illi omnem enunciat. Prorex hominem ad Dominum de Refuge, iuris dicundi in his regionibus Præfectũ vigilem, allegat; is cauſam omnem ad Dominum d'Auſtrem, Propræſidentem reücit; nec mora, miniſtro domus ſua pro carcere, vadantibus eum fratribus, indicitur. Dum hæc geruntur, ſubodorati rem hæretici, vt Paſtoris ſui caput ſupplicio eximant, perfugio miſero clanculum adornant teſtimonia, quibus eum inſanire, & de mentis poteſtate deiectum

ctum furere, fidem faciant, neque verò eis in vita & moribus audaculi iuuenis argumenta defuerunt. Nam & ipse in Collegam suum seniorem paulo ante debacchatus, illum ob senilem in Catholicis insectandis lentitudinem, falsum fratrem & defectionem molientem appellauerat, & eundem bonus ille senex, ob linguæ intemperiem insensatum proclamauerat, & fauente sibi contra reliquam turbam seniorum consistorio, de suggestu deturbauerat. Ergo cum hi rumores iocularijs hominum sermonibus traducerentur, ridentibus Catholicis, quòd hæreticus grex *famæ re*búsque suis tutius consulere non posset, quam si Pastorem suum insanire peruinceret: Iudex eam rem iuridicè ex medicorum sententijs sibi finiendam arbitratus, accitis tribus totius vrbis clarissimis Medicis ad hominem adit; is post varias medicorum percunctationes, interrogatus tandem an insaniat, respondet, sibi mentem, & rationem bene constare: & sane non à corporeorum perturbatione humorum, sed ab agnata Caluinianæ hæresi væsania, furor illi animum occuparat. Iterum rogatus, quorsum illa de imaginum demolitione Thrasonica verba effutierit, respondet se Dei potentiæ, & Religionis suę veritati confisum, & nunc futurum sperare, vt Lugdunensis ciuitas vniuersa, intra præfixam diem, repudiata superstitione patria Caluinismum amplectatur. Hic cum largiorem cachinnum mouisset iudicibus, in secretius cubiculum abreptus, liberum medicis ferendæ sententiæ locum dedit. Primus, in Ministrum sanè indulgentior, furere illum, & insanire pronunciat, ideoque eius culpam venia dignam videri. Alter contra, illum sensus & rationis vsque

quaque

Digitized by Google

quaque compotem, legum pœnis, & supplicijs obnoxium esse. Tertius, superiores sententias volens conciliare, nunc quidem temporis illum sanum esse, ac sensate omnia & loqui, & facere; ideóque hoc in eo crimen ex legibus vindicari posse, ceterum se minime dubitare, quin is breui furiosus euadat. Cognitor, auditis medicorum sententijs, rem omnem ad Concilium refert; cum autem iudicum variarent sententiæ, alijs eum exilio, alijs suspendio damnantibus, de communi consensu ad Dominum de Refuge causa reiecta est: qui mitiorem sententiam secutus, furiosum hominem, quod eum non furere, contra quam eius fratres vouerant, constaret, æterno damnatum exilio Nemausum deportari sanxit. Hæc porro ministri ad agnatos relegati fabula, totis hisce natalium ferijs iucundissimam Lugdunensium sermonibus materiam ministrauit: in misero autem Caluini popello eam, cum inusto dedecore, perturbationem attulit, vt qui in eo sunt paulo obstinatiores, ad vicinam montis Elimarij Ecclesiam literas illas scribere coacti sint, in quibus, (nam illæ, à Catholicis interceptæ, leguntur) ministros eius per sacra omnia obtestantur, vt nisi Lugdunensem Ecclesiam perire funditus voluerint, præproperè huc accurrant ad confirmandos fratres in fide vacillantes. Accessit videlicet hoc eodē tempore clades alia huic gregi. Vir bellicosus ac nobilis, idémque propter eius sectæ iuratam professionem lingua, manúque ab adolescentia acriter propugnatam, Gallię totæ notissimus & famosissimus; nunc demum Lugduni æger, ac salutis dubius, assiduis consanguineorum precibus, & pęnè quotidianis conuicijs, ęgrè tandem

tandem se adduci passus est, vt Catholicæ veritati aures vacuas adhiberet, quas eidem obstinato animo semper obstruxerat. Itaque ministrũ illum semiorem eatenus suum, & concionatorẽ nostrum domi suæ congregauit, non tam vt ex eorum disputatione veritatis lumen sibi illucesceret, quàm vt amicorum, agnatorúmque importunitatem ea ratione redimeret. Cum verò duos dies sic eos disputantes audisset, Ministri ineptias vltrò non ferens, ei prorsus de cetero domum suam interdixit, & solum concionatorem nostrum sibi adesse postulat, à quo dum catechizatur, & mentis curationem admittit, simul etiam ab ægritudine corporis conualescit. Nec mora, vltro Archiepiscopi Vicarium conueniens, præsentibus Catholicis aliquot, Caluino renuntiat, & Catholicam religionem profitetur, frementeac ringente os luporum grege, propter tam opimam prædam dentibus suis excussam: quippe quũm hic vir ingenio ac nobilitate clarissimus, Catholicam veritatem, à qua, tantopere semper abhorruerat, immo quam machinis omnibus oppugnauerat, simul atque ei aures, vel inuitus dedit, tanto studio complexus sit, magnum omnino Caluini sectæ præiudicium facit; cum in illo videant vniuersi, quàm facile ad splendidum Catholicæ veritatis iubar, omnes hæreticæ falsitatis nebulæ euanescant. Sed hactenus dictum de hæreticis, nunc ad Catholicos redeamus. In Lucalibus, ad sex humaniorum litterarum scholas, vna Philosophiæ, Theologiæ Moralis altera adiecta est. Professores omnes, pro felici instauratione scholarum, solemnes præfationes habuerunt. Interfuit omnibus reuerendissimus Archiepiscopus Vienensis

nensis, & cum eo frater eius Lugdunensis Præses, Comites Ecclesiastici, Consiliarij, Aduocati, Medici, tantùm non omnes adfuere gratulabundi, ijdem cum incredibili lætitiæ testificatione recesserunt. Eares Lugdunensis Collegij nomen longe latéque propagauit; quo factum vt breui tempore scholasticorum numerus mirifice auctus sit; nam cum initio vix quadringenti essent, nunc duplicato numero supra nongentos recensemus; è quibus quadraginta honestissimarum familiarum pignora (quod pluribus Præfecti nostri non sufficiat) in domo conuictorũ à nostris educantur. Declamationes, Dramata, Ænigmata, solemnésque affixiones de more accesserunt. Domus recreationis intra ipsum vrbis pomœriũ peramœno loco, & propter remotionem ab arbitris peropportuno sita, quam nobis absentibus quidam creditor occuparat, decreto iudicis restituta Collegio est. Litigiosus quadringentorum aureorum Prioratus, compositis partim regia authoritate, partim amicorum ope controuersijs Societati assertus est. Dunerij in oppido Velauniæ Prioratus est, quem Societas ante annos viginti septem obtinuit, sed altera redituum parte, per fraudem, ante annos septemdecim, diminutus; nam cum omnes Parochiæ ei obnoxiæ decimam fructuum partem persoluerent, vna excepta, quæ per Priuilegiũ vigesimã tantùm pensitabat: subditi illi nostri, de hac sola priuilegio immunes, tabellas Rusticanorũ iuramento firmatas ad Tholosatem curiam afferentes, generale decretum Parochijs omnibus commune, de vigesima tantùm persoluenda per surreptionem abstulerũt: sed callidi homines, qui tam improbè hominibus imposue-

Digitized by Google

runt, omnia videntem, ac vindicantem prouidentiæ oculum nequaquam effugerunt; ex ea siquidem die annus nullus præterabijt, quo non eorum fata grando peruastarit: Deo per hosce ministros suos, cum graui mulcta ab scelestis exigente, quod illi Ministris Ecclesiasticis per rapinam detractum, sibi nequiter vindicarant. Idque ipsum illi agnoscunt, & vel inuiti tandem confitentur. Et vero, vt ne amplius dubitarent, cuius sceleris culpam ea pœna luerent; recenti supplicio hominis improbi, & aduersus vindicem Dei manum procacis, illud intellexerunt: Nam cum aliquando, vt fit, ea res in corona rusticorum iactaretur, nonnullique eorum tempestatis causam in eum, qui fraudis auctor fuerat, conijcerent, illéque (aderat enim in eo cœtu) homines vt simplices, & superstitiosos derideret, & totam eam rem naturalibus causis adscriberet, orto super ea re iurgio, scelestus hic, vt se cladis huius inuidiæ eximeret, Si, inquit, factum meum stragis huius causa est, cur non mea vnius fata, vel sola, vel singulariter feriuntur? Mirum dictu! cum ceterorum agri mitiùs eo anno tacti essent, in nullo eius hominis aruo vel vna spica, quæ legi posset, relicta est. Ingressi Societatem nostram adolescentes duo; vnus è nostris Petrus Menne sartor, vir pius & simplex, ad meliorem vitam, vt anteactæ mores & felix exitus nobis persuadent, commigrauit.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM TVRNONENSE.

COLLEGIVM hoc selectos decem misit in probationis domum, præsenti anno. Eorum aliquis Patrem virum nobilem, aliquot mensibus expertus est non rigidum modò, sed peracerbum etiam; vt, quoties apud eum pij sui desiderij sermonem instituit, eiusque assensum rogauit, non conuitia solùm, sed grauissimas verberum atque necis minas audierit: sed fregit adolescentis constantia scilicet, modestia, & pietas, animi paterni duritiem, cum festo quodam B. Virginis aucupato die, precibus multiplicatis, ipsiúsque Deiparæ nomine feliciter interposito, expressit tandem ab inuito Societatis ineundæ potestatem. Hanc Academiam illustrauit vel maximè hoc anno gemina lectio Theologica. Hæresi publice abiurata Catholicam fidem amplexi, professique sunt septem atque triginta, in duobus primarijs Delphinatium oppidis. Sed virginis, atque adolescentis insignis maxime fuit conuersio. Adolescens hæreticus natus Nemausi, vrbe Caluinistarum veteri crudelitate, & magnis adhuc hæresum reliquijs cum primis insigni, ad Ecclesiam traductus à nostro sacerdote, suasu eiusdem inductus est, vt suum à Caluino diuortium, sua in vrbe palam, conscijs enunciaret hæreticis. Eo consilio Nemausum properabat, cum in oppido Volgorum Areomicorum, vulgus Bellicadrum vocat, incidit in nundinas, non modo prouinciæ ipsius, adeóque vicinorum Nemausensium, sed totius etiam

Digitized by Google

tiam Europæ, concursu celebres. Ibi quod frequentes adessent hæretici tum populares, tum extranei, quibus esset notus, consilium inijt sui prodendi, occasione sacræ supplicationis, quæ ex ritu anniuersario ante mercium explicationem, commissionémque nundinarum, habebatur. Cereum itaque accensum supplicantium more præferens, seorsim ab alijs, vt ad notam conspectior esset, vrbem piè obiuit, frementibus hæreticis; & parentibus, qui forte aderant, acerba quæque minitantibus. Inter illa porrò Catholicæ pietatis tyrocinia, interiore voluptatis sensu se mirificé perfusum postea narrauit, vt omnia despicienda putaret, præ illis Catholici hominis officijs; adeóque ipsam patris hereditatem, quam abdicauit potius, quam vt, ne abdicaretur à patre, rectam fidem ab se abiudicaret. Quod nunc sequitur, haud paulo sane est illustrius. Virgo nobilis pæne nubilis, recens Geneuâ Gratianopolim venerat, à parentibus missa ad cognatos, & duobus interim Ministris vnicè commendata. Eius cognati Catholici pijque, cum tentatis omnibus, vt virginis animum à Caluinismo abducerent, frustra laborassent; vni è nostris, qui tum ibi concionabatur, valde tamen reluctantem sistunt aliquando: silere illa primùm, toruóque aspectu, quæcunque dicebantur eludere, & aspernari. Tum fronte audaciori, quàm ætas sexúsque sinebant, ad rationes concionatoris, dicteria è consistorijs Caluinianis petita, procaciter refundere: infinita in Papam & Ecclesiæ sacramenta obijcere. Tandem institit noster, genu flectere vt vna vellet seorsim, quando simul recusabat, ac Deum omnis boni consilij auctorem deprecari, ne suo genere,

Digitized by Google

genere, & ætate indigna effutire pergeret, neue cum salutis periculo falleretur, si fallebatur. Post non modicas tergiuersationes, quasi per ludibrium in genua se demittit. Mirum dictu, auditúque: vix procubuerat, cum tacta diuinitùs exclamauit, lacrymis vbertim manantibus, Romanæ ecclesiæ se esse velle alumnam; & velut terræ affixa, loco dimoueri haud quaquam voluit, dum abiurata hæresi, & delictorum confessione peracta, rite absolueretur. Romoni oppido Delphinatium, tribus à Turnone leucis, grauissima febri iactatus decubuit, pænéque occubuit mercator, vt pharmacorum, medicamque artem superante morbo à medicis derelictus iaceret; cum deficiente ipsum humana ope, ad diuinam confugit opportunissime, implorati scilicet B. P. Ignatij patrocinio. Nam simul eius suffragia implorauit, simul integram valetudinem impetrauit. Oppidum est apud superiores Heluios in locis montosis, cui a diuo Agrippano, templi & totius circum regionis tutelari, nomen est; loci natura in primis, atque opere adeò munitum, vt in subiectam planiciem valde latam, facile dominetur, qui in eo præsidium vel mediocre habeat. Illo oppido atq; illius intima aree, cum olim potiti essent Caluinistę, nihil antiquius habuerunt, quam vt templum D. Agrippano tutelari sacrum, in arcis vmbilico, eleganti factum opere subruerent; rati fortasse Catholicam fidem eo loco se penitus extinxisse, vbi veteris monumenta pietatis deleuissent. Peculiare autem odium eo vehementius inflammabat sacrilegos homines, in D. Agrippani obruendam memoriam, quod is olim episcopus fuerat, quodque illius nomen &

Digitized by Google

templum, toto illo tractu votis, & susceptis eo peregrinationibus erat percelebre. Fecit tamen generosissimi Comitis Turnonij diligentia, & animi robur, vt in sacro auitæ Religionis domicilio, ne diuturna esset nouæ & impiæ labis sedes; atque vt optimo iure ad Catholicos rediret, quod summa fraude ad hæreticos transierat. Illa tamen sacra ædes iacuerat adhuc, magno incolarum dolore, quòd licet ijs multum semper animi fuisset ad eam instaurandam, parum tamẽ, aut nihil suppeteret facultatis. Sed hoc tandẽ anno nostris cohortatoribus, & operis adiutoribus, *in parte* locata est redemptoribus illa ędes reficienda, & ex eodem lapide rediuiuo ædificari cœpta, non in eadem quidem area, sed in alia haud paulo magis opportuna. Opus autem vrgetur vt secundis Catholicorũ votis, ac collatitijs pecunijs; ita maxima Caluinistarum inuidia atque indignatione, quibus in magna parte felicitatis erat, maximi sua opinione facinoris, & Caluinianæ sanctitatis dignissimi, extare ad posteritatis memoriam indicia, exturbati templi ruinas, & vt impie iactant, reliquias extinctæ idololatriæ.

COLLEGIVM BILLOMENSE.

HOc tandem anno totius Aruerniæ, atque adeo Galliæ votis expetitam huius Collegij, & antiquitate inter Gallica Collegia, quæ Societas habet, primi, & fama omnino celebris instaurationem, quam R. Aruernorum Præsul Dominus Claromontanus, pro sua in Societatem singulari beneuo-

Digitized by Google

beneuolentia, ſtudio in populũ, apud Principem gratia, exorauerat: Aruerni proceres omni ope, operaque promouerant: ciues Billomenſes, ſeu induſtria ſua & itineribus, ſeu pari ardore animorum, incredibilique conſenſu moliti erant, Rex Chriſtianiſſimus, fauẽte Gallia tota, perfecit. Neſcio vtram dici poſſit maiorem fuiſſe, vimne amoris erga nos, qua pugnatum olim erat à Præſule, ciuibuſque omnibus, ne a nobis ſedes auita & prima deſereretur; an fortitudinem ac vigilantiã præclare pertinacem, qua, quod multo gemitu & clamore diu efflagitauit Aruernia, aduerſus haud parua, quæ opponebantur, impedimenta obtinuit. Noſtrorum igitur ad ſua reditum, & ſcholarum ipſa initia, quæ ſe magna cœli vt apparet gratulatione dederunt, fauor nobilium, concurſus hominum, vrbium plauſus, communia ordinum omnium gaudia cumulauere. Certe in primis extitit omnium præcipui templi Canonicorum ſummus in re noſtra ſenſus, qui vt doctrinæ opinione præſtabiles inter Aruernos ſunt, ſic noſtræ Societatis omnes diligentiſſimi iam a principio, vſque ad hoc tempus fuere. Igitur illi ſolemnem ſupplicationem indicere, noſtros reuertentes complecti, ad D. Cyrenæi, quæ ſumma ædes eſt, honorifica pompa in Collegij templum deducere; Illic Deo magnis vocibus canticum canere pro beneficio, nos demum officijs atque amoribus proſequi tantis, vt non vulgare dederint exemplum pietatis ſuæ atque charitatis. Hoc publicæ voluptatis ſpectaculum, poſtquam optimæ & ſanctitatis fama nobilis Matronæ, Dominę Annę Barrerię pectus ſenſumque compleuit, poſtquam eadem collectam a ſe nobis, vt ſperabat,

Digitized by Google

redituris, multa fruge vindemiam senectutis suæ apud nos depositi, quę olim omnium fortunarũ ex asse heredes esse voluerat; postquam denique nostras ad res, & munia reuocatos salutauit & vidit, ad eum, cui placuerat, Dominum, diues operum & laborum exultabunda migrauit, & nostro in templo, eodem cum honestissimo pijssimoque coniuge tumulo condita, monumentum reliquit nobis amoris sui & Religionis.

COLLEGIVM CAMBERIENSE.

QVÆ de huius Collegij statu dici possunt, quod spectat ad annum 1604. hæc sunt. Fabrica noui Collegij non parum promouetur, futurumque speramus, vt post aliquot menses, in classibus nouis docendi initium faciamus. Hæretici tres, ecclesiæ reconciliati sunt. Ex ijs vnus erat Annonæensis, hæresi imbutus triginta duos annos integros: alij duo Gebennenses, quorum vnius (qui erat adolescens) conuersio mirabilis est. Cum enim Lugduni litteras accepisset commendatitias à vicario Archiepiscopi, quibus veteretur Romę, quò contendebat, dedit se in viam cũ peregrinis, à quibus pecunijs omnibus spoliatus est. Id cũ ęgerrimè ferret, apparuit illi homo ignotus, procera statura, nigra barba, & pedibus insolentibus præditus, qui illum hortabatur vt Geneuam remearet, promittens fore, vt ibi omnia ad vitam necessaria reperiret. Horruit adolescens tali spectaculo, suspicans fraudem dęmonis, negauitque se rediturum; quo responso confusus dęmon

Digitized by Google

dæmon, confestim disparuit. Prosequutus est iter adolescens, tantúmq; effecit vt Camberium peruenerit, vbi à nostris doctus est fidem Catholicam, & viro Principi commendatus, à quo liberalissime tractatur. Tenacissimus videtur susceptæ fidei, & nullis promissis sibi factis à mercatoribus & ciuibus Gebennensibus, qui crebro huc veniunt, à proposito reuocari potest; nihil item habet optabilius, quàm vt matrem ad bonam frugem pertrahat: qua de re cum etiã in somnis cogitaret, visus est sibi videre lucem quandam iucundissimam, & audire vocẽ dicentem, Bono esto animo, & perge quo pede cœpisti, futurum est enim vt mater tua tandem aliquando Ecclesiæ Catholicæ adiungatur. Magna est beneuolentia ciuium erga nos, cuius illustre est argumentum, quod cum ex voto deberet vrbs Camberium, solemni processione petere B. Virginem montis Regalis, quę est in Pedemontio, distatq; Camberio itinere duodecim dierum, non alium habere voluit Concionatorem, & moderatorem rerum spiritualium, quàm Patrem vnum è nostris; licet multi alij & sæculares sacerdotes & Religio, si eam Prouinciam deposcerent: Fauit vero B. Virgo plebi sibi deuotæ, nam ex quadringentis aut circiter, qui supplicationi interfuerunt, nullus male se habuit, licet fere omnes pedibus incederent, & ex ijs multi essent senes, pueri, puellęque, & fœminæ delicatissimæ. Nonnulli vero, qui ex equo corruerunt in fossas, nullo modo læsi sunt, licet in ipso casu equo subijcerentur. Hos inter fuere mulieres pregnantes, quę, sæpius licet ex equo in terram cecidẽrint, patrocinio Virginis Matris ab omni periculo ereptæ sunt. In ipso itinere sępius Sacer-

dos

Digitized by Google

dos noſter de rebus diuinis verba faciebat, confeſſiones excipiebat, liteſque componebat, & languentes excitabat voce, exemplo, & aljjs modis, cõquiſita etiã eleemoſyna in pauperes eroganda.

MISSIO CIRCVM GEBENNAM.

OCTO ab hæreſi ad Religionem Catholicam traducti: in his vnus in Gebennenſum vicinia, atque adeo domo manebat vſque ad præſentem annum, hoſtis Catholicorum, Eccleſiæque cæremoniarum deriſor infeſtus. Tandem audita vnius è noſtris cohortatione, anno ætatis ſuę quadrageſimo reſipuit, incredibili omniũ admiratione. Libri hæreſis labe aſperſi, quorum numerus facile iniri non poteſt, flammis mandati. Concertationes bis, terúe cum Gebennenſibus habitæ, quæ permagnam Catholicis lætitiam, paremque aduerſarijs ignominiam attulerunt. Sodalitas Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento dicata, in duas paræcias introducta, quarum altera ſodales ad viginti ſupra centum numerat, altera amplius ſexaginta, qui confeſſionis & communionis ſacrũ ſtatis anni temporibus obeunt. Nobilis quidam, vt illatam ſibi ignominiam vlciſceretur (baculo enim ab aliquo percuſſus fuerat) inimicum per aliquot dies in tranſitu expectauit, enſe & pugione inſtructus, quo in loco inuentus ab vno è noſtris ſacerdotibus, ita permotus eſt eius oratione, vt ei, à quo læſus fuerat, iniuriam condonaret, quod tamen ante id tempus, licet rogatus impensè ab amicis, facere prorſus abnuerat. Viginti circiter

Digitized by Google

circiter Nobiles cum ad locum duello assignatum, præscripto die, conuenissent, à cæde sibi mutuo inferenda, à sacerdote nostro prohibiti sunt.

De Collegio Diuionensi nihil hoc anno accepimus; quare ad Anicisense progredimur.

COLLEGIVM ANICIENSE.

Hoc anno templi noui iuxta typum ex vrbe missum, fundamenta iaci sunt cœpta, renitentibus etiam plurimorum consilijs, ciuium præsertim, qui hoc tempore vrbem, alieno ære præteritis bellis contracto, iacentẽ ac prope oppressã intuebantur, nosq; reijciebant in aliud tempus, sed iniectum à necessitate consiliũ vicit, cùm ruinas veteris sacelli nostri penitus timeremus. Ergo inchoatum opus piorum eleemosynis, aut vltrò oblatis, aut sanè non denegatis, operas totum fermè annum, cementarioſque detinuit, nullis Collegij sumptibus, nulla rei familiaris imminutione. Enituit vero in primis Reuerendissimi Episcopi, Domini Iacobi de Serres in re promouenda liberalitas, cùm & vicinas domos situi necessarias coëmit nobis, & larga iuuit eleemosyna ad ædificandum. Faustus omnino dies festusque Sancti Bonauenturæ, ponendo lapidi primo affulsit; eo quippe die, tota sese in nostras ædes, vrbs gratulabunda & vero rei nouitate ducta effudit. Clausit diei celebritatem accomodata actio, de Hierosolymitani templi impetrata per Zorobabelem à Dario instauratione. Sed à nouo ad vetus Templum

plum transeamns. Perfrequens illud est, & spiritualibus, tum confluentium, propter Anicienſis Virginis pietatem, aduenarum; tum etiam Ciuium ipſorum, qui noſtrorum audientiam captare ſtudent, nundinis percelebre. Inſtar omnium ſit illud: ipſo Circunciſionis die bis mille homines, è noſtrorum manibus ſacram ſynaxim ſuſcepiſſe. Vix ciuis vllus extremum diem claudit, niſi facta prius vni è noſtris peccatorum exomologeſi, idque velut certiſſimum ſuę integritatis teſtimonium popularibus ſuis relinquit. Quindecim hæreſim abiurarunt, quorum vnus totam vitam, alius quindecim annos in eius luto hæſerat. In eodem templo noſtro, ſchola diebus Dominicis aperitur doctrinæ Chriſtianæ, non minore concurſu quàm ſi concio haberetur. Vtraq; Sodalitas D. Virginis, tam aſſumptæ (quæ maior appellatur) quam annunciatæ, quæ minor, ſpectatâ floret pietate. E maiori vnus, artificio ſutor, alioqui imperitus, tanto cũ pietatis ſenſu moribundus vim morbi perferebat, vt domeſticos externoſq; nõ ſemel in admirationem raperet; O quã bonum, inclamabat, ferre iugum Domini ab adoleſcentia? quàm iucundum relictis ſæculi ſordibus in cruce Domini gloriari? Video B. Stephanum ſtantem à dextris filij Dei, nimirum vt mihi currenti, aut potius curſum conſummanti, brauium æternæ felicitatis prætendat. Poſt aliquot dies aduocatis, quos habebat, duobus filijs, maiori natu dixit, fili mi, imminet mihi, Deo ita iubente dies ſupremus, vnum à te velim, quod vt facias enixè poſtulo & impero, mihi videlicet vt ſuccedas, meumque vt occupes locum in Sodalitio Aſſumptæ Virginis. Tum ad minorem conuerſus (is erat ad

omne

Digitized by Google

omne flagitij genus supra modum procliuis) ni pellem, inquit, moresque immutaris, faciam meis apud Deũ precibus, vt ante annum mortem cum vita commutes, Et vero eum propria non fefellit opinio. Nam & ille Sodalitati nomen dedit, & hic, miserè dicam an impiè, ante nonum mensem extinctus est. Huic proximè successit quidam non tam nobilitate generis, quàm virtutis studio clarus: insignis quidem nostrorum apud nobiles patronus, apud omnes vero pietatis nomine multo insignior. Etenim non semel, furente hostili Marte, præsentissimum vitæ periculum obijt, vt Sodalium cœtui interesset; neque vero tanta in Virginem pietas in cassum abijt, eâ enim tanquam Cynosurâ ad portum salutis appulit: æger quippe, valetudinis recuperandę gratia, è castello se in vrbem transtulit, nimirum vt nostrorum & Sodaliũ ope, quos apud se, ceteris omnibus procul amandatis, & optauit & consequutus est, fœlicius diem clauderet. Accessit scholis hoc anno singulare ornamentum, secundus Philosophiæ professor; cum ab omnibus, tum verò à literatis, magno cum sensu, plausuque suceptus. Concludam totius huius anni seriem felici decessu CaroliDescorolani, is Aruernus patria, ciuitate Sanfboranus, annos natus vndeuiginti inopinato correptus, dum Auenione studeret, missus huc est, vt natiui aëris vicinia, morbo, si fieri posset, leuaretur. Sed aliter visum Deo, cui ex terrena huius vitæ mortalis fæce, non tantùm morbo, placuit eximere. Sex menses lento huius febriculæ igni traditus, sua patientia, conformitate ad diuinam voluntatem, lætitia interiore, quæ etiam extra erumperet, suum morbum insignem reddidit.

Funus

Funus eius omnium ordinum frequentia, etiam Senatorij redditur celebre, necnon illustris Abbatis Piperacensis ordinis in demortuum pietate, qui eius exequijs ita interfuit, vt relicta primaria sede, quæ ei oblata est, in ordinem Patrum circa feretrum orantium, quasi vnus ex illis sese retulerit: altaque voce vigilias mortuorum per vices vt alij recitare voluerit, atque ita eadem hora feriæ sextæ Parasceues, iniectum in sepulchrum est corpus examine, quo exanimati propter homines Christi sacrum corpus in monumentum illatum.

COLLEGIVM BITERRENSE.

CONCIONATORE nostro verba illa Euangelij exponente (Diligite inimicos vestros) ciuis quidã Biterrensis, qui concioni aderat, votũ concepit, non ante domum reuertendi, nec cibum capiendi, quàm ab inimico venia petita, in eius gratiam redijsset; finita vero concione ad illius ædes pergit, at inhumaniter in limine exceptus, & extrusus, nudo semper capite ante fores tamdiu constitit, donec liceret sibi intra priuatos parietes paucis cum illo agere: cumque tandem multum flagitasset, conceditur in ædes ingressus; illico pedibus illius obuolutus, fusis lacrymis veniam iterum atque iterum rogat, eamque ab inuito inimicitiarum authore tandem impetrat. Ecclesiæ centum nummi aurei attributi. Defuncto præterito anno Reuerendissimo Episcopo, in eius locum suffectus est Reginę Archieleemosynarius; is vt Parisijs aduenit, à scholasticis magna ciuium frequentia

frequentia est exceptus vario Dramatum genere; quàm sibi id gratum & honorificum fuerit, testatus est liberalitate præmiorum. Eiusdem consilio ad vrbis sacerdotes lectiones de casibus conscientiæ, stato hebdomadæ die, in Episcopio, ab vno Nostrorum haberi cœptæ, annexa mulcta non legitime absentibus. Fur crimen suum in virum honestum falsò reiecerat; sed cum carcere noctu erupisset, ita animo est commotus, vt Eiguaco Biterras iter septem leucarũ confecerit ad consulendum nostrum confessarium; á quo agendorum monitus, crimen suum coram testibus, & publico Notario confiteri vltrò non erubuit. Sic ei honorem publicè restituit, quem in iudicio calumniosè insimulauerat. Non pauci hęretici auitam Religionem sunt amplexati. Horum de numero tres adolescentes à parẽtibus in hæresi educati, quos cum alius adolescens præmoneret itineris, quod breui voti causa susciperet, ad ædem B. Virgini sacram in monte Serrato, mentem suscipiunt illum comitandi. Denique rem omnem aperiunt vni nostrorum, à quo edocti quid opus esset pietatis & officij, hæresi publice abdicata, fidei nostræ adhæsere. Postmodum omnes quatuor confessione præmuniti, magno & fructuoso pietatis sensu peregrinationem expleuerunt. Caluinista quidam mulierem Catholicam, cum qua sponsalia contraxerat, noui Euangelij præconi commisit, quò, dum vxori eius operas quasdam præstaret, Catholicos ritus sensim exueret, hausto que hæreseos veneno, secum matrimonio iungeretur: verum dum hic nouus Doctor illius animo hæresim instillaret, simul eiusdem corpus libidine sæpius tentauit, irrito tamen conatu. Rem adeo

adeo nefariam illa sponso detegit, ambo Magistratui, à quo ille libidinosæ fraudis architectus in ius vocatus, conuincitur, multatur; sponsus verò hæresi deposita, vni nostrorum confessus ad Ecclesiæ Catholicæ gremium se recepit. His attexo insignem conuersionem Domini Pausani. Is erat in his locis nobilis Pseudo-Euangelij præco, ab infantia, in hæresi, à Patre Ministro enutritus, annos natus viginti sex. Initio huius anni, suis in concionibus debacchabatur in summum Pontificem, quem vt Antichristum probaret, veritatem hanc conabatur eludere, nempe *Diuum* Petrum nunquam Romæ fuisse; verum *dum huic* falsitati probandæ insisteret, tantis conscientiæ tumultibus concussus est, vt abiecto hoc argumento, susceperit deinceps explicandum caput primum Diui Lucæ, in quo agitur de conceptione, & natiuitaie sancti Ioannis Baptistæ, item de annunciatione, & incarnatione Christi Domini: in his mysterijs explicandis, vt occasio dabatur, in laudes Deiparæ virginis excurrebat, eóque animi & verborum sensu, præter aliorum Ministrorum morem, vt iam non Caluiniani, sed Orthodoxi concionatoris munus sustinere videretur. Ex quo singulari pietatis in Christi Matrẽ officio, non ambigit ille, quin mentẽ hæreseos detestandæ susceperit. Eodẽ tempore concionator noster, post enucleatã euangeliorum, quę identidem occurrebant narrationẽ, ad Catechismi Geneuensis explicationem venit, illiusque authorem sæpè falsitatis atq; impietatis conuincit: momentis Auditores attendebant, quæ postea, tum domi, tum in hominum corona, hæreticis, qui multi sunt in hac ciuitate, obijcerent, quibus cum hi nõ possent facere satis;

eadem

Digitized by Google

eadem Pausano Ministro referebant, quo palam proxima quaque concione ab eodem soluerentur. Quod vt accuratius præstaret, lectitat ille diligenter suorum doctorum scripta; verum aduertenti eorum solutionem ab illis nequaquam dari, diuinitùs illi animus inijcitur doctorum Doctrorum libros peruoluendi, qui de controuersijs tractant, atque in primis Cardinalis Bellarmini, quem in hoc genere præcipuum duceret. In eius lectionem dum serio incumbit, veritatibus hinc inde emergentibus, crebris & acutissimis, vite in melius commutandæ, percellitur aculeis, quibus se vt extricet, Deum obsecrat, sibi tantum superni luminis impertiatur, quantum in his diiudicandis opus esset, an ab ipso, an à dæmone ingererentur. Exauditur, liber penitùs factus ab huiusmodi importunis tumultibus, simul cogitationem, quam spiritus sanctus instillabat, Romanam fidem amplectendi, concepit. Hospitabatur vero in domo Caluinistæ hæretici inter suos primarij, cuius vxor, vt optimis moribus illustris, ita summe erat Catholica. Huic ille suam cogitationem serio animi sensu aperit, simul rogãs, sua vt opera in colloquium veniat cũ concionatore nostro, ad hunc illa aduolat, quid suus hospes requirat, certiorem facit, nec vllũ esse dubitandi locũ; proinde illi sit subsidio in re tanti momenti, patiatúrque se ab illo conueniri nocte concubiâ in Collegio, ne à quopiam aduertatur. Annuitur: aduentat ille statо tempore; in cubiculum Collegij à Patre recipitur. Quam rationem hæreseos palàm abdicandæ inire debeat, edocetur. Ad diuulgata obstrepunt hæretici, lætantibus Catholicis, Iesuitarum magicis sermonibus seductum mussitan-

tes; Aduocantur Monspellio & aliunde Ministri, nec non mater, tum frater, ambo hæretici, quò à suscepta mente dimoueatur, frustra obsistitur, in corona hominum rogat mater, vt precibus ad Deum fusis hoc auertat dæmonum,& Iesuitarum fascinum; obsequitur ille perlubenter in genua procumbens, ac sublatis in Cœlum manibus ait. Placeat tibi ô summa Dei maiestas,hanc tum Matri,tum iis nominatim, qui hic astant præsentes, notitiam impertiri, me eo tantùm animo Catholicam & Romanam fidem amplecti, quo internis spiritus sancti motibus assentiar, & conscientiam meam in tuto collocem. Assurgitur, obstrepunt denuo in illum omnes vociferationibus maledicis, quibus vt se expediat, ad Collegium recta contendit, ibidem per aliquot dies moraturus; facta à Patre Rectore potestate, beneuola nostrorum omnium gratulatione excipitur, quietior iam, quæ sunt salutis animæ, exequitur; orationem item exarat, quam sequenti palmarum die, in summo templo sancti Nazarij post concionem, ex inferiori gradu habuit ad populum,non maiori hactenus illîc frequentia visum. Eius hæc præcipua capita. Summum malum esse hæresim, ex quo tamen diuina Bonitas maxima bona eliceret; Eius rei veritatem in seipso experiri; hęresim Caluinisticam omnium hæreseon & falsitatum, quas Romana Eccleśia iampridem damnauit, cloacam, & sentinam esse; se summè pœnitere, quod his tamdiu adhęserit;se suæ solidę,& intimæ conuersionis testes compellare Deum Opt. Max. Angelicos spiritus, diuos omnes cœli incolas, necnon mortales omnes, illud Diui Pauli vsurpando; prius Blasphemus fui, persequutor & calumnio-

Digitized by Google

nioſus, ſed miſericordiam conſequutus, quia ignorans feci in incredulitate : ſe ſuo exemplo omnes hæreticos inuitare, & hortari vt ad Eccleſiam Romanam ſolam, ex Apoſtolo teſte, columnam aduolent. Vt finem fecit, ad pedes vicarij Generalis in genua procubuit, à quo abſolutione præuia, in Eccleſiæ noſtræ gremium receptus eſt, incredibili omnium aſtantium lætitia, quam eodem in templo muſici concentus ſunt proſequuti. Hæretici vero non pauci, eius tum exemplo, tũ cohortatione Eccleſię orthodoxæ aggregati ſunt.

RESIDENTIA ALBENACENSIS.

TVRBAVIT nonnihil noſtros, nec eorum tamen ardorem repreſſit D. Marchionis, qui eos liberaliter fouebat, interitus. Cum enim ille è caſtro ſuo, Dominica quarta quadrageſimæ, ſacrum auditurus egrederetur; è ponte ligneo in vallum non admodum altum præceps decidit, corporea mole potius, quam ipſo caſu, cerebro nonnihil læſo. Medici & Chrirurgi de corporis, noſtri de eius animæ ſalute curam ſuſceperunt. Poſtero die rite confeſſus, dixit ſe Deo animam prius confeſſione purgatam obtuliſſe; corpori, quam iudicarent, Medici medicinam facerent. Ceſſit morbo induſtria, nam quarto poſt caſum die de medio ſublatus eſt. Hinc luctus Catholicis, tanto propugnatore amiſſo; contra, ſumma lætitia Miniſtro Caluiniano, & ſuis, qui noſtros ſtatim vrbe exceſſuros putabant. Nec ideo tamen Mæcenate cadente animis cecidere, ſed fauenti-

Digitized by Google

bus etiam num Marchionis hæredibus incultam hanc, pęnéque desertam vineam excolere perrexerunt, concionando, Catechesim exponendo, sacra ministrando, ægrotos inuisendo, Catholicos confirmando, hæreticos alliciendo, iuuentutem litteris imbuendo, &c. ex Societatis instituto. A Caluinianis synagogis ad matrem Catholicam, nostrorum opera venerunt à Kal. Ianuarijs anni millesimi sexcentesimi quarti, ad Kal. Ianuarias anni huius millesimi sexcentesimi quinti, in vrbe Albenacensi vel circumuicinis locis, tres supra triginta circiter. Cum autem duo ex illis, titillantibus postmodum Luxuriæ motibus obsequentes, meretriciam quandam mulierem adirēt, a cœpto nefario hoc modo deterriti sunt. Lupæ domum propius accedentibus, ecce tibi de cœlo quasi ardens ignitáque laterna ad ipsorum pedes decidit, qua prodigij insolentia immane quantum attoniti! in animum ambo pariter induxerunt expiare confessione peccata. Alter vero eorum propositi negligens, cùm aliquando suam intentus artem factitaret, brachium læuum igne sibi aduri persensit, adeo flagrante, vt tam dirum crutiatum, támque acrem doloris sensum se nunquam sustinuisse, nec in vita subire posse affirmarit: interea vox in aurem obstrepuit, Sic ardet anima illius (nomini parcitur) cuius libidinoso imperio tot nefaria perpetrasti. Eidem nihilominus in voluptatis cœno hęrenti, & pœnitentię sacramentum propemodum aspernanti, tale denuo spectrū obiectum est. Astitit procerus gigas sex & amplius vlnas, nigerrimus, ocúlis horrendum scintillantibus, manu dira, extremáque minitans: hocce visum miser ille amico cum declarasset, eo consulente

Digitized by Google

lente, de instituenda rite confessione seriò cogitauit. Nullum non mouerunt lapidem Caluiniani Ministri coactis synodis, vt scholas nostras labefactarent; maiorem enim duæ hic scholæ illis molestiam ac dolorem afferunt, quàm alibi integra collegia. Quas illi minas intentarunt, quæ anathemata pararunt in suos? si pergerent liberos Iesuitarum scholas, quas dæmonum officinas modesti isti morum, & fidei reformatores vocant, frequentare. His minis territi Caluiniani parentes aliquamdiu liberos à nostrorũ consuetudine, gymnasióque abduxerunt, tamen neglectis postea brutis illis fulminibus breui remiserunt: cùm dicerent se malle quodlibet damnum subire, quàm charissima sua pignora tanta vtilitate priuari. Verentur fortasse imperiti ministelli, ne ab ipsis auditoribus suis, si optimis fuerint artibus exculti, superentur. Ad excitandam erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pietatem, initio cuiúsque mensis mittuntur auditores nostri (quorum satis frequens est in tanta barbarie numerus) ad publicam supplicationem, vt eam ordinato incessu, & suaui cantu cohonestent, per vicos enim religiosè circunfertur Eucharistia. At instructiores multò, (quippe qui linteati) processere ipsi corpori Christi Domini dicato die, quo etiam tempore eiusdem sacramenti exhibitus est typus non inuenusto dramate. Magus quidam vel superstitionum vates, reiectis damnatisque fatis, pietati Catholicæ restitutus. Duo Patres, Reuerendissimi Episcopi Mimatensis rogatu, ad Ceuenas excurrerunt, ibique diu & magno fructu immorati sunt. Ceuenarum regio latissime patet, tota fere montosa, & aspera, quibúsdam in locis vini

Digitized by Google

vtcúnque ferax, pomorum autem passim ferè & castanearum, quibus vt plurimum victitant. Caret enim vbique fere tritico, nisi aliunde inuehatur. Tota fere regio, dum dormiren thomines, zizanijs Caluinianis inseminata, à quadraginta annis Christi semine caruit; maximè quinque ac triginta parœciæ Diœcesis Gabalitanæ seu Mimatensis, in quibus obeundis magnam sanè messem, operarios autem pœnè nullos, ad eam colligendã repererunt, vnde & plus illis laborandum fuit. Ex voluntate eiusdem D. Mimatensis constitere Patres in celebri pago, quamdiu septem *Ministri* synodum de re maxime pecuniaria habuerunt, ne deessent in loco aliquin hæresi deprauato, rectæ fidei propugnatores. Ministrorum tamen contra eos hiscere ausus est nemo, quin potius sese, quoad eius poterant, visis Patribus occulebant. Septem ea missione hæreticos ad Ecclesiam adiunxerunt, plurimos in recta fide Catholicos confirmarunt, & diuini verbi semina iecerunt, quæ cœlo rigante, soléque iustitiæ fouente, incrementa vt speramus capient, & adolescent. Mirabantur Caluinistæ nostrorum (quos nunquam ea in regione viderant) in agendo suauitatem atque modestiã, quam cum intolerabili suorum Ministrorum superbia conferebant, maximéque omnium in perferendis laboribus alacritatem, & in victu frugalitatẽ, cum eos pedibus semper per asperrima loca iter facere viderent. Vir enim nobilis dixit aliquando, ipsis audientibus, optandum esse, vt ministri eã vitæ rationem inirent: eósque maximè reformatione morum indigere, esse nimis delicatos, arrogantes, auaros &c. Post duorum circiter mensium excursiones obseruatas accuratissime, scriptóque

traditas

Digitized by Google

traditas Episcopo Nimatensi rationes, quibus tota illa regio ad Christū possit adiungi, ad residentiā bene fatigati redierunt. Quidam pastor (qui opera cuiusdam magi securitatem ouibus suis, ne à lupis tangerentur, à Dęmone obtinuisse ferebatur,) coacto sub noctem, more solito in domum campestrem grege, ad hauriendam aquam egressus est. Ecce tibi è cliuo montis tres præcipiti cursu ad eum tendêre, siue homines illi fuerint, siue laruæ ac dęmones, quibus ille prospectis tanto metu & horrore (homo alioquin robustus) affectus est, vix vt ad regrediendum, séque domi occludendum vires suppeterent. At nec sic quidem periculum euasit; vix lucernam accendit, cum monstra illa, foribus minime reseratis, sensit irruisse, ad quorū impetum gregem commoueri, trepidare, molossum adlatrare horrendum, omnia perturbari; denique isti miserum illum, securi arreptâ frustra se tueri parantem, inuadunt, ac vehementer diuexatum abripiunt, (qua ex parte domus extraxerint sciri non potuit, cum fores & fenestrę omnino occlusę fuerint inuentę) totáque nocte per auia & aspera loca pertrahunt, ad spatiū milliaris vnius Gallici. Sub diluculum cum aquam ad potum reperisset, vocémque subaudiret, vt se Deo commendaret, salutari se signo munit, laruæ euanescunt, visam procul domum quandam adire conatur, casum aperit, ad fratrem reducitur, apud quem, quartum eum iam diē membris & viribus debilitatis, ac fractis, pessiméque habentem vnus è nostris conuenit, vtque statim per confessionem animo faceret medicinam, obtinuit. In Ceuenis, non procul à pago, cui nomen est Barrium, superioribus annis Rusticus Caluinista

nista iunctis bobus ipso die S. Eucharistiæ Sacramento in Ecclesia Catholica sacro, terram prope viam publicam arabat. Ecce tibi ignitus e cœlo turbo, quo miser ille vna cum bobus conflagrauit. Vidit casum alius agricola eadem labe infectus, seque Deo commendans, soluit statim boues, & euadit. Hoc prodigium multos hæreticorum permouit vt festo die hostię, (sic loquuntur illi) metu saltem, si minus religione, ferientur. Floraci, quod est oppidum Ceuenarum, nobilis quædam matrona pertinaciter addicta Caluino, cum olim fuisset Catholica, ipso die Christo nascenti sacro, iussit domi suæ lixiuium ad linteamina purganda fieri, cum tamen moneret ancilla, die tam celebri, tali opere abstinendum. At permagno illi stetit, nam sub vesperam, excitato, casu quodam, incendio, ita sæuijt flamma, vix vt potuerint saluis corporibus incendium euadere, quo, vicinis aqua alijs modis frustra restinguere conantibus, tota domus cum omni supellectili consumpta est. Puella inter Caluinistas educata, cum aliquot annos ex eorum arbitrio vixisset, ad Catholicam venit. Narrat herum, cui inseruiebat, quo die Christus pro nobis est passus crucem, armum veruecinum assatum in superius domus cœnaculum deferri iussisse, sed tam densum Crabronum, alieno sanè tempore horrende stridentium, examen in cœnaculum irrupisse statim, vt coactus sit carniuorus eo cedere, & parata fercula crabronibus deuoranda relinquere, quod sanè non sine domesticorum horrore, & admiratione factum est, nihil enim intactum, vel integrum relictum est. Anus quædam verbis atrocibus & contumelioſis affinem suum impetebat, quod

quod à Caluino ad Catholicos transisset, & in Diuos, & Ecclesiæ sacra ritúsque blasphemo ore inuehebatur: non defuit diuina vltio; nam illicò vocis vsum amisit, & mediam corporis partem paralysi solutam sensit, nec adhuc conualuit.

DOMVS PROBATIONIS AVENIONENSIS.

QVÆ pars ædificij duobus ante annis à fundamentis extrui cœpta, hoc tandem, Dei gratia, perfecta, angustias domus laxauit. Expensa sũt aureorum duo millia & octingenti piorum hominũ liberalitate, nullo nummo intra ipsam vrbem conquisito aut accepto. In eo autem opere perficiendo, ad Dei optimi maximi gloriam, & Beatissimæ Virginis illud contigit memoria dignum. Faber lignarius, in summo tabulato cum occuparetur, nescio qua rei necessitate, dum desilit in substratas tabulas, in eam incurrit, quæ ipso casu rumpitur; vnde hiatu patefacto, præceps in terram fertur. Ex ijs qui accurrerunt, inspecta altitudine loci, nemo fuit qui non mortuum, aut, non multo post, moriturum crederet, vel minimùm conquassatum & comminutum membris; adhibitis tamen, quæ solent eiusmodi malis, præsentibus remedijs, ad se redijt, & in Dei laudem, ac matris eius, linguam soluit: & quod miraculi simile fuit, non multo tempore post casum, sanus in publicum venit, Deo & optimæ Patronæ virgini Matri gratias acturus immortales, cui hoc beneficium debere se, aperte dicebat; siue

quia

Digitized by Google

quia vnus ex eius Sodalitio, siue quia præcipuo eam honore colebat à puero, hereditaria quasi successione; siue quia illam vnam cum dulcissimo IESV inter cadendum, in summa perturbatione & rerum omnium obliuione, inclamauit. Qui ex more nostro peregrinati sunt Nouitij, Dei prouidentiam probarunt, tum in alijs, tum in aquis, quæ diuturnis imbribus extraordinarie intumuerant, vado quasi continuo superandis. Duo cum torrentem ponticulo traijciunt, diceres Deum edixisse aquis, tantisper loco suo trabem ne mouerent, donec in altera ripa consisterent. Nam vix terram postremus attigerat, cùm citato impetu aquæ pontem abripuerunt. Qui hoc anno in numerum nostrorum asciti sunt, varijs & plurimis argumentis, Dei vocantis bonitatem, intimis sensibus agnouerunt, & egregie factis, hominibus probarunt: fuit enim qui Societatis ineundæ voti reus, iam inde ab anno duodecimo per varios anfractus, ab hoste humani generis circunductus, ægrè tandem per morbum ad sponsionē, qua Deo tenebarur præstandam, feliciter adactus est. Alter, siue ingenij leuitate, siue illecebris mundi à pio proposito defecerat, cum ecce aduersa valetudine afflictus, sanior animo fit; fide enim Deo data de nostra religione ineunda, continuò, quod mirum fuit, sanitatem & Societatem adipiscitur. Duo alij maturioris ætatis & iudicij, quibus iuris scientia, & parentum siue opes, siue fauor ad honores aditum pollicebatur, mundum valere iusserunt; quorum alter cum esset primogenitus, & non modo suis, sed plerisque omnibus in primis carus, eximiæ fortitudinis exemplum dedit, cum se matri cœlum terrámque miscenti

Digitized by Google

centi subduxit, vt Deo manciparet. Plures à parentibus consensum ingrediendi ordinem nostrum extorserunt, hic precibus, hic animi constantia, ille mundi pompis longissime semotis; vnus, quod singulare est, patrem habuit tanti beneficij deprecatorem, qui ardore incredibili illud à superioribus exorauit, cui nihil potius accedat, quàm si cæteris filiis à Deo tanta gratia conferatur. Sed vt sunt hominum ingenia varia, non ita nonnulli alij cum liberis suis egerunt. Siquidem vir auctoritate & dignitate potens, cum grandiores natu huc, ad fratris animum de sententia deturbandum, frustra missos esse sensit, subsequitur ipse septuagenarius, hoc ipsum pro auctoritate facilè, vt credebat, perfecturus; nec tamen aliud à filio, nostris etiam propè cogentibus, impetrat, quam vt eum aliquot dierum spatio probet: illis elapsis, si in proposito perseueret, remissurum se iureiurando pollicitus, cui cum non staret, fuga semel irrito conatu adolescens, sed secundo feliciter ad crucem aduolauit. Alter dignitate conspicuus, non tantùm cum filio, sed vna etiam cum Deo pugnam inijsse visus est. Cum enim filium, cognitis ex ipsomet eius consilijs, haberet in custodia, & filius solertia sua vigilantiam custodum elusisset, quin etiam iram parentis, velocitate equorum eius ingressum ad nos præuersuri, inuijs itineribus euasisset; misso ad P. Prouincialem tabellario, eam rationem per litteras prætexuit ad filium reuocandum, cui vix erat contra iturus, si hominum sensu eam ponderasset, aut Deus ipse non prospexisset per casum tabellarij, qui luxato pede cum progredi nequiret, tempus dedit ad fraudem, quæ struebatur, debilitandam. Interim

enim

enim certior de constantia adolescentis, & de re tota Prouincialis factus, acceptis tandem per alterum hominem literis, ita respondit, vt parens filium, si quidem is vellet, abduceret; sin nollet, se non eũ esse, qui à Deo intromissum exire cogeret: qua potestate cũ nihil per se efficit, summos viros, quorũ apud nos est magna auctoritas adhibet, nec proficit. Tandem, dum se accingit vt Illustrissimo Cardinali de Ioyeuse, ad eius gratiam ineundam, obuiam eat, ex summis hospitij scalis, magno vitæ discrimine in preceps ruit: tum sanè quiuis, etiam coniunx agnouit cum Deo agi; & tamen, quod mirandum, aut potius deplorandum est, contendendi cum filio finis non ante est factus, quam sententia Illustrissimi Cardinalis in gratiam tyronis nostri est denunciata. Concludã communia Nouitiorum, insigni facto matronæ, virtute & genere apprimè nobilis, quæ à finibus Galliæ Narbonensis cum Auenionem venisset, filios Domino Deo consecratura, acerbius nihil habuit, quàm quod alterum de sententia discessisse cognouit; Alterius tamen constantia recreata, ad excitandam pietatem solemni quasi ritu illum Deo dedicauit: dicta enim receptioni die, in sacellum nostrũ venit cum filio, & altero adolescente, cuius mater tanto exemplo permota, in præclari facinoris societatem se adiunxerat; ibi re diuina facta communicant omnes, & sancte Deo gratijs actis, surgit illa, de manu in manum filium P. Prouinciali dat, perseuerantiam bene illi precatur, ea vultus hilaritate, eo verborum pondere, vt fundatrix & alij nobiles qui aderant, inusitatæ rei spectaculo attoniti, finem non facerent mirandi, & laudandi mulieris animum supra mulierem,

supra

Digitized by Google

supra matrem. Xenodochio, quod iam ab aliquot annis dirutum ac solo æquatum fuerat, ædes conquisitæ; adductique in concordiam ciues, qui propter discordias hactenus cogitationes pauperum abiecerant. Multorum item conscientias, pro numero incolarum, exemplum dæmonis illius muti Catharinæ (de quo in Annalibus Anni millesimi quingentesimi octogesimi secundi) in apertum eduxit, facta totius vitæ exomologesi, aliosque etiam vicinorum oppidorum, atque adeo exterarum nationum, qui illac iter habebāt, ad idem præstandum adduxit. Ab sacerdote nostro, Deo adiuuante, ad gremium Ecclesiæ Catholicæ reuocati quatuor. Vetus consuetudo, qua laruati viri & femine diu & noctu per vias publicas incedebant & choræas agebant, prima ieiunij hbdomada, maximè vero prima dominica, sublata est edicto Magistratus, oppesita pœna pecuniaria in eos, qui contra agerent.

PROVINCIA AQVITANIÆ.

HABVIT hæc Prouincia octo locis, nempe Collegijs septem, & vna Probationis domo, Socios sexaginta tres supra ducentos; Sacerdotes nonaginta septem, è quibus Magistri quindecim; Magistros non Sacerdotes triginta sex; studiosos quadraginta tres; Coadiutores quinquaginta septem, Nouitios triginta. Obijt nemo; Admissi triginta.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM BVRDEGALENSE.

TRES & viginti noſtrorum induſtria reſtituti ſunt Eccleſiæ. Inter eos vna fuit Nobilis puella, quæ maluit periculum adire hereditatis, quàm animæ, & honeſtæ viduæ ancillari, quàm hæreſi. Inuenti ſunt qui multa milliaria, aliqui etiam ſupra centum, vltrò confecerint, vt animi ſarcinam, qua premebantur, ad noſtrorum *pedes* abijcerent. Quidam Magicas inſanias, quibus ad aliorum & ſuam perniciem addictus erat, penitus abiecit a ſe, reſque ſacras, quibus ſacrilege abutebatur, flammis cremandas curauit. Auſterum alter ſibi ieiunium impoſuit, territus anteactæ vitæ *fa*cinoribus, vt tota quadrageſima panem pro obſonio, aquam pro potu haberet, triduo etiam in maiori hebdomada nihil omnino deguſtaret. Eandem pœnam ſubijt alter, ſed animo longe diſſimili. Is olim noſtræ Societatis fuerat coadiutor, qui ſpe ſacerdotij à nobis ſponte receſſerat. Fit ſacerdos, & Dei, & dæmonis ſimul; ſed verius dæmonis. Nam poſtquam per aliquot annos latuiſſet in pagis, palam conuictus eſt ſortilegiorum, atque ideo damnatus ad perpetuos carceres, vt in eis pane & aqua reliquam vitam ſuſtentaret. Muliercula ære alieno oppreſſa, inſuper inſidijs libidinoſi hominis circumuenta, deſperationem in conſilium ſuarum cogitationum adhibens, dæmoni ſe deuouet; aduolat vafer, atque hominem ſimulans, montes aureos pollicetur; ſed hac lege nimirum, vt matronæ cuidam nobili

prius

Digitized by Google

prius famularetur; placent desperationi omnes conditiones; dicta die adest satanas expeditus in equo, vt videbatur; mulierem à tergo sedere iubet; sed opinione sua eques, re autem vera pedes, concito cursu in lacum altissimum præceps agitur, e quo nunquam viua extitisset, ni quorundam manibus, qui currentem mirantes, nec sine suspicione mali consilij viderant, collo obtorto, aspectu horrido, & facie plane cadauerosa, extracta fuisset. Veruntamen plane sibi restituta, perceptione Sacramentorum, & nostrorum monitis animosior facta est. Cum pestis hoc anno satis sæuiret, & peiora in dies pericula intentaret, visum est P. Prouinciali voto concepto polliceri Deo, si modo ciuitatem, saltem domum hanc nostram pro sua clementia tanto malo liberaret, fore vt ipsanothecæ Apostolorum Iacobi Maioris, Bartholomæi, & Thadæi, quàm optimè exornarentur. Placuit Deo conditio, placuit munus; simul votum, & impetratum est. Nam qua maximè anni parte hominũ iudicio grassari fœda lues, & depopulari omnia debere credebatur, planè est extincta. Itaque de thecis cogitamus: pro quibus centum aureos nummos iussit numerari vir Nobilis. Interea supplicatio publica ad templum nostrũ institutа ipso D. Iacobi Maioris festo die, cui templum ipsum dicatum est, quo prorex, Senatus, Sex-viri, ciuitas omnis aduolauit, auditura concionem rei, quæ gerebatur, accommodam. Alteri voto respondit Deus pari facilitate. Moriebatur mulier doloribus partus, desperata à medicis hominibúsq; : vocatus vnus è nostris, eorum nomine vouet, si modo precibus B. P. Ignatij certum mortis periculum euaderet, parerét-

quo

Digitized by Google

que incolumis, fore vt ipsa cum viro ceteráque familia, quamprimum totius vitæ peccata confessione abstergeret, & quotannis ipso die Natali B. P. Ignatij sacram synaxim perciperet. Incredibile dictu, cœpit mulier respirare, & nullius nisi Dei ope enixa est mortuum nescio quid, sine vllo doloris morsu, tanta cum omnium admiratione, vt Medicus etiam hæreticus miraculum succlamarit. Idem à D. Andrea exorauit alter, quem gangræna miserum in modum corrodebat. Stetit enim malum, nec vltra progredi ausum est. Eandem Dei manum senserunt alij plerique: *sed maxime* vir quidam primarius, ætatis prouectæ, qui cum morbo grauissimè tentaretur, nomen se daturum congregationi B. Virginis vouet, & consanescit. Post longas annorum quatuordecim vacationes, instaurationem Gymnasij sane florentissimi, de qua superiori anno scriptum est, Deus non obscuris argumentis comprobauit. Illud singulare, quod cum in vna classe plurimi essent Auditores, nescio quomodo, trabs quædam, cui pars tecti innitebatur, subito casu collapsa, omnia repleuit timore; tres ex omnibus solos tetigit, quasi caput genuáque ipsorum demulcens, sed ita vt læserit neminem, lapides qui cadentem trabem subsequi debebant, tamdiu penduli substiterunt, donec se omnes subduxissent. In templum nostrum multorum liberalitas enituit, expensis ad mille, supra ducentos, aureis nummis ad eius ornatum: Senatusconsulto præterea ad ædificium domesticum dati aurei bis mille, & plebiscito decretum, vt totidem ad ædificationem numerentur, vt iam dubitare nemo iure possit, quin ciuitati cari simus & accepti, mutatis hominum de nobis

bis opinionibus, & depoſita omni ſuſpicione. Et ne quid deeſſet, Academia ipſa, quæ olim ſuum in corpus nos aſciuerat, & vni è noſtris locum inter Doctores conceſſerat, alterum præterea è noſtris adlegit, ſanxitque ne alia Doctoratus inſignia requirerentur, quàm quæ in Societate pro noſtris vſurpari ſolent. Decretum porro huiuſmodi eſt, vt dignum ſit quod annalibus inſeratur.

DECRETVM ACADEMIÆ BVRDEGALENSIS.

CVM ante duos & triginta annos, Patrum Religioſorum Societatis IESV Collegium, in hac ciuitate Burdegalenſi fundatum, alma hæc Academia, non ita multo poſt, in ſuum corpus omnium conſpirantibus ſuffragijs aſciuiſſet, ſuorúmque omnium priuilegiorum, & immunitatum ius impertiuiſſet, vt placito eiuſdem Academiæ, emiſſo in eorum gratiam tertio Id. Nou. anno ſal. milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo abunde declaratur; cũ etiam perſpecta iã vtilitate maxima, quæ in Aquitanicam iuuentutem ex eodem Collegio, pietatem ſimul cum bonis litteris coniungente, redundabat, Idem ordo Cal. Apr. anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo ſanxiſſet, vnum ex numero patrum eiuſdem Societatis adlegi inter Academicos Theologiæ Doctores: viſum eſt tandem vniuerſis Patribus Academiæ, pro ea animi propenſione, qua ſacrum illum piorum & literatorũ hominum cœtum proſequuntur, vbi eorum ſcholæ, quæ magno reipublicæ detrimento, bellorum ciuilium tumultu, & inter arma conticuerunt aliquantiſper, renouatæ & inſtauratæ ſunt alacrius,

cum omnium bonorum applauſu, & ingenti ſtudiorum concurſu, legem hanc ratam & æternam, atque in omne æuum valituram condere: (ne nouis identidem decretis opus foret) vt, quoniam ſupra nominatæ Societatis Rectores Profeſſoréſque non raro mutant pro imperio ſuperioris ſui, quotieſcúnque Doctor ille ſacrarum literarum, ex eo Collegio in Academiam ſemel adſcriptus, alio commigrabit, vel morbo detinebitur, vel tardante ſenio; languebit, vel alia ſuberit cauſauria excuſatio, liberum ſit illi Societati deinceps & perpetuò in locum demigrantis, vel ægri, vel emeriti, vel aliâs abſentis, vnum aliquem è ſacris Patribus ſufficere & ſubſtituere, ſiue is ſit Rector ipſius Collegij, ſiue Theologiæ Profeſſor claſſicus, modo infulis Doctoratus, & inſignibus antea exornatus fuerit, ſecundum priuas leges, quas illa Sodalitas in collatione eius gradus ſibi proprias, & peculiares vindicat; ita vt ei, qui eo modo ordinarij Profeſſoris locum obtinebit, omnibus intereſſe liceat ordinis conuentibus, omniáque obire munia, quæ Doctoris Theologi propria ſunt. Quamobrem ne huius beneficentiæ memoria vllo vnquam tempore intermoriatur, ſed quo magis Burdegalenſis Academiæ propenſa in illos Patres, pietatis & doctrinæ Anteſignanos, & veræ Eccleſiæ Chriſtianæ columina, voluntas apud omnes & poſteros teſtata vigeat, maneátque, Ex ſententia totius Ordinis, ſtatutum & decretum eſt, vt ab Amanuenſi Literario hi conficerentur Codicilli, D. Sanmartini Rectoris ſubſcriptione muniti, ſigillóque publico confirmati. Actum Burdegalæ in æde Carmelitarũ quinto Cal. Dec. anno milleſimo ſexcenteſimo quarto. Ioannes Sanmartinus

Sanmartinus Rector, & Barnage scriba Academiæ subscripti, cum sigillo in ima cera, & sericis cordulis pendentibus. Eiusdem Vniuersitatis Rector, cum in congregatione B. Mariæ Præfecturam gessisset, resciscitque in more esse positum, vt Præfectura functus Ianitoris officium exerceret, id muneris impigré gessit homo id ætatis, & dignitatis, maximáque cum voluptate & humilitatis documento. Eidem Sodalitio nomen dederunt, non modo Senatores aliquot raro exemplo, sed præterea Reuerendissimus Episcopus Vennatensis, qui quo die cooptatus est in numerum Sodalium, orationem, qua ritu solemni solent se Sodales B. Virgini dedicare, publice recitare voluit, ad eosque semel atque iterum habuit cohortationem. His exemplis adducti octoginta & amplius, quorum maior pars ex primarijs ciuibus, sese aggregarunt ad ceteros Sodales; atque omnes certatim carceres & nosocomia frequentant, neque vllam prætermittunt occasionem bene de omnibus merendi: Imo qui olim fuerant authores nostri exilij, in ijsdem castris B. Virginis militant, & animo erga nos sunt beneuolentissimo. In Missionibus Cadurcensi, Aquensi, & Liburnensi, fructus retulimus plane magnos. In Cadurcensi, tam breui tempore, exceptæ confessiones virorum, etiam primariorum, supra ducentas. Aquenses pene omnes, atque multa externorum hominum millia, præmissa confessione, Iubilæum celebrarunt; Quod alijs quoque in alijs missionibus pari fructu communicatum est. Vbique confessiones plurimæ auditæ, Resciſi abusus pernicioſi ludorum, compotationúmque. Nutantes in fide stabiles facti. Ex castris hæretico

Digitized by Google

rum ad signa Ecclesiæ reducti aliquot. Sodalitas corporis Christi ante annos ducentos erecta, cuius disciplina penitus consenuerat, reuixit; atque in integrum est restituta. Duæ item erectæ Sammacharij, vna virorum, qui ad D. Iacobi fuerant peregrinati; Altera mulierum; vtraque opera misericordiæ in pauperes exercebit, magno illorum bono, prima sub tutela sancti Iacobi; secunda sub patrocinio sanctæ Marthæ. Deniq; in missionibus huiusmodi nihil omissum est eorum, quæ nostrorum industria fieri solent; & præter alias lites compositas, aliqui sub concionem in mutuos amplexus ruentes, iniurias omnes pacatis animis sibi remiserunt.

COLLEGIVM TOLOSANVM.

ADolescens quidam diu multúmque in fide, & per varias prouincias peregrinatus, felici quodam errore in Angliam appulit; quo in portu cum plerique fidei naufragium fecerint, iste ex errorum tempestate naufragus enatauit, & in sinum fidei redijt, mira Dei prouindentia, & opera Sacerdotis Galliarum Proregis, in quem tum incidit, planè Deo duce. Ergo vbi cœpit lucem veritatis aspicere domum aduolat: parentes hæreticos hortatur, vt secum reipiscere vellent; dati sunt duo menses huic labori, quem vbi irritum esse vidit, & operam ludi, nostrorum consilio, cœpit serio de se ipse cogitare & mundo valere iusso, Carthusianis nomen dedit. E nostris discipulis octo in in nostram, duodecim in alias religiosorum

Digitized by Google

ligiosorum hominum familias sese receperunt. Extitit hic fructus præcipue ex B. Virginis vtroque Sodalitio; in quorum altero Senatores plerique numerantur, quæ res, credi vix potest, quantum momentum habeat ad alios, tanto exemplo ad pietatem permouendos. Vnus è nostris in templo maximo concionatus est, maximo cum omnium emolumento, & quod hinc sequitur totius ciuitatis pio quodam & vtili applausu. Iuuenis vnius nobilis è conuictoribus pudicitia, quam procaci impudentia, cubiculo obserato, muliercula impugnabat, etiam pollicitatione pecuniæ, expugnari nunquam potuit, insigni exemplo. Adiuti duo à dæmone obsessi. Eorum alter etiam liberatus, peccatorum confessione & communione, quorum vsu per triennium abstinuerat. Morbos aliqui expulerunt, hausta aqua, in quam prius immersa fuerat particula crucis Perüanæ sancti Thomæ. Ciuitatis impensis aula publica ædificari cœpta est, mille aureorum nummûm pretio exædificanda. Et quod toties frustra tentatum est à nobis, hoc denique anno consecuti sumus magno ciuitatis bono, vt Senatus non minus nostrum, quam Squillanum, ciuitatis esse Collegium pronunciaret.

COLLEGIVM AGINNENSE.

HVIVS vrbis Episcopus nihil omnino prætermittit eorum, in quibus bene de nobis mereri potest, & rem diuinam pariter ac nostram auget pro viribus. Nos in omnibus re-

Digitized by Google

bus operam illi & toti ciuitati ita nauauimus, vt vtrique simus maximè chari. Itum est in vicina oppida ad expugnandam hæresim, non irrito conatu. Nouem enim in viam redierunt: plerique meditantur fugam, & propediem, vt speramus, ad nos conuolabunt. Curatum præterea vt ædes sacræ, quas impietas prophanauerat hæreticorum, pietate Catholicorum restaurarentur. Frustulum Perùanæ crucis sancti Thomæ, & lentam febrim à mulieris honestæ semimortuo corpusculo, & hæresim ab vna matre filiáque depulit, quæ miraculo attonitæ, Caluinismum *in templo* nostro abiurarunt.

COLLEGIVM PETRACHORENSE.

DISPVTATIONES habitæ cum hæreticorum Antesignanis; Vna præcipue decem horarum. Cuius ille finis fuit, nostrum vt hominem, quem veritate non poterant, spe gloriæ & lucri inescarent; mille nimirum aureos obtulerunt, & primum inter Ministros (quorum eos pudebat, pigebatque) honoris locum, pretium scilicet Apostasiæ. Idem sacerdos, cum ministrum lectulo affixum, & acutissimis cholicis torminibus lancinatum non expectatus inuiseret, tanto illè terrore miser cohorruit, dolor vt omnis euanesceret, ipsomet stupore, præ rei nouitate, defixo. Multi se hæretici in Ecclesiæ castra, ductu nostrorum receperunt. Inter eos vir Nobilis, ea potissimum occasione resipuit, quòd Ministrum, sæpius prouocatum ad certamen, animaduertisset veliß

ac

ac remis fugitantem, & nihil magis reformidantem, quam eiusmodi cum nostris congressus. Sancita pax tum inter alios, tum maxime inter duos vltimo supplicio afficiendos. Moniti enimuero ne irent perditum cum corporis vita vitam immortalem, respexerunt se aliquando, & ruentes in oscula extremósque complexus, patibulum forti animo, ac propemodum hilari conscenderunt.

COLLEGIVM RVTHENENSE.

EXCVRRIMVS in circumfusa oppida, vbi & erepti sunt aliquot ex hæresis faucibus, & templa sacrilegum in modum, à Caluini mancipijs funestata, pæne iam refecta duo, alia vrgentur adhuc. Emerserunt plerique scelerum fecibus. Mulier præsertim è libidinum cœno tandem extitit, in quo se multos per annos prostituerat; eiecit omnino à se animum illum libidinosum, & modo ea est, quam pridem oportebat. Prouincia beneuolentissima paupertatem nostram comitiorum tempore, trecentis aureis nummis, quod à plurimis iam annis præstare solet, sublenandam censuit.

Digitized by Google

COLLEGIVM AVSCITANVM.

PVGNAVIMVS cum hæreticis non sine victoria; nam aliquot eorum manus dederunt, & hæresim repudiarunt. Moniales, quæ erant animo à nobis auersо, quos vt seueriſſimos magnopere reformidabant, posita inani formidine, vni è nostris conſcientiæ vulnera patefecerunt, magno ſuo bono. Cetera cum alijs communia.

COLLEGIVM LEMOVICENSE.

SANCTIMONIALES decem, Abbatiſſa duce, nouo exemplo, à quadraginta fere milliaribus ad nos venerunt, vt meditationibus B. P. Ignatij (de quibus fando mira quædam inaudierant) excolerentur; excultæ ſunt, atque, vt ſunt prouidentiæ Dei admirabiles, res eiuſmodi, quæ oculos plurimorum & animos offenſura videbatur ſua nouitate, maiorem in modum excitauit alios ad ſalutem animæ procurandam, & ipſis Monialibus profuit. Eodem ex fonte hauſerunt plerique vnde animos ſuos irrigarent, fœcundarentque: inter eos Religioſi viri duo, Sacerdotes aliquot, & Canonici cum incredibili animorum emolumento. Vnus eorum cum Societatem meditaretur, & fruſtra ſe pulſare ſentiret, votum emiſit, omnia, quæ ad ſalutem animæ pertinerent, faciendi ex noſtrorum præſcripto. Viri Nobiles

Digitized by Google

biles tres, totidemque adoleſcentes Lutheraniſmum ab animis ſuis eiecerunt. Res ſcholaſtica viget maxime. Pietatem diſcipulorum incredibiliter excitauit congregatio B. Virginis, cuius hoc anno fundamenta iacta ſunt. Eius primitiæ, & prima quaſi libamina Deo dicata fuerunt. Tres in Societatem, & alij in alios Religioſorum ordines aſciti. In oppido Treignacenſi concionatus eſt vnus è noſtris per Aduentum & Quadrageſimam: concionum hic fructus fuit. Cum antea die Natalis Domini vix, ac ne vix quidem quinquageni ad ſacram ſynaxim accederent, hoc anno ſatis conſtat acceſſiſſe ad octingentos. Curatum præterea vt iuuentuti, rudimenta fidei noſtræ die ſabbathi, à Ludimagiſtro traderentur; vt conſuetudines ſanctæ penitus obliteratæ reuiuiſcerent; vt hæretici, qui ſe viuos templis diſiungunt à nobis, etiam cœmeterio hæretico mortui vterentur, & ſeiungerentur. Caſus conſcientiæ bis per hebdomadam Sacerdotibus explicati, vt rite ſuo munere fungerentur. Puella quædam, quæ acceptum à noſtro Sacerdote agnum Dei geſtabat, cum caſu magnum in ignem decidiſſet, illæſa inde extitit, omnibus miraculo attonitis, & vim cereæ imaginis magnopere laudantibus. Hæretici quatuor animos ſuos lachrymis & confeſſione, libros hæreticos flammis expurgarunt.

DOMVS

DOMVS PROBATIONIS AQVITANIÆ.

OMNIVM qui tyrocinium posuerunt hoc anno, magna profecto alacritas & ardor extitit. Currentibus stimulos addiderunt iuuenes aliquot, qui magno animo per calcatum mundū, ad Christi vexillum euolarunt. Primus fuit annorum octodecim, spes vnica matris viduæ, quæ cum filio, ægre illa quidem, sed feciſſet tamen facultatem ad nos adeundi; mox facti pœnitens, & facilitati suæ subirata, mandat adolescentem in itinere comprehendi: sistitur ante iudicem hæreticum, hic (Deo sic omnia suauiter regente) ad primum Præsidem Senatus Tolosani eum destinat, à quo decretum est, vt mense integro in sequestri cuiusdam ædibus maneret, constantiæ suæ & vocationis periculum facturus, donec mater aduentaret; femina aduolat, filium blanditijs oppugnatura. Dati sunt dies aliquot huic certamini, neque vllam machinam, aut pietatis arietē omisit mater, quo non animum iuuenis pulsauerit, sed circumuallauerat militem suum Deus, & extra teli iactum constituerat, adeo vt victa mater cesserit aliquando Deo, & victor adolescens spoliis onustus constantiæ suæ, domum nostram commigrarit. Alter cum fluctuanti esset animo, & surda aure Dei voces se vocantis exciperet, in die conuersionis sancti Pauli, audiit ex Euangelio, quasi ex aliquo cœlo, Christum iterum inclamantem. Vos qui reliquistis omnia &c. qua ille voce excitatus (Paulum aliquem aut Antonium

Digitized by Google

nium crederes) omnibus rebus posthabitis statuit Deo se apud nos penitus deuouere. Tertius domi nostræ, cum, præsente socio tyrocinij sui, patrem suum lachrymantem animo infracto alloqueretur, sensit socij animum illis lachrymis, quæ ad eum nihil attinebant, emolliri, & propemodum frangi, ita vt retro respicere videretur: tum noster magnos spiritus sumens, & sine dubio Deo intus inflammante, socij teneritudinem castigare verbis, & inanes patris lachrymas reprimere cœpit; vt & parenti silentium imposuerit attonito, & tantum animi robur admiranti, & socio exemplum dederit perseuerantiæ singulare. Expertus etiam alter vim diuinæ vocationis, hærebat iampridem anceps animi, atque, vt Religiosus esse vellet, in tanta ordinum varietate, quem cui anteferret, non inueniebat: in nostro duo displicebant; hinc occasiones frequentissimæ gloriæ inanis, & vanitatis aucupandæ; inde officia humilitatis. Adit ad Religiosos homines omnium ordinum, eos vt olfacere posset, & expiscari aliquid, quod esset è re sua; sinum, vt fit, laxabat pro se quisque adolescenti, & ad se pellicere conabatur. Denique secum ipse reputans, quam simile esset vitæ nostræ genus, Christi & Apostolorum viuendi rationi, eum in finem cum sæpe ad sacram synaxim accessisset, semel dum ardentius rem totam Deo, prostratus ante sanctissimum sacramentum commendat, visus est sibi audire quendam in penetralibus cordis intonantem, IESVITA, IESVITA: accipit oraculum; feruere incipit maiorem in modum; it recta ad patrem, cui vnicum erat solamen senectutis, ab eo vt licentiam exoret Deum vocantem sequendi

Dum

Dum cunctatur mandata exequi, timore deterritus in febrim incidit, quam ille pœnam tarditatis interpretatus, statuit, vbi primum conualuerit, rem totam exponere patri; mirum dictu! illico consanescit; Aperit parenti animum; Hic enimuero versare iuuenem incipit omnem in partem; circumueniunt inermem militè parentes, amicique vniuersi; obtunditur vndique, hinc lachrymis; hinc minis per mensem integrum: vbi omnes aditus clausos videt, sumit à desperatione consilium; rem ad tempus dissimulat; alia omnia in animo, in ore habere; animum eum omnem Religionis abiecisse à se existimabant; ad studia eum sua conficienda mittunt, mire securi, vt sibi quidem videbantur. Ceterum iuuenis, vbi iugum, exuit importunæ affinitatis, Christi iugum subijt, volens, ac libens, magna cum omnium gratulatione.

PROVINCIA FRANCIÆ.

RESTITVTA in Galliam Societate nostra summo Dei beneficio, & Regis Christianissimi benignitate ac beneuolentia, qua nostrũ ordinem complecti mirifice cœpit; nouam hoc anno specim habire visa est hæc Franciæ Prouincia, quatuor aucta Collegijs, & domo insuper professa. Numerauit itáque in domicilijs omnino decem, socios ducentos septuaginta octo. Morte sublati tres: admissi quadraginta.

DOMVS

Digitized by Google

DOMVS PROFESSORVM PARISIENSIS.

CVM Christianissimo Regi Henrico quarto Societatem nostram, suis in Gallia sedibus restituere placuisset, edictum, quod eam in rem Rothomagi mense Septembri, anni superioris millesimi sexcentesimi tertij, scribi iusserat, continuo ab omnibus supremis Senatorum curijs recognitum, receptum, ac promulgatum est; à sola Parisiensi dilatum est aliquantulum, ac reluctatum: sed huius anni tandem Ianuario mense, die secundo, Rege instante atque vrgente, decretum in eandem sententiam fecit: qua in re, tanta Principis optimi prudentia, & sapientia in nobis defendendis, aduersarijs refellendis eluxit, vt principes, ac senatores in sui admirationem, stuporémque traduxerit; sic, vt negarent posse quemquam ex nostris, qui institutum Societatis penitus nosset, quiue eius defensionem diu meditatus esset, accuratius aduersariorum nostrorum argumenta refutare. Quid illud? cum ab ijs, qui interfuerant, admonitus P. Petrus Cotonus, eius pedibus aduolutus, nomine Societatis gratias eius Maiestati ageret, plura se præstiturum nostra causa respondit, ac patronum, protectorémque nostrum futurum, sedulam modo fidelémque operam ejus obsequio nauaremus. Gerebantur hæc maxime, summo, vt existimare par est, capitalis hominũ hostis, vel dolore, vel metu, cũ ecce tibi, illo instigante, die decimo tertio eiusdé mensis P. Cotonus domum

domum primis tenebris rediens, ab ignoto iuue-
ne gladio vlneratur. Is, ne quid fruſtra auderet,
neue certa audacia parum certum vulnus infer-
ret, caput in rhedam, antè, qua pater cum ſocio
vehebatur, exploraturus immiſerat; deſtinato
ictu reducit ſe poſt rhedam, & quod illa eius parte
pater conſiderat, ferro per eam adacto, patri à
tergo mucronem in collum, & guttur immergit.
Atrox facinus medio in Regiæ vrbis ſinu, ſed cu-
ius authorem fuga & tenebræ texerunt, Patre
multum ſanguinem, crudum ob vulnus eiectan-
te. Et occiderat, niſi, quæ Dei benignitas *fuit*,
ſaluis ad miraculum & venis, & arterijs, tutò in-
ter eas perlapſus enſis, viam inueniſſet, plaga lu-
culenta magis quàm lethifera. Exciuit hæc res,
ſtatim atque in Regia de ea eſt auditum, Regis ac
procerum ſtudia; adeo prolixe & vehementer, vt,
cum vndatim domum ad noſtros à primarijs viris
ſolatij cauſſa adiretur, Rex ipſe veritus ne denſa
illa interpellantiũ turba, vulneri importuna eſſet,
ſuam, ne quis temere, vel importune adiret, au-
thoritatem interponendam eſſe cenſuerit; ipſe
Regios à ſe, Reginaque coniuge, pari ſtudio de
noſtri hominis ſalute laborante, Medicos, Chi-
rurgos, pharmacopolas ſubmiſerit. Parum id vi-
ſum: Etiam illud Regiæ munificentiæ ab vtroque
eſt additum; donec Medicorum ea res eſſet, Re-
gijs ille vt medicamentis Regiorum medicorum
manu curaretur, cibi quotidie illi ab Regis, aut
Reginę menſa inferrentur; neque alijs vero, quod
regi obtemperandum erat, interea eſt vſus. Dice-
rem quanta omnium cœtuum, ac Collegiorum,
Sacrorum, profanorum laboranti in re, beneuo-
lentia in eum extitit, niſi iſtam omnem animi
vim

vim superasset Regis in ipsum paterna caritas, cum diceret, se quidem illius vulnere dolere amicè, & familiariter; At in hoc mœrore animi, sibi id solatio esse, quod materiam nactus erat testificandi amoris in eum sui, & quod ea res ipsa, quæ nostri odio ab inimicis conflata erat; occasionem tanti ardoris in Sacerdotem nostrum omnibus ordinibus præse ferendi attulerat. Nec diu hostis conatu suo lætatus est; vulnus regia ac Medicorum ope octiduo sanatum; Pater pristinæ valetudini, Regi, regno, religioni, concionibus est redditus, magna nimirum bonorum lætitia, mœstitia improborum. Concionatus est idem pater quadragesimæ tempore, in aula regij palatij coram Rege, ac Regina, magno omnium aulicorum concursu; alijsque anni temporibus, in diuersis vrbis templis, quorum Rectores certatim à Rege, vt apud suos concionaretur, impetrarant. Sed cum frequentibus illorum precibus satisfacere vnus non posset, Rex aduocari P. Ioannem Gonterium iussit, sibi ex eo cognitum, quod coram amita ipsius Eleonora Borbonia, fontis Ebradij Abbatissa, per aliquot mẽses conciones habuerat. Is cum in vna ex nobilioribus parœcijs, verba ad populum frequenter faceret, multos in fide confirmauit, ab errore alios ad iter salutis conuertit, & incredibilem Ciuium in nostrum ordinem amorem, ac fauorem excitauit. Ergo hi Patres spectati iam abunde, & cogniti, cum aliquot è nostris præterea, qui in conducta domo Regiæ vicina habitabant; Regis permissu, ac sub D. Ioannis Baptistę festum, retulerunt se in antiquam professæ Societatis nostræ domum, quam ante annos amplius viginti, Regis patruus, magnus ille Cardinalis

nalis Carolus Borbonius nobis in hac vrbe collocarat. Ei ornandæ, vt sacram supellectilem nostri nouam comparare, templi pauimentum quadro lapide absoluere, reliqua, quæ opus essent, ornamenta coëmere possent, non exiguam pecuniæ vim illis Christianissimus Rex, nostrique ordinis amantissimus, numerari iussit. Quod exemplum secuti nonnulli ciues, alijque viri primarij, suis illam sacris donarijs auxerunt; neque defuerunt ædium sacrarum præfecti nonnulli, qui sacras vestes nobis olim ereptas, & in aliorum templorum vsum distributas, nobis perhumaniter restituerunt. Fuit & priuata domus supellex, & omne domesticum instrumentum, ex collatis vltro eleemosynis comparandum: quas multo etiam quàm olim copiosius, ac liberalius Parisienses congesserunt, ac tanto impensius, quo ægrius antea se nostrorum subsidio, & salubri opera caruisse multis annis meminerant. Hoc eodem anno, exeunte Aprili mense, aliud Senatus consultum à Curiæ patribus obtinuimus, quo in integrum restituti sumus, omniumque redituum, ac bonorum mobilium simul, & immobilium possessio nobis est reddita, quæcumque à Magistratu in alios vsus non conuersa fuisse constabat: Ex quo tempore cœpimus & Collegij Claromontani, & aliorum Regni Collegiorum reditus colligere, qui ex publico Parisiensis vrbis censu numerari solebant. Numerus eorum qui domum hanc Professorum incoluerunt, vt diuersus fuit, ita vltra sexdecim, vel octodecim non excreuit. Templum cuius sarta tecta nonnihil instaurata sunt, noua altarium consecratione, noua benedictione pristino nitori restitutum est, sacris operante Reuerendissimo Syluanectensi

Syluanectensi Episcopo, viro de toto ordine nostro bene merito, atque in illum optime affecto. Celebratum est deinde mense Augusto magno omnium concursu, festum B. Ludouici (cuius in patrocinio, ac tutela templum nostrum est) sacros hymnos concinentibus Regij utriusque sacelli Musicis, ac symphoniacis pueris, Principis ipsius mandato, qui & in templum ipse cum Regina religiose adijt, & solemnem Calendis Ianuarijs in nostris ædibus indulgentiam pie promereri studuit. Caruit post vrbe mensibus aliquot, ad quam reuersus, vnà ad publicam sui in nos animi testificationem rediit. Omnes è nostris, qui Lutetia iter habebant, & ad alia Collegia proficiscebantur, deduci ad se, sibi ad aspectum congressumque sisti voluit, quos varijs de rebus pro sua quemque professione interrogans, vt in instituto cursu pergerent, suasque sedulo partes obirent, hortabatur. Et vero quosdam, de nonnullis conuersis hæreticis verba facientes libenter audiuit, nec vllo iucundiori suas aures acroamate fuit oblectari, quàm si quis nobilem virum, aut insignem aliquam personam ab hæresis laqueis expeditam renunciaret, atque ab errore ad meliorem mentem, voluntatemque esse traductam. Scriptis autem libris, & concionibus assiduis, placidisque congressibus allici potius optat, quàm vi, aut armis adigi, vllaue sermonum acerbitate ad Catholicam fidem hæreticos compelli, quem ad agendi morem cum nostros, tum aliorum Theologos ordinum excitauit: neque cessat eximiæ suæ beneuolentiæ signa in nostram Societatem exhibere, quam nunc cognitam tanto vehementius amat, quanto actius incognitam sibi, & calumnia-

torum figmentis traductam olim auersati videbatur. Nuper etiam cùm frequenter audiendi sacri causſa, noſtrum in templum ventitaret, protectorem ſe nobis fore ac vindicem, contra omnium aduerſariorum impetus, non ſemel profeſſus eſt. quod re ipſa præſtitit, cum ipſo omnium Sanctorum feſto die vicinus parochus ſub ipſa re diuina, in ſacram ædem noſtram turbulentior irrupiſſet, & populum à ſacra Communione à noſtris ſacerdotibus percipienda prohibuiſſet. Quod permoleſtum ſibi ac peracerbum fuiſſe Rex humaniſſimus confirmauit, ſimulque *Epiſcopo* Pariſienſi grauiter mandauit, vti *huiuſmodi* impedimenta ſtudioſe amoueret, caueretque, ne quid incommodi, noſtri paterentur. Cum iter in Galliam haberent Luſitani quidam Patres noſtri, refertam odoribus ex India aduectis arculam perhumaniter accepit ab illis oblatam, laudatumque munus ad Reginam ſtatim miſit, & quanto amore Religioſos Societatis noſtræ ex omnibus nationibus conflatæ complecteretur, palam teſtatus eſt. Si quem videat, audiatue de noſtrorum fama detrahentem, enimuero vt in noſtram ſe familiaritatem inſinuet, cohortatur: Noris illos, inquit, eos cognitos non amare non poteris; Nam ſimul atque te in eorum conſuetudinem immiſeris, & has peruerſas opiniones exues, & odium in ſtudium, amoremque conuertes. Conuerſi hæretici amplius duodecim, reconciliati inter ſe, & nobis infenſiſſimi non pauci

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM MVSSIPONTANVM.

E nostris habitarunt hic, ad mensem quidem Septembrem, octoginta tres; deinceps septuaginta duo: quod ad antiqua Collegia varie in Prouincia restituenda, & noua inchoanda, emissi sint ex hoc Collegio non pauci. Ex Collegij auditoribus, decem admissi sunt; ex alijs, Coadiutores tres. Obijt in Domino, sexto Aprilis, P. Thomas Darbisphirus, professus quatuor votorum, annis plenus, & meritis. Vixit annos fere nonaginta quinque, vir placidus, & comis, natione Anglus; in Anglia olim Episcopi Londinensis nepos, pro Catholica fide, primis Elizabethæ Reginæ temporibus, in carcere habitus, miraculo, (quod compertum postea est) in ipso carceris tædio, à Domino confirmatus imaginis obiectu, Christi sanguine manantis, quæ ex intimis ædibus primarij ciuis, ad quem nonnulla carcerum cura spectabat, aliarum è numero diuinitus derepta, subito ad hæretici carceris parietem fixa emicuit. Carcere solutus cum ex Anglia, atque ex vestigantium manibus lepido vestitu, & artificio elapsus, iam in Belgio ad Religiosi instituti deliberationem animum adijceret, nutarétque inter Carthusienſium ordinem, & nostrum, diuino monitu ad Societatem inclinauit. Nam oranti illi, vir clausis cubiculi foribus, tamen astans, atque colloquens, tu quidem, inquit, Carthusianus si eris, saluti tuæ consules; sed vbi futurus est proximus? simulque cum ea voce, excussa

Digitized by Google

omnis deliberatio est. Complexus est hominem Societatis candidatum, atque in eam recepit bonæ memoriæ R. P. Laynes, tum cum Tridenti ageret, à quo Romam ad probationem submissus, inde reliqua vita in Germania, Gallia, Lotharingia, magnæ sanctitatis laude versatus, multum & nostris, & externis profuit: Nostris Magister Nouitiorum, domesticus confessarius, & rerum spiritualium præfectus: Externis, nostrisque, partim doctrina Christiana, cuius tradendæ munere sic eminebat, vt non iuuentus solum iucundissime eo Doctore, ac libentissime vteretur, magno cum fructu, sed nobiles Theologi Catecheticas lectiones eius, scripto exciperent publice; partim exercitijs spiritualibus scite tradendis, partim egregia spirituum discretione; partim denique familiari colloquio, & comi, & prudente, quod diuinis laudibus, pijque animi sensu aspersum pietatem colloquentibus afflaret: fuitque dum in viuis fuit, vbicumque potuit, Parisijs præsertim ac Rhemis, Anglorum pro Catholica fide exulantium singulare & præsidium, & solatium. Rhemis dici vix potest, quam bonus odor Societatis fuerit. Illud interea simile miraculi fuit, quod pernicioli malo tibiam occupante, quo tempore medicorum de tibia secanda denuntiatio expectabatur, precibus periculum depulit, quibus se geminis Apostolis, quorum tum solennis dies agebatur, ad subsidium commendarat: signis melioribus medicos ad mitiorem sententiam de seueriore illa deducentibus. Viginti sex hoc anno apud nos in exercitijs habiti; in ijs viri sacra & profana nobilitate illustres; interque eos, Prouincialis præpositus vnus Religiosorum hominum ampliſſimi, & vetustissimi

vetustissimi ordinis. Auditores in classibus nostris mille quadringenti numerantur. Acta vicesima secunda Nouembris Iuliani Tragœdia non sine apparatu. Præmia diligentioribus de more distributa munificentia Baronis de Molembay, qui illustrissimi in Belgio comitis de Solre filius honorificum sibi putauit esse, quo in collegio annos aliquot literis institutus esset, in eo literarum cultores præmijs ornare.

COLLEGIVM VIRDVNENSE.

Habvit hoc anno Collegium hoc Socios fere viginti quatuor, muneribus diligenter & vtiliter occupatos. magnus confitentiũ & communicantiũ numerus: instituti ad Baptismũ Turcæ duo: restituti Ecclesiæ nonnulli: multorum sublatis, extinctisque odijs reconciliata gratia. Puella, cui occasione mœroris cuiusdam, dæmon Æthiopis forma laqueum porrexerat, salubri nostrorum consilio leuata est. Spiritualibus exercitijs exculti, in celebri quodam monasterio, Religiosi omnes, magno cum fructu. Decessit hoc anno P. Heruæus Toruncius huius Collegij rector, annos natus vndequadraginta, quorum in Societate viginti quatuor posuerat: decem minimum in hoc Collegio, casibus conscientiæ exponendis: magnum virtutis exemplum nostris, magnum sui desiderium externis reliquit. Erat enim vir apprime versatus in tractandis hominum mentibus, ea sermonis hilaritate in congressu, morumque suauitate, quæ facile omnium animos ad se attrahe-

Digitized by Google

ret. Exitus vitæ confimilis fuit. Discessit à suis singulorum manus exosculatus, qui pedes non poterat. Obiit aliquot post mensibus, P. Furcæus Fremicurtius, cuius hoc insigne humilitatis argumentum, quod à superiore sæpius magnis precibus flagitauit, se vt in pauimento, vel certe in stramine, pateretur emori, identidem hoc repetens, se nulla re alia dignum esse, quam vt defuncti corpus, vt pote miserrimi peccatoris, in cloacam proijceretur.

COLLEGIVM BITVRICENSE.

HOc tandem anno Societas postliminio reuersa, quam Bituricensium charitatem in ipso discessu perspexerat, rursus experta est, nisi potius ardentiorem demirata. Vt enim abeuntes nostros, omnes omnium ordinum deflenerant; plerique munusculis beneuolentiæ testibus ornarant, nonnulli & ad multa passuum millia prosecuti fuerant, ac illustrissimus ipse nobilissimúsque vir D. Castræus Franciæ polemarchus fecialem curarat, qui tutos deduceret. Absentibus porro villæ, ædes, sacra supellex, bibliotheca conseruatæ: sic reditum omnes mirifice expetierunt: clarissimi viri à Christianissimo Rege, altero nostræ Societatis parente, magnis sumptibus, ac molestijs, vel itinerum, vel curarum impetrauerunt; impetratum authoritate sua texit idem, qui conseruauerat, Illustrissimus Polemarchus, & amplius vicenis passuum millibus ex composito Biturigas aduenit, vt nos ex Regis edicto restitueret; vna

ad

Digitized by Google

adfuit ingens nobilium numerus, etiam eorum, inter quos graues, diuturnæque simultates exarserant, vt idem dies nobilissimas familias nouæ necessitudinis vinculo coniunxerit, qui nos reddidit ciuitati. Ciuitas ad extremum non modo pristinos Collegij reditus magna accessione cumulauit, sed etiam insignem pecuniæ vim ad instaurationem ipsius, & domesticæ supellectilis attribuit.

COLLEGIVM DOLANVM.

LAXATVM spatium ædibus centum quinquaginta pedum; erecta porticus: templi etiam propylęum, ex porphyretico marmore: & ad supellectilem sacram nonnihil accessit. Ex quatuor B. Virginis Sodalitijs vltimum (quod hominum est rudium & imperitorum) singulari pietate excellit. Exempla huius pietatis sunto: Vnus ex his, cum quicquid domi habebat, domum insuper ipsam flagrantem incendio, ex agro reuersus, fortuito offendisset, non modo moderate tulit, sed in genua procidens, sancti Iobi memor, in hęc verba prorupit: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictũ, tanta cum animi constantia, vt qui tum misero, & miserando aderant spectaculo, singularem in deploratis rebus patientiam mirati, non dubitarent calamitosi huius virtutem, ditiorum fortunis anteferre: sed nec tantum suos Deus immortalis tanquam aurum in fornace igne tentat, miscet interdum amaris dulcia. Itaque de hac imperita, sed grata

Digitized by Google

tamen Deoque chara multitudine, vnus ardentissima febri iactatus, cum aliquot dies iacuisset, festoque die horas recensendo, eam in animo designasset, qua coguntur, & in sacellum conueniunt Sodales, sic morbum fugauit: Egone, inquit, cæteris coëuntibus decumbam, & hic ociabor iners? Surrexit impiger, & (dictu mirum) ex tam molesta, & incommoda valetudine alacriter emersit, abijtque illico Deiparæ, Sociorum in conspectu, gratiam habiturus. Iam tertius eiusdem cœli Reginæ cliens, nec minus strenuus, cum Christi natalis peruigilio, intempesta nocte, sacris operanti sacerdoti adfuisset, sesequedomum recepisset, vbi die illucescente quibusdam se carnis stimulis agitatum comperit; experrectus, & salutaris cibi sumptione reiecta in crastinum, vrbe egressus, positisque vestibus, sese in niues (quarum magna esse solet post hybernum solstitium copia) immergere non dubitauit: vt si quid voluptatis inuito suisceperat animo, tam vrentis frigoris dolore libenter suscepto tandem castigaretur. Hæretici duo ad rectam fidem adducti; sacris exercitationibus quidam exculti. Inter multos quidem, sed præcipue inter fratres duos acerbissima sedata odia. Diaboli periculosæ artes detectæ, ac disiectæ nonnunquam. Pia matrona, cui infans filius sexto ab ortu die sacris fontibus expiatus, immatura morte fuerat abreptus, ignoto, vt autumabat, peregrino, iam multos annos, tum vestem, tum pecunias erogabat, eo nomine, vt pro defuncto puero (quem is in purgantibus flammis torqueri confirmabat) Romæ sacra fierent, sed esse dæmonem edocta est, tum quo excludendus esset modo importunus

ille

Digitized by Google

ille hoſpes vbi accepit, de filij ſalute reddita eſt ſecurior. Alius quidam adpleſcens cum ſcrinia quædam,& ſecretiores capſas ad nummos furto ſurripiendos eſſet reſeraturus, nec idonea ſatis ad facinus ſuppeterent inſtrumenta, ſtatuerat omnino, ſi vel dæmon ipſe porrigeret, accipere; dictum, factum: ecce tibi in manus veniunt, quæ ante deſiderabantur, ſed vbi ſceleris hominem pœnituit, quæ vltro tradita in manus venerant, viſa deinceps non ſunt.

COLLEGIVM VEZVNTIONENSE.

IN Collegij ędificationem,& ornatum,cæteroſque vſus varia à diuerſis collata. Reuerendiſſimi& Illuſtriſſimi Archiepiſcopi in nos extat beneuolentia, qui à R. P. Prouinciali obtinuit, vt aliquod è noſtris Diœceſim ſuam cum R. Suffraganeo viſitarent,quod quidem centum triginta iam annis neglectum fuerat, & nunc primum varijs tandem ſuperatis difficultatibus inchoatum. Baro quidam plurimis mortiferiſque vulneribus affectus, cum aliquot ſuperuixiſſet dies, ſæpius à nobis Sacramento pœnitentiæ munitus, ſæpe ſolemniter percuſſori, noſtrorum impulſu, veniâ datâ, & à ſuis in eius gratiam obnixe poſtulatâ, noſtris, quos viuus dilexerat, moriendo minime obliuioni traditis, in noſtrorum manibus, quod vehementer flagitarat, exceſſit è viuis. Tertio Ianuarij tres Sodales virginis Aſſumptę,dum pietatis ca uſſâ, carcere detentos inuiſerent, falſo accuſati, quaſi facinoroſo cuidam viam aufugiendi aperuiſſent,

Digitized by Google

aperuissent, in carcerem coniecti sunt; in quo octo fuerunt dies, tanta cum animi lætitia, & desiderio patiendi pro Christo, vt qui eos viserent, maxime mirarentur: Cognita autem eorum innocentia, magna cum admiratione populi, qui putabat grauissimis pœnis eos afficiendos, liberati sunt; quod totum tribuunt B. Virgini, cui se totos deuouerant. Mense februario textor quidam, eiusdem Congregationis, in periculosissimum morbum incidit, & humorum vniuersas corporis partes permeantium tanta vis fuit, earum vt vsu nouem aut decem dies destitutus omnino remanserit. Inuisit eum alius Sodalis, quem idem infirmus rogauit, vt patrem Sodalitatis de suo morbo commonefaceret, peteretque vt se Sodalium omnium precibus commendaret: quo dicto tantam fiduciam in B. Virgine, precibusque Sodalium posuit, vt melius habere cœperit; & quo tempore pro eo fusæ sunt preces in congregatione, eodem ei omnino restituta sit sanitas. Redit mater è concione, & quem reliquerat ægrum, & in lecto iacentem, videns solum domi inambulantem, valde attonita, vnde Iesu bone, tam subita sanitas? Sodales mei, respondit, orarunt pro me in congregatione: deinceps autem optime valuit. Confessus est publice in ipsa congregatione, se non aliter, quam precibus B. Virginis, & Sodalium impetrasse sanitatem. Missiones ex hoc Collegio, Aduentus & Quadragesimæ temporibus duæ fuerunt, quæ Vesulum, Baliuamque insignia oppida excoluerunt, insigni fructu. In Vesulensi præter cætera hoc contigit: vxor aduocati Regij prægnans ita periclitabatur, vt propter euidens periculũ perituri fœtus ferro cædenda

cædenda à medicis iudicaretur. Adhibito noſtrorum labore, applicatiſque SS. Reliquijs fœtus quadrimeſtris (qui fractis vinculis ad vteri ima defluxerat) attonitis admiratione medicis ſenſim in priſtinã ſedem reſtitutus, ſigna vitæ edidit, & mater ſemimortua vigorem reſumpſit. Tertia quoq; miſſio Mandubium verſus. Id nomẽ oppidi eſt vrbis antiquiſſimæ, æque & nobiliſſimę veſtigijs nobilitati. Nam antiquiſſimorum Romanorum numiſmata ſparſim in agris quàm plurima reperiuntur: æ diculæ marmoreæ: elogijs tituliſque inſignes arces: ædes ad tria quatuorue milliaria, ſed omnino dirutæ, terraque obrutæ, ſi quædam arcis monimenta excipias. Locus denique eſt vnde Romani Imperij Principis nomen Biſuntinus Archiepiſcopus obtinet: ſed diſpar eſt incolarum ingenium, diſpar Religio, cum ſit Mombeliaco (ea vrbs eſt Lutheranis, & Caluiniſtis referta) vicinus, immo principatus partem vi ſibi Lutheranus in eo princeps vſurpet dux Vittembergenſis. Hic multa ad Dei gloriam magno Catholicorum gaudio, hæreticorum confuſione geſta ſunt, quæ longum eſſet omnia percenſere. Quædam etiam excurſiones ad alia loca valde vtiles fuere. Deo inſpirante ſacerdos noſter promiſerat cuidem inſigni viro, inimicitias multos iam annos gerenti cum ciue altero, ſi redirent mutuo in gratiam, fore vt vxor eius prægnans fœtum ederet optatiſſimum, antè enim multos ediderat emortuos. Ita factum Dei beneficio, vt pacificatione per noſtrum facta, pareret illa fœliciter.

COLLE-

COLLEGIVM ROTHOMAGENSE.

RESTITVTVM est Collegium Rothomagense, singulari Regis optimi liberalitate, qui iudicauit operam Societatis ei vrbi esse necessariam, quæ vt est amplissimæ ditionis Normanicæ facile princeps, ita grauissimè & periculosissimè laborat hæresis morbo. Collegij negotia sereniſſimo principi, Duci Monpensierio, cognato suo ad Comitia Normanica proficiscenti, singularibus verbis commendauit: literis etiam datis ad ciues instituit, vt nobis non deesſent: ita Dei beneficio factum est, vt senatus ceterique ciuitatis ordines certatim in Collegij restaurationem conspirarent. Collectis aliquot aureorũ millibus scholas & nostrorũ domicilia partim restituimus, partim propediẽ restituemus. Interim septemdecim de Societate hic agimus, in ijs vndecim sacerdotes. Hæresim plures abiurarunt; nutantes in fide confirmati sũt; interminati sunt in suo conuentu verbis grauissimis hæretici, ne quis de suis ad nos veniret, aut liberos venire sineret; scholas etiã vicinas huic vrbi aperuerũt, sed conatus eorum sensim dilabitur, & ad nos parẽtes hæretici liberos suos aliquot miserunt. Sex humaniorum literarũ classes aperuimus; item Philosophię vnam; & vnã casuum conscientiæ; in his fere mille octingenti numerãtur scholastici, nobiles in ijs plurimi; sacerdotes bene multi, iuuentus lectissima, & ex qua magnos virtutũ fructus sperare diuina bonitas iubet. Scholarũ angustijs excluſi fere quadringenti magno suo dolore.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM FLEXIENSE.

FLEXIA est Galliæ oppidum in Ducatu Andegauensi, Flexiensis Baroniatus caput, natiuum Henrici quarti, Christianissimi Regis Gallię, patrimonium. In ea Rex cum Societatem nostram in Galliam postliminio restituisset, statuit amplissimam Nostris Academiam instituere, regiaque munificentia perpetuis reditibus stabilire atque vt testatissimam suæ in nos beneuolentiæ significationem daret, voluit sedem Collegij nostri suam esse paternam domum, non artificio tantum operis, & magnificentia, sed multo etiam magis Regis ipsius satu, & educatione visendam, quam iam annum & amplius, nouemdecim de nostris circiter incolimus. Docemus scholis nouem; quatuor Grammaticæ (geminata quippe ob discipulorum multitudinem tertia) vna humanitatis, altera Rhetoricæ; philosophiæ duabus; Theologiæ moralis vnâ. Conflatus discipulorum numerus accedit ad mille ducentos, ex quibus multi sunt ex præcipua nobilitate regni Galliæ, in ijsque aliquot ab ipso Rege huc missi ad omnem virtutis, & disciplinæ laudem informandi. De hac iuuentute certe vniuersim loquendo, verè dici potest, eam esse lectissimam, tractabilem, facilem ad accipiendos fatus pietatis & literarum, quæ nunc floret omni exercitatione ingenuâ disciplinæ humanioris. Excepti sunt ab ea varijs dramatis primores Galliæ; in ijs semel & iterum Dominus Delauarenus, vir diuturna consuetudine

suetudine & eximijs in vtraque fortuna in Regem officijs, Regi apprime carus, quo in restituenda in Galliam Societate, maximeque hoc constituendo Collegio etiamnum vtitur. Cumque accepisset filium Mareschali vnius Galliæ, qui tum in Regiâ versabatur, flexiæ præmio donatum esse, misit illico certum hominem, qui id suis verbis significaret, & gratularetur parenti: credi vix queat, quam aueat Princeps humanissimus audire de rebus sui Collegij, quàm sæpe de eo comiterque percontetur: catalogos librorum, qui *hic* exponuntur; theses philosophicas; *synopses Dramatum*, quæ hic habentur, excepit cum magna voluptatis significatione, interdum etiam tanquam res sibi charissimas in intimo suo conclaui seruat. At non literis modo, verum etiam spiritualibus Societatis muneribus, concionibus præsertim habendis Quadragesimæ temporibus domi, foriſque, catecheticis puerorum institutionibus, Confessionibus, & cæteris huiusmodi vacatum est diligenter.

COLLEGIVM RHEDONENSE.

SOCIETAS dudum non solum ab Armoricis petita, verum etiam summis votis expetita, hoc demum anno Rhedonis (ea est ciuitas totius Prouinciæ caput) sedem fixit, scholasque tres aperuit: idque eo ciuium concursu, ea senatus beneuolentia, ea Discipulorum frequentia, vt vel maior à Societate sperari, vel ab illis præstari nullo modo potuerit. Nam cum pridie illius diei

Reuerendissimus.

Digitized by Google

Reuerendissimus Antistes ad Collegium solemni ritu, atque ordine cum clero vniuerso, summisque curiæ Patribus, nec non vrbis Magistratu conuenisset, in sacello nostro sacris ea pompa operatus est, qua pontifices solent. Confluxit ad solemnitatem vndequaque populus, qua per hortos, qua per vicinas ædes, qua demum spes aditus sese aperire videbatur. Omnium in frontibus beneuolum animum; in gestu lætitiam; in voce, ac verbis congratulationem legisses. Quam quidem testatiorem fecerunt, dum cœlo pluuio, atque aëre frigidiore, ita pertinaciter ipsis externis sacelli parietibus affixi, pendentesque hæserunt, vt non prius ea beneuolentiæ significatio, quam tremendum mysterium, finem habuerit Matutini temporis, pompam dicam an pietatem? excepit panegyricus Regi Christianissimo, Henrico quarto, Societatis in Francia non tàm restauratori, quam parenti optimo dictus; Magno item Ciuitatis, atq; in primis senatorij ordinis, concursu & approbatione. Mira est nationis huius in Societatem beneuolentia, comitas, mirum denique in rebus, quæ ad eam pertinent, promouendis studium. Nominatim autem clerus, vt quam de nobis animo concepisset opinionem, clarius testaretur, ter mille & quadringentos circiter aureos Collegio stabiliendo liberaliter contulit. Numerat gymnasium nostrũ in tribus humaniotis literaturæ classibus scholasticos circiter nongentos; inter eos, nobiles quam plurimos, plures numeraturum, si capere posset. Ex Religiosis familijs vix est vlla, quæ nobis alumnos suos Societatis opera informandos non commiserit.

DOMVS

Digitized by Google

DOMVS PROBATIONIS NANCEIANA.

HABET hæc domus veteranos septem, Tyrones vnum supra quadraginta, numerum longe ampliorem habitura, si tecti angustiæ paterentur. Ex nouitijs vnius constantia probata, magna ciuitatis Rhemensis adhibita contentione, vt eum ad depositum scholasticici & concionatoris munus reuocaret, quod impetrare tamen non potuit: duo nouitij admodum adolescentes, ad vrbem Niuernensem, in qua nobis olim sedes fuerat, appulerunt eo consilio, vt cibarijs aliquot precariò collectis, ex vrbe postmodum egrederentur: Ecce tibi de eorum aduentu Magistratus certiores facti coniunctis animis, ad peregrinos aduolant, eos solemni epulo ex vrbis ærario de communi sententia extructo, quàm magnificentissime excipiunt, non minore collegij à se distracti dolore affecti, quàm eiusdem restaurationis desiderio flagrantes. Neque vero beneficus eorum animus intra vrbis mœnia se continuit, etiam ex vrbe processit foras: conducunt hominem, qui portis excedentes ad multa milliaria deducat, diuersorijs data pecunia satisfaciat; denique missos factos aureis duobus numeratis, in reliqui itineris confectionem donet. Magnum etiam hæc domus fructum ex doctrina Christiana, & concionibus tum in ciuitate, tum alijs in locis, consequuta est: maxime vero sacri ieiunij tempore in pagis septemdecim. Quidam inani spectro offensus, dæmonem sibi semper obuersa-

ri

ri putabat, qui ei neque diurnæ, neque nocturnæ quietis horam vllam impertiebatur; coniux de viri sui calamitate laborans, ad ædes nostras eum adducit. Vni de nostris datur negotium, qui hominem ad eluendas animi maculas adhortatus, Agnum ei cereum elargitur; præsenti animo esse iubet; huius consilij spem non fefellit euentus: Nam post octiduum, domum nostram repetens, omnia hæc excussa esse terriculamenta, summâ placidi animi testificatione declarauit. Octo hæretici nostris tùm publicis, tùm priuatis sermonibus impulsi, aliquando de obducta animi caligine excutienda cogitarunt. Itaque errorem suum adhibitis testibus non paucis eiurarunt palam. Magna omnino Reuerendissimi Domini Abbatis Bellopratensis, viri è nobilissima Lenoncurtiorum familia, serenissimo Lothoringiæ Duci à consilijs intimis, liberalitas erga nos extitit. Hic ædibus suis, nobis in domicilium attributis, templum suis sumptibus excitatum adiunxit; æquum esse ratus, cùm serui à Domino seiuncti esse non debeant, qui seruis domum concessisset, eorum etiam Domino abs se extrui. Templum autem in crucis formam diductum, septem altaria æquo inter se spatio digesta complectitur, sic ornatum, vt vrbi quoque sit ornamento. Nam sese in conspectu totius ciuitatis efferens, alijs ædibus eminente turris factigio dominatur: structura tantæ elegantiæ est, vt omnia, quæ in Gallia habemus, concinnitate superet. Vix Domini Bellopratensis consilium de templo extruendo sese protulerat, cùm subito multi prodeunt, qui quod ei totius operis laudem nollent præripere, in eius partem donis ad eius ornatum cumulate congestis venire

Digitized by Google

cupierunt; ille ædis ipsius molem, ædiculas alij, variaque desuper ornamenta destinarent, quo in genere ceteris omnibus, vt dignitate, sic munificētia, illustrissima Ducis Lotharingię domus, prę-stitit, quæ tantam hac æde locupletanda studiorū coniunctionem ostendit, vt omnes inibi suæ liberalitatis voluerint extare monumentum.

PROVINCIA AVSTRIÆ.

CONSTAT hęc Prouincia Socijs triginta nouē supra quadringentos, distributis in sedes viginti tres, nempe in tredecim Collegia, quinque Residentias & totidem Missiones. Sacerdotes sunt octoginta quinque, Nouitij quinquaginta. Magistrorum & Coadiutorum certus numerus iniri non potuit: quod in singulis Collegijs non exprimeretur. In Collegio Viennensi fuerunt quadraginta nouem; in Græcensi octoginta nouem; in Pragensi quadraginta; in Olomucensi triginta duo; in Sellensi vnus & viginti; in Crumlouiensi sexdecim; in Commotouiensi vndeuiginti; in Nouodomensi viginti sex; in Labacensi duodeuiginti; in Glacensi tredecim; in Clangenfurtensi octo; in domo probationis Brunensi quinquaginta septem. In Residentia sancti Bernardi sex; in Thurocensi tredecim; in Millestadiensi quinque; in Lincensi tres. In Missione vero Iudenburgensi tres; in Soouariensi & Liscana vnus; in Cassouiensi quatuor; in Leuchouiensi

uienſi duo; in Teplana vnus; in Tranſiluania demum, duplici Collegio Claudiopolitano & Albano, vnicaque Reſidentia Varadinenſi, tredecim. Vita functi duodecim; admiſſi in Societatem viginti tres.

COLLEGIVM VIENNENSE.

NOMINA in hoc Collegio, Societati dederunt ſex. Vita exceſſerunt, Pater vnus, Coadiutores duo. Patri nomen Ioannes Limander, coadiutor ſpiritualis formatus. Erat annorum quadraginta ſeptem, quorum viginti duos in Societate laudabiliter poſuit, gradum ſuum in ſtudio virtutis officijſque erga Collegia & proximos egregiè exhibuit, ea prudentia & charitate, vt domeſtici externique ereptum doluerint. Morbis, quibus ſubinde exercebatur, vltimis diebus ingraueſcentibus, ad Domini Aduentum maiore etiam ſe ſtudio comparauit, tempus prope eſſe ſubinde repetens. Iubileo igitur à S. D. N. proxime Societati conceſſo, in hoc Collegio publicato, & feſtiuitate ſanctorum omnium pro illo conſequendo deſtinata, poſt aliquot dierum collectionem, Rectorem adijt, explicauitque ad præſtitutam diem ſe non victurum: rogare propterea diem viciniorem ſibi aſſignari, quem facile impetrauit, ſicque cum plenaria hac condonatione omnibus ſacramentis munitus, feliciter die Apoſtolorum Simonis & Iudæ, animam creatori reddidit. Coadiutorum vni Ioannes Bader nomen fuit. Annum ætatis agebat quinquageſimum

Digitized by Google

quatuor in laboribus Societatis insumpsit. Horũ præmium quinta Maij est consecutus. Alter coadiutor Gorgius Speiss annos vitæ quadraginta septem numerabat, ex quibus quatuordecim diuino seruitio in Societate impendit. Animi candore, vitæ innocentia fuit singulari, laborum amans, quos magna charitate & vltro quæsitos sustinuit. Confessiones de tota pœnitentium vita exceptæ circiter octingentæ. Paschali tempore ad quatuor millia Eucharistia apud nos refecti. Septuagenaria mulier, quæ post Lutheri tempora nunquam nostro ritu confessa fuerat (quod tamẽ prius puellula sub imperio parentum degens factitarat) non vulgari tandem religionis sensu, summo suo solatio expiata, sacræ synaxi interfuit. Iuuenis quoque fictæ religionis, violatæque per hypocrisin pœnitentiæ pœnas dedit. Hic quamuis & hæresi & moribus perditus, tamen à quodã Orthodoxo, indiuiduo sibi comite, à parentum domo abductus, diuersa Catholicorum loca oberrabat, & in gratiam sui illius comitis suam hæresim egregie occulebat, Catholicum sese in confitendo, ac sacrosanctum corpus percipiendo, venditabat. Aderat ieiunij dies, & bonus iste abstemius commilitoni alijsque contubernalibus hypocrisis fuco impositurus, mensæ assidens, cibis vetitis interdictum sibi omnino volebat: sed, vt omnes fictionum cuniculi in propatulum aliquando erumpunt, ecce dum cibo minus iucundo vescitur, nescio quo impatientiæ turbine in transuersum abreptus, irascitur, frendet, scutellam è mensa cum eo, quod supererat edulij, inuadit, seque eam diabolo muneris loco in ineuntis anni xenium traditurum deierans exurgit, abit è triclinio,

Digitized by Google

nio, & vix limine pedem extulerat, mox niger ei conuiua, ignotus, horridus occurrit, circumcursat, & quod adolescens oblaturum sese confirmarat, cum terriculamentis efflagitat; quo terrore miser percitus fuerit, coniecturæ sit locus. Id tamen emolumenti ex ficta nuper religione ad consternatum in illo discrimine redundauit: quod quam sæpe sacrilegio vsurparat crucem recordatus, ea se strenue consignarit, & in momento ingratum illum exactorem importunumque hospitem in tenues auras profligarit. Quæ res, quod par erat, abiurandæ hæreseos incentiuum iuueni præbuit, simul & ad personam deponendam, & ad synceram confessionem instituendam calcar impressit. Ad milites etiam in æstiuis hærentes piæ pœnitentiæ fructus emanauit. Et quidem sacramentorum fructus ab anima ipsa ad hominis quoque exterioris salutem nonnunquam dimanauit. Aliquot enim cũ morte prope decertantes, sacra exomologesi accceptam spiritus sanitatem, subito & in ipsis corporibus expulsione morborum persensere. Insignis in hoc genere adolescens Turca, qui peruicacissimus Alchorani sectator, adduci eo nunquam potuerat, vt Mahometo valefaceret, donec infirmitate grauissima percussus, & fere animam agens, per quendam è nostris admonitus, tractus, conuersus, ad Christianorum castra transitionem se facturum decreuit: quod salutis transfugium, corporis salus paullo post est consecuta. Eodem exitu cum alio actum, qui ex morbo, quem Hungaricum vocant, lectulo confixus, fidem, quam ignorabat, amplexus, post peccatorum confessionem reualuit. Superstitiones resciissæ, quibus vani homines inani reperien-

dorum thesaurorum spe circumretiti erant. Ex prostibulis ad pudicitiæ frugem personæ aliquot vindicatæ: aliæ, quæ ex castitatis arce præcipitium meditabantur, abdicato constanter incontinentiæ proposito, in gradu honestatis sunt confirmatæ: quædam militibus raptoribus subducta ad frugem sese collegit. Afflictæ præterea personæ, quas ad restim desperatio, peccata, res familiaris, dæmon prope adegerant, ad constantiam animi Christiano homine dignã sacramentis perceptis, magno suo bono erectæ, laqueis se desperationis feliciter extricarunt. Nonnulli, qui apud Turcas, ob infractum in Catholicismo propositum, durissima quæque perpessi fuerant, cum euasissent, nostris in spiritu ac corpore opitulantibus, non minimum releuati discesserunt. Præter alias illustriores personas, quas reliquis ad resipiscendum facem prælaturas arbitramur, centum circiter ac viginti se Orthodoxis adiunxerunt. Omnes cuiusdam oppidi ciues, & alibi plures de Senatoribus, item septemdecim personæ nostrorum concionibus priuatisque colloquijs permotæ, repudiato Calicis vsu, vnica specie contentæ fuerunt. Turcica aliquot mancipia, veram qua nos Christus Dominus donauit, libertatem inuenerunt, & post congruam Catechesin, vndis salutaribus, magna omnium ordinum voluptate concursuque, lustrata sunt. B. P. N. Ignatij cultum non mediocriter promouerũt quatuor personæ, nobilitate cæterisque fortunæ ornamentis bene conspicuæ, quæ ex varijs ac periculosis infirmitatibus decumbentes, votis sanctæ illius memoriæ ritè nuncupatis, & persolutis, conualuêre, & constanti sanitate adhuc vsæ, diuinum Ignatii beneficium luculento

gratitudinis

gratitudinis officio magnifice deprædicant. Sereniſſimus Archidux Auſtriæ Matthias luculenta ſuæ in noſtrum ordinem beneuolentiæ non ſemel aperuit indicia: partim dum ſolemnem ſupplicationem actionemq; de more in Octaua Corporis Chriſti domi noſtræ habitam illuſtrauit; partim dum hortũ Collegij ſuburbanũ cum aulico comitatu, alio die acceſſit. Cũ enim in domicilio eius horti tam pro relaxatione Collegialium, diebus vacationum; quam pro refugio, tempore infectionis, ſatis commode præterito biennio extructi ſacellum ad prædictos fines peropportunum præterita æſtate in memoriam S. Matthiæ Apoſtoli rite conſecratum eſſet, idem Archidux Matthias, (cuius liberalitate & largitione magna ex parte ędificium illud perfectum eſt,) ſanctum Apoſtolum nomine cultuque ſibi adlectum, in nouo hoc illius oratorio, cultu proſequi, propitiumque ſibi reddere volens; deſtinata die hortum, cum aulicorum turba, ingreſſus, primoque aditu, hortenſi dramate ſalutatus, ad domicilium in medio horti poëtica inuentione & applauſu deductus, ſacellum recta petiit, ſacroque Muſicis choris celebrato interfuit: quo peracto hortum, comitante R. P. Rectore obiuit, domum luſtrauit, & in loco refectionis epulum ſuum Archiducale habuit; aulicis quoque ſuis, noſtriſque omnibus, variis menſis per hortum diſpoſitis, prandium exhibuit. Poſt quod, muſica per hortum hinc inde inſtructa recreatus, actionẽ de S. Matthiæ electione, functione, & martyrio, theatro in horto erecto, exhibitam ſpectauit. Ad hortũm deinde Conuictorum ei contiguum accedens, in eodem denuo à Conuictoribus carmine

Digitized by Google

salutatus; ad vesperam à nobis digressus est, cunctaque sibi placuisse adiectis gratiis significauit. Turris templi Collegij, quæ ob terræ motũ olim deposita fuerat, denuo extructa, post triennj fere laborem perfecta est eleganti forma. Ima quoque pars templi in choro, pauimento pereleganti, expolito albo lapide, cuiusdam è B. Virginis Sodalitio liberalitate exornata est.

RESIDENTIA LINCENSIS.

MITIORES & in Catholicos æquiores huius ciuitatis incolæ redditi sunt. Obtinuerunt hoc nostri tum familiari cum ciuium plerisque commercio, ac colloquio, tum publicis concionibus, quarum, quemadmodum & catecheseos, feruor idem est qui antea; successus vberior ex maiori, quæ in dies fit, auditorum frequentia expectatur. Quadringenti circiter hoc anno ad sacram exomologesin ac synaxim piè accesserunt, eorumque aliqui Deo Romanæque Ecclesiæ adiuncti sunt. Rudimentorum Christianæ disciplinæ traditionem exornant duo Catholici ludimoderatores, qui Dominicis quibusque diebus iuuentutem sibi creditam, pueros puellasque statis ordinibus, ad nos catechismi percipiendi causa, deducunt. Natalitiis festis, præsepio extructo, ferialibus rursum Christi patientis diebus excitato à nobis sepulchro, tota ciuitas ad templum nostrum confluxit. Concionibus è superiori loco habendis insignis exedra erecta. Cultus templi, sacrorumque apparatus variis donariis pretiosis auctus

Digitized by Google

auctus est. Porrò & sereniſſimi Matthiæ Archiducis Auſtriæ liberalitas ſingularis aduerſus nos hoc anno emicuit. Cum enim ſat arctè habitare nos comperiſſet, hortum percommodum noſtrorum capeſſendæ relaxationi attribuit. Excurſiones etiam hinc factæ ad adiacentia loca ſæpius: in earum vna, in loco ſancti Wolffgangi memoria celebri, poſt concionem ad frequentiſſimos auditores, confeſſiones plurimæ ſtatim excipiendæ fuerunt. In alia ad vicinum oppidum, tota præfecti domus per exomologeſin perpurgata, Deo & Eccleſiæ Catholicæ ſeſe mancipauit. Duæ item aliæ Miſſiones ad duo celebriora Monaſteria, quorum & Prælati & toti Religioſorum conuentus confeſſione ſacra expiati, magnam habere ſe Societati noſtræ gratiam præ ſe ferunt.

COLLEGIVM GRÆCENSE.

IN Sociorum numerum electi ſeptem. In feſto Circunciſionis Dominicæ tantus fuit pœnitentium concurſus, vt in templo noſtro ſupra mille quingentos comunicauerint; id quod adeo Principes oblectauit, vt lachrymas non tenuerint. A memoriâ quippe hominum, tanta pietas tali tempore hîc non apparuit. Quidam in ſuprema vitæ ægritudine cum diurnis nocturniſque ſpectris ad deſperationem pene defatigaretur, facta exomologeſi, Agnoque cereo è collo ſuſpenſo, liber à terroribus placidiſſime vita defunctus eſt. Alius cum ob incenſæ febris ardores ratione longo tempore defeciſſet, & mentis inſaniæ viriumque

viriumque imbecillitate, exiguam valetudinis spem faceret, à Patre vno è nostris inuisitur, vt obseruatis, si qua essent, rationis integræ interuallis, dolorem vt minimum præteritæ vitæ eliceret: sed cum longo tempore frustra moraretur; fusis pro eo precibus insanum alloquitur, & an confiteri velit, explorat: sed nihil, nisi insana responsa audit. At verò cruce consignato infirmo, & oratione confitentibus præmitti solita communito, bonæ spei plenus, examen anteactæ vitæ instituit. Tum infirmus quasi è profundo somno vigil, tune, inquit, ades meus Confessarius? recte, respondit Pater, loqueris, mi fili. Subito deinde infirmus integerrimo animo, tam prudenter, quibus Deum offenderat, explicat, vt verè apparuerit, singulari Dei beneficio tantisper restitutum sibi fuisse, vt cum eo in gratiam rediret. Mox enim Sacramento perfecto, à se ipso alienatus est, nihil vt deinceps sanum & sapiens dixerit, fecerit. Ex Hæreticis, qui fidem Catholicam aut ficte simulabant, aut palam adhuc contemnebant, sincere amplexi sunt centum circiter: inter quos; aliquot vtriusque sexus ex illustri procerum sanguine; quàm plurimi etiam, qui ambiguo erant animo, in fide confirmati. Vnius duntaxat & alterius conuersionem referam. Baro erat, cuius ingenium postquam veritas Catholicorum conuicerat, voluntas tamen pertinaciter veritati cognitæ resistebat: cui rei cum humanæ vires mederi non possent, precibus pijsque operibus agere persuasus est: quod & fecit. Cum verò aliquando experiri vellet, verane essent, quæ Catholici de asperitate cilicinæ vestis prædicarent,

rent, an potius (quod olim à Prædicantibus intellexerat) quædam esset simulata molliſque duritas, qua Religioſi non expertis imponerent; acceptam à ſacerdote noſtro induit, eo propoſito, vt Dei de ſua conuerſione voluntatem cognoſceret. Quod vt promptius impetraret, egreſſus domo, magna contentione ciuitatem ad defatigationem etiam & ſudorem corporis circumiuit, Eo in itinere tam acri dolore afflictus eſt, vt in pallido vultu grauiſſimæ ægritudinis ſigna oſtenderet. Domum reuerſus, læſa cute, carnem aſperitate pilorum exulceratam reperit. Retulit deinde Patri cilicium, atque Vtinam, inquit, damnata illa capita, quę ſanctam molliciem in tam horridis ſetis fabulantur, nunquam maiorem voluptatem præſentiſcerent! profecto non tam impudenter Religioſorum cilicia coram populo emollirent. Dolor ille fidem & cum fide ſingularem pietatem ei impetrauit. Alius Prædicantis Lutherani filius, cùm eo maximè argumento perfidiam deſerere nollet: ne facto ſuo mendacij parentem proprium argueret, quod nefas ille maximum arbitrabatur; Patris noſtri induſtria, & religionem & perfidiam abiecit, ſolemnemque deinde ad Apoſtolorum limina peregrinationem ſuſcepit. Pridie quam eccleſiæ per Sacramenta reſtitutus eſſet, à ſpectro perhorrido, ne id faceret, diu multumque territus, non tamen deterritus, fuit. In ſereniſſimorum comitatu, noſtri concionibus familiariſque congreſſu effecerunt, vt qui poſt examen & monitionem annis præteritis inſtituta, hæreſim adhuc fouebant, eandem bona fide abijcerent. Certus illis à Principe conſtitutus eſt terminus, intra quem, niſi Catholico ritu peccata expiauerint,

Digitized by Google

rint,& cœlesti pane refecti fuerint, tanquam periuri & rebelles expellantur. Dirutum etiam altare est, quod in medio Catholicorum templo hæretici erexerant: ne cum Catholicis in eorum altaribus commune aliquid habere viderentur. Parochis etiam persuasum, vt festis diebus Catholicæ fidei rudimenta pomeridianis horis rudi populo proponerent. In eodem itinere parochus, qui octodecim annis in sacrilego concubinatu vixerat, quina prole suscepta, sacerdotis nostri consilio confessus est, atque vt perfectè se conuersum probaret, extra prouinciam ablegauit: nunc admodum emendatè viuit. Alij etiam pastores animarũ in spirituali necessitate constituti, Nostris intercessoribus, auxilium apud illustrissimum Nuntium Apostolicum inuenerunt. Matrona erat honesta grauisque, quã dæmon mancipio emere varia fraude satagebat: pretiũ erat taleri noui signati, omnes vultu & armis Ferdinandicis, quos plenis modijs dimensos, identidẽ offerebat: quin & spem dabat, si obsequeretur. effecturum se, vt auro argentoque abundaret: matrona, quod res erat, fraude dæmonis Nostrorum consilijs detecta; eorum armis conatum hostis forti animo repellebat: cum verò post multos labores contemni se dæmon cerneret, concubia nocte conclaue ingressus, & minis & pecunijs fœminam territat: illa clamorem tollit, & maritum à latere excitat: is cum euigilasset, strepitum horribilem audit, sed præterea nihil: cum verò, quid actum, oratione coniugis edoctus esset, ambo tota nocte in precibus vigiles, postero die visitatis Ecclesiæ præsidijs communiti, pernicioſum emptorem vnâ cum pretio profligarunt. Templum

plum noſtrum ſacris muneribus auctum eſt multis & pulchris. Viceſima quarta Martij, ſereniſſima mater dono dedit duo ſanctorum crania, eleganter & ſumptuoſè veſtita; alterum ex comitatu Sanctæ Vrſulæ, alterum ex Thebæorum legione: decima quinta Aprilis eadem ſereniſſima alterum munus obtulit, ciſtam argenteam inauratam, in qua præter varia Sanctorum ſipſana, per cryſtallum, quod argento intercipitur, caput Innocentis infantuli viſitur. Ea ciſta à republica Veneta ad nuptialem eiuſdem Sereniſſimæ pompam allata fuit. Prima Maij, tertium donum eiuſdem fuit theca argentea inaurata, Sanctorum membris longe nobilior. Addidit deinde decima tertia eiuſdem menſis, Agnos cereos duos, ebeno & argento ſcitè incluſos. vigeſima quarta Iunij, argentea D. Virginis ſtatua, capſa etiã inſignis magnitudinis ab eadẽ Sereniſſima matre oblata eſt, quæ præter alias Diuorum reliquias, duas tibias ſociorum Sanctæ Vrſulæ continebat. Sereniſſimus verò Bauariæ Dux Gulielmus, cũ pręterita hyeme ſororem & filiam cæteroſque Principes inuiſeret, liberaliter promiſerat templum noſtrum Sanctorum oſſibus augere; quod per Sereniſſimum Albertum filium vltra etiam promiſſum præſtitit. Inter cetera elucebant quinque oſſa Sanctorum Martt. Laurentij, Chriſtophori, Ianuarij, Firmini Epiſcopi & Vvenceſlai; omnia argento ebenoque compoſito inſerta. Diſceſſerunt ex ſcholis ad varias Religioſorum familias, præter ſex qui ad Societatem noſtram, nouem egregij adoleſcentes. Feria quinta maioris hebdomadæ nobiliores B. Virginis Sodales pauperum pedes abluerunt, epulumque dederunt

runt tanta cibi copia, vt benè paſtis, oneratis etiam in diſceſſu, ſtipeque inſuper donatis pecuniaria, adhuc ſuperfuerit, quod pluribus alijs diuideretur. Pro maiori verò D. virginis cultu, Labacenſis Antiſtes ornatum Pontificalem, in quo conſecratus fuit, dono miſit congregationi, in cuius literis illud erat memorabile: illum eſſe ornatum, illam mitram, in qua pauculis annis ſupra triginta hominum millia ſacro Chriſmate inunxerit: in qua ſeptẽdecim altaria, Synagogas hęreticis ereptas duas, quatuor templa benedixerit: duo item iamprofana ſacris vſibus reſtituerit. Conuictus auctus eſt numero & propter numerum nouo Muſæo. Sunt verò adoleſcentes, quales nunquam hactenus, & nobilitate & eruditione inſignes. Sexaginta duntaxat Philoſophiæ & Theologiæ dant operam. Multum verò conuictorum pietatem auxit Sodalitas S. Spiritus, exhortationibus, ſacris commentationibus, precibus, caſtigatione denique corporis, & alias crebro, & præſertim ſolenni veris ieiunio, pro Repub. & Principibus Chriſtianis quotidie ſuſcepta. Prætet epulum verò quod pauperibus in ſingulos annos præbet, aliis etiam egenis pecunia liberaliter ſubuenit. Morbus Sereniſſimæ matris, propriæ ſalutis curam, pietatem erga Deum, & amorem illius erga Societatem declarauit. Nam cùm deſperata à medicis ſalute, nullam ſibi ſpem reliquam vitæ nec præſtolaretur, nec cuperet, noſtros ſibi interdiu noctuque adeſſe voluit, vt in Patrum Societatis potiſſimum manibus & oculis, Deo ſpiritum redderet, quam integris viribus tenerrimè adamaſſet. Sæpius ſacerdoti noſtro confeſſa, ſæpius per eum ſacram Deo victimam coram ſe obtulit

(vnius

Digitized by Google

(vnius sacri minister ipse Archidux Ferdinandus fuit) vt inde viaticum panem susciperet. Cum verò extremum iam actura spiritum putaretur, denuo cum Deo in gratiam rediens, & plena peccatorum venia à Nostris accepta, sacro oleo inuncta est; & per vnum è Patribus ab vniuersis aulicis veniam petijt, & vicissim dedit. Quę tanta animi demissio omnes in lachrymas soluit. Liberis deinde & Societati bene precata extremum vitæ momentum opperiebatur: Quo tempore admirabilis vox audita est Ferdinandi; is enim cum grauissimè matris ægritudine & vitæ periculo affligeretur; sui tamen & materni doloris immemor, totusque ex Dei arbitrio pendens; Dispone, inquit, Domine, pro arbitratu tuo omnia, animam modo meam serues. Votum deinde maximi precij Lauretanæ Virgini nuncupauit & soluit. Deus igitur, qui piorum corda solatur, matrem ad plurimorũ adhuc salutem & Ferdinandi solatium breui ab omni discrimine immunem restituit. Adfuere demum hoc anno Græcij, Bauarię principes duo, Gulielmus parens, & Albertus filius. Gulielmus quotidie in Collegio ex veteri & vsitata consuetudine meditabatur: à meditatione sacrum in domestico sacello audiebat. Nobiscum aliquando cenatus, quinquaginta diuersorum idiomatum linguis salutatus est à nostris, magna sua voluptate. Gratulatus est ea re sibi quoque Sereniss. noster, tantam hominum varietatem ali in suo Collegio. Priuatim verò idem Gulielmus in triclinio nobiscum pransus, adduci nulla ratione potuit, vt primum locum capesseret, sed infra R. P. Rectorem accubuit, morem quẽ Monachij apud nostros seruarat, se-

qui

qui se velle asserens.

MISSIO IVDENBVRGENSIS.

TRES Sacerdotes in hac Missione versantur, ex quibus vnus Sereniſſimo Leopoldo Philoſophiam, alter Sereniſſimo Carolo humaniores litteras tradit; tertius Eccleſiaſtæ munus obit. Induſtria vero illorum apud vicinos etiam Parochos, confeſſionibus audiendis, & rudibus in Chriſtiana religione formandis, probata. Hæretici plus minus quinquaginta ab erroribus reducti, inter quos nobiles matronæ aliquot. Tria denique præcipua Iudenburgenſis vrbis templa, noſtris auctoribus, nitori priſtino reddita, nouiſque altaribus & ornamentis inſtructa ſunt, præcipuo ſolatio Catholicorum & exemplo. Egenis denique corporali ſubſidio liberaliter ſubuentum.

RESIDENTIA APVD MILLE STATVAS.

CATHOLICA fides, quæ in Carinthiam ad Mille ſtatuas reuerti cœpit, cum inter viros feliciter ſatis recepta eſſet; à ſolis fœminis pertinacia pluſquam muliebri reſpuebatur. Multis itaque, quod conciones & amica colloquia non poterant, communionem ſub vna ſpecie carcer perſuaſit. Fuit, quæ, ne perfidiam deſereret, domum, maritum, liberos deſeruit, amicorum precibus

Digitized by Google

cibus & blanditijs, promissis etiam amplis persuasa: Cæterum vbi in peregrina domo, cum ære beneuolentia quoque amicorum consumpta est; sensit Lutheri Euangelium gratis dare nihil. Cum multis itaque quas par temeritas & pertinacia domo abstulerat, calamitate reditum persuadente, reuersa, dignoque à vicinis cachinno excepta, exemplum simili voluntate occupatis facta est, ne similem calamitatem simili temeritate quærerent. Vetus Milleſtatuarum superstitio circa Milleſtatuensem lacum pridem euersa, quotidiano adhuc dolori est dæmoni, superstitionis authori. Iniquum igitur antiqui temporis ius maiori iniuria quærit, homines qua fraude, qua animi perturbatione, qua denique desperatione, submersas statuas in lacum sequi incitans. Fuit muliercula, quæ anno integro summa animi desperatione vexata, mœrens exitum in aquis constituerat, adeoque sollicite proprium interitum meditabatur, vt quo minus in lacum se præcipitaret, non nisi continuis vinculis seruari ab amicis posset: huic tam periculoso malo, & plurimorum olim scelere celebri vt iretur obuiam, erecta est columna, Crucifixi statua & Angelis tutelaribus exornata, quorum armis satanæ tyrannis frangatur. Inuentus est etiam, qui nocendi libidine vaccam ferream (exitiale suorum maiorum munus & patrimonium) sub limine defoderet, vt offenso vicino malum crearet: occultum scelus prodidit vaccarum aliquot pernicies. Sed ille grauiter questus vicini iniuriam, & vix Magistratus auctoritate territus, vaccam in lucem eruit, quæ igni soluta & in lacum abiecta, periculum à vicinis secum abstulit.

Digitized by Google

COLLEGIVM PRAGENSE.

DECESSIT vnus Theologiæ auditor, Michaël Nyrij Hungarus, religioſę diſciplinę amans, & noſtrorum laborum patientiſſimus. In Societatem receptus vnus. Centum & quinquaginta eoque amplius, ſuaſu noſtrorum ſacra hoſtiæ contenti, à communione calicis in poſterum temperant. Quidã ab ordine religioſo transfuga, poſtquam octies ſibi vim intuliſſet, nec tamen mortem poſſet oppetere, diabolum in auxilium operis amplius quàm vicies vocauit: actum cum homine; & quamuis ægre, perſuaſum tamen, vt confiteretur. quod dum faceret, ſic caput humeroſque iactabat, atque ſi à maligno ſpiritu torqueretur: ſic luctabatur, ac ſi catenis conſtrictus eas eluctari conaretur; nec prius à lucta quieuit, quàm à peccatis fuit abſolutus. In hæreticis reducendis laboratum. Conuerſi centum ſexaginta ſex, è quibus aliqui non difficulter expugnati, alij luctam noſtris & agonem obtulerunt. Mulier, quæ plurimos annos errori retinendo contumaciam adhibuerat, hoc anno veritatem admiſit. Hęc Piccarditicæ factionis facile princeps, haſtas, quas in Catholicos vibraret, ex Bibliis ad inſtitutum ſuum appoſite concinnabat quidem, doctiorum tamen hominum, & noſtrorum maxime ſacerdotum rationibus reſiſtere haud poterat: quibus exagitata & conuicta interdum ſe abdebat in ſecretiorem domus partem, vbi à nemine reperiri & conſpici poſſet, ibique preces cum lachrymis

Digitized by Google

mis fundens, diuinum efflagitabat lumen: nihilominus tamen reluctari pergebat: tandem hoc anno, felicis anni precatione delinita cum vehementiori exhortatione ad salutarem fidem semel amplectendam vrgeretur, manus sacerdoti nostro dedit. Retulit postmodum familiariter, graues admodum & molestos animi se cruciatus pertulisse, ex eò quod pestilentissimos Caluinianæ sectæ libros sacerdoti nostro donasset, quos nec prece, nec pretio vnquam recuperare potuit: vt videatur dæmon ipse eam sic afflixisse, quod arma, quibus se tueri poterat, in manus aduersarij deposuisset. Eius filia virgo, vel matre ipsa doctior vel pertinacior, etiam lucem Catholicæ doctrinæ, Dei beneficio, aspexit, præcessitque matrem in sacramentis Catholico ritu percipiendis, tanta alacritate, tanto feruore, vt omnes in sui admirationem raperet. Mira certe mutatio dexteræ excelsi. Quæ enim, priusquam veritati cessisset, erat efferata, nostrosque homines non secus ac dæmonas pessimos horrebat ac detestabatur, nunc in agnum mansuetissimum videtur mutata, castitatis ac pietatis amantissima ac studiosissima, proximorum quoque salutis cupidissima: quippe plurimos iam exiguo tempore lucrifecit. Neque verò reponit paria, quoties in eam auia, auunculus, frater, cæterique consanguinei & amici (quorum ingens est Pragæ copia) maledicta congerunt. Alius nobis familiarissimus ciuis, cũ conuersionem differret, castigatus à Deo, & in honoris ac bonorum primò periculum vocatus, morbo deinde oppressus, morem tandem Deo vocanti gessit: quo beneficio remuneratus Deus videtur dona, quibus nostram sacram supellectilem superioribus

rioribus annis auxit. Candelabra enim ex cryſtallo, crucemque & gemmas pretioſas templo noſtro conſecrauit. Et ſeruat certe Deus ſuos quos vocat, & voluptate permulcet animos, iucundiſque imaginibus ob oculos poſitis recreat, & quam mirabiliter calamitates illis ſubtrahit. Perſona quædam non infimæ ſortis, paullo poſt quàm hæreſim excuſſiſſet, ſibi videbatur ipſa nocte natiuitatis à cælitum aliquo duci ad noſtrum templum: ibique videre aram eleganter inſtructam, plurimoſque ad eam accurſitare: ſanctum item Petrum flagello è quinque funiculis conflato, cancellos obire, & hæreticos primum repellere; deinde ex templo etiam expellere, Catholicoſque ſerena fronte excitare: quod vel animo vel oculis cum ipſa vidiſſet, ad timorem quidem traducta, ſed à S. Petro blande inuitata, ſibi non prius reſtituta, quam ſanctiſſimo epulo paſta, fuiſſe videbatur. Cuidam etiam calamitas, lydius quod aiunt, lapis fuit. Homo non vulgaris, poſtquam Caluiniſmum expuiſſet, à ſuis primo pro concione maledictis exagitatus, ab alijs deinde admonitus, vt ſi ſuas fortunas ſaluas vellet, in Caluini ſententiam ſeſe redderet, animo non mediocriter angebatur: cudi enim in ſe fabam apud iudices intelligebat: cuius rei cogitatio cum eius animũ grauius exerceret, immortali numini preces adhibere coniugem liberoſque iuſſit: & ecce, quæ hominem diſtinebat curà, mirabiliter conſedit. Vidit enim, cum oculos coniiceret in imaginem Chriſti patientis, omnia ſanguine natare, vidit cælites circa latera Chriſti verſari. Quare poſtea à lictore vocatus, animo ſublimi curiam ingreſſus, nefaria quædam flagitia de ſe diſſeminari patienter

Digitized by Google

patienter audiuit, nec se tantum in custodiam mitti, sed etiam inter duos fures ligari pro Christi causa lætatus est. Verum Deus breui innocentiam sui serui declarauit & vinculis exemit. Hæretici duos coniuges non ad paupertatem modo redactos, sed in exilium etiam eiectos, ad fidem deserendam officiorum pollicitatione & auxiliorum spe conati sunt impellere: sed frustra. Iam de illis, quibus Pragæ B. P. N. Ignatius saluti fuit. Sacerdos noster acuta febri prostratus, conclamantibus medicis, viam vniuersæ carnis ingressurus videbatur: affuit illi patrocinium B. P. nostri, cuius inscriptio, desperatis cæteris remedijs, salutem attulit. Mulier de partu & de vita periclitata, cum homines de salute desperantes audiuisset, ad opem cælestem confugit; de peccatis confitetur, Deum precatur, imaginem B. P. N. veneratur, quibus cum nihilo melius haberet, imo quinque dierum dolore velut excarnificata, iam iam moritura videretur, B. P. nostri applicatis reliquis, in ictu oculi partum effudit & conualuit. Atque vt facti foret memoria, puerum Ignatij nomen habere iussit. Alia etiam non facilioribus doloribus discruciata, sensit eiusdem B. P. N. opem. Vidimus præterea ægrorum necessitatem patientium insignes cereos ex voto positos & accensos ad eiusdem imaginem, in templo nostro, superiore anno, ab illustrissime Cardinali Spinello erectam. In duo dominia Procancellarij regni Boemiæ excursum, vbi prius duo ex Collegio Herbipolensi vtilissime laborarant: Ibi exturbatis ministris, in altero quidem oppidum vnum & decem pagi conuersi, in altero vero sexcenti veritatis lumen admiserunt. Alij

Digitized by Google

duo sacerdotes in alijs dominijs nonnullos ad Ecclesiam Catholicam reuocarunt, plures aut rudes aut vacillantes instituerunt aut firmarunt.

COLLEGIVM OLOMVCENSE.

FVERE hoc anno de Societate triginta duo, in quibus annumerantur quinque, qui conuictui præsunt. Sacerdotes tredecim. Admissi è discipulis duo in Societatem: tres ad alios ordines se contulerunt. Ab hæresi reconciliati Ecclesiæ ducenti viginti duo & in ijs vnus annorum centum quinque, & vir Caluinianus, qui quietem animi salutemque etiam apud Anabaptistas frustra quæsierat. Atque ex ciuitate hæretica tres, quorum vnus eiusdem consul, magnæque apud suos authoritatis, qui postmodum, peste ciuitatem depopulante, ad confessarium reuersus, filios cum lachrymis confessario commendauit: vt si mori illum in præsenti illo periculo contigisset, catholicè educarentur. Ab vtraque reuocati viginti vnus. Mulier recens conuersa in morbum incidens, desperata à medicis, & vexata ab amicis hæreticis, cum iam vsum linguæ penitus amisisset, atque aliquot hebdomadis ita decubuisset, peculiari quodam instinctu Dei impulsa, Rosarium nutu petit, arreptoque orare statim incipit clara voce, sonareque: Aue Maria. Miratur se ipsa, miratur maritus, amboque gratias Deo agunt. Postridie illa præ gaudio vix se capiens, Patrem, à quo fuerat conuersa, adit, confitetur & communicat, nec satis Dei Matrem laudare potest, eius

se

Digitized by Google

se venerationi in perpetuum addicens. Hebdomadariæ exhortationes ad vinctos habitæ; rei capitis duo, deprecatoribus nostris, absoluti, mutato in exilium supplicio; alij ante necem ad fidem conuersi, sacramentisque muniti, & in ijs duo, qui præter baptismum, aliud nunquam sacramentum perceperant. Denique vnus in perfidia obstinatus, qui, licet vbi instructus fuit, Catholicam fidem esse veram fateretur; negabat tamen se illam amplexurum, ne leuitatis notam incurreret, probroque amicis foret: impetrata per nostros supplicij mora, adhibitisque ad placandum numen remedijs, emollitus demum, fidem professus, & pœnitentiæ sanctissimæque Eucharistiæ particeps factus, temporiam mortem, cum vita, vti speramus, æterna commutauit. Excursiones factæ cum fructu aliquæ. Vna ex illustrissimi D. Cardinalis à Dietrichstain Episcopi Olomucensis voluntate, ad ciuitatem regiam Radizium, vt ægri Decani vices per festa Natalis Dominici supplerentur à nostris: exterritus fuit Senatus, videlicet hæreticus, aduentu Iesuitæ: semel atque iterum internuntios misit, qui rogarent, daturusne Pater Eucharistiam esset sub vtraq; specie? reiecit ille prudenter responsum in tempus confessionis, priuatim ea de re cum singulis se acturum. Parum itaque tum effectum. Postmodum tamen consilio, hortatu, prece nostrorum effectum, vt eorum, ad quos res pertineret, authoritate, totus Senatus, qui antea ne vnum Catholicum numerasset (nam quos habuerat, hæretici non ita pridem reiecerant) iam omnes Catholicos senatores habeat, & adeo incrementum religio sumat. Item impetratum, vt alteri ciuitati regiæ quinque Catholici

Digitized by Google

senatores cum iudice & scriba Catholicis darentur: & alia in ciuitate, cum non nisi vnus Catholicus repertus esset, saltem is in senatum legeretur. Sacerdos item è nostris, rogatu venerabilis Capituli, duos eius pagos in iurisdictione hęretici ministri positos adijt, instituit, Catholicos fecit. Et quia Catholicum templum ibi non erat, omnes viros ad Ecclesiam milliario distantem conuenire curauit, ibique eos Ecclesię, confessione & Christi corporis communione sociauit: fæminis idipsum primo quoque tempore se facturas pollicentibus, quæ abesse domo tunc non poterant. Idem etiam sacerdos ad oppidum item Capituli euocatus, vt rebelles rusticos complures, (qui in custodia tenebantur in perfidia ita obstinati, vt dicerent, capita se malle quam fidem, in qua educti fuerant, amittere) si qua posset ratione, iuuaret. Venit, iuuit, ita vt omnes se ad fidem complectendam paratos præberent. Conuersionis syncerę fidem fecerunt duo, qui illa ipsa hora capitis damnati, piè confessi sacerdoti eidem sunt, eoque comitante educti, cum significatione pietatis, magnaque ædificatione astantium vitam finiuerunt. Ad scholas quod attinet, octingenti discipuli numerati sunt, pij plurimum & obsequentes. Prælucent Sodalitia duo Beatissimę Virginis visitantis & assumptæ: in vtriusque anniuersario festo, quod in templo Collegij magno apparatu celebratur, Illustrissimus D. Cardinalis ab ijsdem inuitatus, post concionem in magna populi frequentia habitam, ritu solemni rem diuinam peregit, & à templo ad triclinium nostrum altera earum die repente se contulit, nostris contentus. Ad auertendum pestis malum & Turcicam rabiem

biem instituta est oratio quadraginta horarum ab Illustrissimo Domino Cardinali, in nostro tẽplo, die tertia Octobris: qua die post vespertinas preces, à templo Parochiali sancti Mauritij supplicatio processit, in qua ipse Cardinalis venerabilem Eucharistiam gestauit, & cum in nostro templo, in ara summa illam posuisset, breui adhortatione ab vno è nostris præmissa, initium orationi factum est, duabus primis horis ipso Illustrissimo Cardinali ac vniuerso populo, perdurantibus: altera noctis hora, ad templum Cardinalis reuersus, & oratione per horam producta, secundam eo die concionem habuit ad aram consistens, tempori accommodatam, auditoribus frequentissimis. Idem etiam Illustrissimus Cardinalis suam in Collegium hoc beneuolentiam testatam fecit quingentorum talerorum collato subsidio. Varia etiam ab alijs auxilia præbita, & Bibliotheca ab vno è nostris donata, amplius quadringentis taleris æstimata: Præterea supellex templi aucta vestibus sacerdotalibus & altarium pretiosis ornamentis. In pauperum denique studiosorum vsus quadringenti taleri à pio viro attributi, tuto loco ad perpetuum censum per nostros collocati sunt; penes quos etiam erit fructus dispensatio. Claudam annales narratione facinoris, æmuli castimoniæ Ioseph Patriarchæ: Adolescens quidam studiosus noster, valde importune à muliere per mariti absentiam sæpe ad flagitium sollicitatus, constanter illam à se repulit: denique quodam tempore, eo loci deprehensus, vnde ægre posset euadere, postquam impudentem fœminam modo precibus à consilio auertere, modo diuini comminatione iudicij absterrere frustra tentasset: respondente.

Digitized by Google

respondente illa, velle se viuam in infernũ, si patefiat, præcipitem agi, faceret modò ipsam compotem voti, in hisce castus adolescens angustijs positus,& de fuga circumspiciens,fœmina minus obseruante, seseque ad flagitium comparante ianuam occupat & tandem euadit, neque prius domum redire voluit, quam maritus reuerteretur. Postridie certaminis, obitis diuinis Sacramentis gratias Deo egit, contestatus mortem citius oppeturum se, quàm crimen admissurum.

COLLEGIVM SELLIENSE.

BONVS Societatis nostræ odor principes viros impulit, vt patrum familiaritate, opera, ministerijs quàm libentissime vtantur. Illustrissimus Archiepiscopus Collocensis, suæ Maiestatis in hoc regno Hungariæ vicarius ad expurganda hæreseon zizania, ad ciuitates quas Montanas vocant, profecturus, accersendum secumque habendum sacerdotem nostrorum duxit, & alium item Patrem ad quandam obtinuit missionem. Reuerendissimus D. Franciscus Forgach Episcopus Nitrienſis ac Regni cancellarius, frequentissima supplicatione post Pontificiam benedictionem,lapidem angularem fundamento Collegij hic exædificandi subiecit: magnifici item ac Generosi Domini Sigismundi Forgach fratris sui ex hæresi in Ecclesiæ Catholicæ sinum redeuntis conuersionem nobiscum omnino voluit esse communem. Cùm enim magnificus ille diuinis tum Reuerendissimi,tum nostrorum impressionibus

bus appetitus, in Lutheranismo nutaret; eum ad nos alio prætextu adductum, collaborantibus nostris, impulit, vt ad sacram exomologesin, & synaxin, & hæreticæ prauitatis eiurationem accederet, quæ singula cum eximiæ pietatis significatione feliciter expediuit, adeoque Orthodoxę veritatis aspectu commotus est, vt sacerdotem ad suos subditos (quos sane habet in amplissima ditione quam plurimos) Catholicis sacris initiandos à nobis efflagitet atque vrgeat. Cedunt interim Euangelij deformati tubicines, Magnifici Domini sui feruore animaduerso: inter quos non nemo sese in pedes coniecit; reliquos post se abiturientes reliquit. Reuerendissimus vero Agriensis Episcopus visitando Collegium, sacræ confirmationis sacramentū in templo nostro contulit. Iam Reuerendissimus Episcopus Vacensis die Corpori seruatoris sacro, in processione celeberrima augustissimum Eucharistiæ Sacramentum per totum oppidum circumtulit, & facto postmodum in Pontificalibus sacro idem sacrosanctum mysterium communicaturis ministrauit. Fuit actio tota, qua domi, qua foris, & aspectu pulcherrima, & frequentia plenissima, & pietate religiosissima, & veneratione augustissima. Templum totum accurata ac omnigena supellectili vel Rhetorica vel Poëtica conuestitum. Cætera supplicationis pompa supra omnes, quæ hactenus hominum memoria hoc loco sunt celebratæ, nobilissima. Aderat idem Episcopus, qui & dignitate & pietate cętum reliquum redderet augustiorem; aderant vltro viri nobilitate ac eruditione spectabiles ex adiacentibus oppidis & ciuitatibus, qui coronam cæteroquin splendidam, cohonestarent

cohoneſtarent: nonnulli etiam qui ſub Sodalitatis Parthenicæ peculiari ritu ac pietate celebri: aderant ſtipatores in armis, ac toto cultu bene conſpicui milites, qui latus vtrumque cingerent, & ſtatis ſtationibus feſtiua cum acclamatione militarem quaſi Chriſto Domino pæana canentes, non ſolum ſclopos ſuos manuales, ſed tormenta quoque maiora exploderent: aderat & ſtudioſa iuuentus, quæ appoſitis ad celebritatem dialogiſmis actum interſecaret, populum recreando doceret: moras, tempus, tædium ſuffurareturque; denique vt confeſſione nonnullorum conuenarum vtar, talis extitit ſupplicatio, quæ nominatarum etiam ciuitatum pompas aut ſuperaret aut certe adæquaret. Illuſtriſſimus Dominus Georgius Baſta, Hungariæ citerioris Generalis, ad caſtra deſcendens, ad Collegium diuertit: familiarem cum aliquot è noſtris Patribus cenam ſumpſit: ab regni ſtatibus per ſtudioſos adoleſcentes dramatice conſalutatus eſt: diſcedens omnem fauorem tutelamque nobis rebuſque noſtris detulit, ac ſanciuit; quam & datis etiam aliquot ad Reuerendum P. Rectorem è caſtrenſi metatione litteris, per ſe ſuoſque conſtanter conſeruauit, adeoque nobis, ſubditiſque noſtris omnibus immunitatem à ſuſcipiendis militibus Cæſareanis, per ſcriptum inde deſtinauit. Nec ſilentio diſſimulandum, quod cum ad militiam armis etiam ſpiritualibus, confeſſione dico ſacramentali ac ſacræ ſynaxeos perceptione, vt Catholicum ducem decebat, ſeſe inſtituiſſet comparare, noſtrum ea mente in ciuitatem proximam ſecum abſtulit Sacerdotem, rebuſque rite peractis, eum etiam teſtamenti à ſe in procinctu facti conſcium voluit eſſe:

Digitized by Google

esse: eique abeunti tabulas scriptas signatasque, Viennæ postea in Collegio Nostrorum fide asseruandas, concredidit. Sereniſſimus quoque Austrię Archidux Matthias duo tormenta campestria, omnibus rebus necessarijs instructa, nobis ad arcendas Tartarorum vel Turcarum excursiones attribuit: quibus & alia duo Collegij sumptibus accesserunt. Denique & S. C. M. quo esset de nobis sensu, litteris suis ad nos datis, aliquando palam testata est, cum nostrorum opera in re longè sibi optatissima vti dignata est: cui quidem, vt par erat, quantum licuit, obtemperatum est. Verum quoniam Cesareę Majestatis in suam religionem Catholicam studium ex ijsdem litteris elucet, visum est non ingratum fore, si earum exemplar hisce asscribatur. Inscriptio ergo sic habet: Honorabilibus ac Religiosis N. Rectori, cæterisque Patribus, fratribusque Societatis IESV, in Collegio Præpositurę Turocienſis degentibus, simul vel diusim constitutis &c. Fidelibus nobis dilectis. Litteræ autem sunt hæ: RVDOLPHVS secundus, Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Rex &c. Honorabiles ac Religiosi fideles nobis dilecti. In quonam statu & squalore Catholica religio in Transyluania, propter varias, quæ ibi à longo iam tempore inualuerunt, hæreses, nunc existat; sat superque vobis cognitum esse non ambigimus. Cum autem nihil prius aut magis habeamus in votis, quàm vt redacta ad obedientiam & fidelitatem nostram ipsa Transyluania, & impias ex illa hæreses extirpare, & diuini numinis verum cultum iterum in ea instaurare, atque Orthodoxam

&

Digitized by Google

& Catholicam religionem noſtram ad æterni & omnipotentis Dei gloriam & honorem vbique propagare & firmare poſſimus: ad quod quidem commodius & felicius peragendum, quia Catholicis pijſque & doctis ſacerdotibus, qui miſeram plebem doctrina & bonis exemplis ad Catholicam fidem reducant, illaque ſedulo imbuant, maximopere opus eſt: illos vbique in regno noſtro veſtra quoque fideli ac pia opera inquiri & bonis modis eo dirigi cupimus. Quare fidelitatem veſtram benigne hortamur, vobiſque clementer committimus ac mandamus, vt in adipiſcendis aliquibus doctis viris & Catholicis ſacerdotibus, qui ſint exemplares & bonæ vitæ & pietatis ac honeſtatis ſectatores, atque vltra Latinam, etiam Hungaricæ, Germanicæ, Sclauonicæ linguarum periti, qui doctrina & exemplo Catholicam religionem gnauiter & cordate propagare valeant; omnem operam & diligentiam nauare: & quos nanciſci poteritis, illos ſine mora & dilatione in tranſyluaniam ad fidelem noſtrum magnificum Georgium Baſtam, liberum Baronem, Generalem Tranſyluanienſem & Conſiliarium noſtrum, cæteroſque ei adiunctos Commiſſarios noſtros, cum litteris noſtris commẽdatitijs, quo illis rite prouideatur, & ad loca neceſſaria ordinentur & diſtribuantur, primo quoque tempore dirigere & tranſmittere, atque tam pium & neceſſarium opus omni fide & diligentia curare ac promouere velitis ac debeatis, executuri in eo benignam & omnimodam voluntatem noſtram. Datum in Arce noſtra Regia Pragenſi viceſima octaua octobris, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo tertio.

RVDOLPHVS.

Nobilis

Nobilis adoleſcens, cum neſcio cuius mulierculæ delicijs ineſcari ſe permiſiſſet, imo & præſtigijs de mentis ſtatione prope deturbari, ſic furore ac demētia bacchabatur, vt modò ſe ferro (quod commode prius ei noſtri ſubduxerant) modo præcipitio ſe perdere conaretur: hic nō alio tandem alexipharmaco, quam generali peccatorum expiatione ſalutem, rationem, vitam, tranquillitatem recuperauit: tandem moriturus peracta vniuerſæ vitæ ſacramentali enarratione, piè deſijt eſſe in viuis, qui male viuendo perſeuerarat. A Mahometi delirijs ad Catholicam veritatem traductus iuuenis quidam, & ſumma populi frequentia per noſtros aquis luſtralibus tinctus eſt, eo pietatis ac religioni afflatu, vt inter excipiendum ſacræ regenerationis lauacrum, miſo ſe conſolationis ſenſu affici teſtaretur. Hæreſin porro cum vera religione commutarunt præter oppidanos, perſonæ circiter quinquaginta. In ijs ſenex, qui ad ætatem vſque furiæ illius Apoſtaticæ memoriam repetebat. Alter octogenario non minor, noſtrorum congreſſum, obfirmata hæretici cerebri peruicacia, diu fruſtratus, dū morbo lethali diu tentaretur, de præſentaneo ſuo periculo per noſtros condocefactus errorem exuit, & Eccleſiæ Catholicæ per confeſſionē generalem reſtitutus, communione rite percepta, quaſi ex deſtinato mors ei peperciſſet, quoad pæniteret, intra quatuor horas vita defunctus eſt. Contra nobilis quidam milēs hæreſeos venenum, Catholicę genuinæque fidei antidoto diſpellens, cum mentis ſanitate, corporis quoque incolumitatē recuperauit. Hic cum quadraginta ſeptem ipſos annos in hæreticorum caſtris militaſſet & à Catholicis nouercali pluſquam

odio

Digitized by Google

odio dissideret, dum medius inter digladiantes gratiam sarcire conaretur, ab altero altercantium, vt fit, vulnus accepit luculentum; cui curando, quamuis chirurgus omnem nauasset operam, parum tamen promouerat; imo & accessu grauioris morbi quasi cumulo prægrauatus vix viuebat: astabat vxor Catholica, monebat, rogabat, vt aduocato sacerdote, saltem animæ saluti consuleret, quando de corpore prope conclamatum videretur. Sed surdo cantabat, donec ille intempesta nocte secundum quietem, augustissimam Dei ac salutis nostrę genitricem, stipatam vtrinque duabus supra humanam speciem lectissimis virginibus sibi adesse vidit, sensitque gloriosissimam illam sibi inculcantem, nullam salutis spem superesse, nisi coniugis monitis deuote accurateque obtemperaret. Quo viso commonitus homo, summo mane Sacerdotem è nostris acciri flagitat: Caluinismum euomit: conceptas animæ labes sacramento Pœnitentiæ emaculat: omnia in posterum ex religionis Romanæ præscripto gesturum se sancte repromittit: demum Sacramento communionis mirifice se releuatum asseuerat. Et quidem eorum, qui ad Ecclesiæ gremium reuerterunt, constantiam, mulieris cuiusdam magnanimitas vehementer illustrauit. Hæc cum per vim ab hæretico marito in hæreticam concionem rapta, & maritum de perfidia sollicitantem egregie refelleret, ipsumque nefariæ synagogæ antistitem execraretur; grauiter à marito in facie cæsa est; quam cum iniuriam ac dolorem generose deuorasset, mira deuotionis alacritate ad confessarium aduolat, rem aperit, certoque contestatur, tanto nunquã se consolationis rore perfusam,

fusam, quantam eo tempore hausisset, quo se pro Christi charitate, pro Catholicæ religionis assertione duriter sane vapulasse meminerat: quin adijciebat se grauiora quælibet, imo si offerretur, mortem hoc nomine non detrectaturam. Duæ puerperæ alio in genere diuinâ clementiam sunt expertæ. Cum enim prolixis, ijsque grauissimis puerperij angustijs prope conficerentur: cingulo quodam per contactum Cathedræ Apostolorum Principis sanctificato, cum cinctæ fuissent; derepente auspicatò pepererunt. Porro cum hactenus plerosque Sellensium nostrorum, quamuis inuiti, iniurijs tamen temporum coacti, toleraſsemus hæreticos, nullam interea officij partem in ijs ad Ecclesiam aggregandis omittentes, & nihilo plus adhuc religionis negotium profeciſse videretur: vltima tandem semel experiri visum est. Publica itaque denuntiatione significatum omnibus, qui hæreticorum lustris excedere nollent, nostris possessionibus, ipsoque oppido excedendum: præfixum quoque spatium, nec semel interim ampliatum; quo errorem vel solum verterent: quas vero nonnulli eorum cauillationes, effugia, diuerticula, sub vmbra etiam brachij secularis, quæsierint, nec paucis intelligi, nec explicari potest. Aliqui ergo res suas conuasare, progressui canere, mature discedere; alij conqueri, expostulare, deprecari: non pauci promittendo abitum protelare, furere etiam non nemo, ac minas, quales semidesperabundis fere hominibus excidunt, intendere; alij demum afflatu melioris genij sapere, redire cum Deo & Ecclesia in gratiam, confiteri, & Catholico ritu sacrorum mysteriorum fieri participes. Fuêre qui compedibus ac

carceri mancipati flecterentur, vexatione intellectum aperiente: fuère & qui ijsdem artibus tentati obdurescerent. Denique ne plura: sublata tandem omni procrastinatione, ventum ad catastrophen. Pertinaciorum igitur circiter quinquaginta familiarum capita, vt Lutheranismo non abirent, Sellià abiuerunt: quorum iacturam alij coloni, qui pridem hîc sedem ambiebant, ocyus compensarunt, hoc ipso migrantibus meliores, nobisque gratiores, quo Catholicis sacris vtuntur, & Orthodoxæ fidei sunt addictiores. Confluunt enim ad nos vicini quam libenter, & Selliam quasi in quoddam asylum sese frequenter recipiunt, eo quod Dei & bene merentium de nobis præsidio suffulti, pleraque bellorum grauamina hoc loco declinare se posse non ambigant. Horum vero oppidanorum, qui è recenti hæreseos iactatione portum Catholicæ religionis tenuerunt, numerus initus est patrumfamilias circiter quinquaginta. Quod igitur consequebatur, & ipse Iudex oppidi, & reliquum senatus corpus, quod assessoribus duodecim constat, ex Catholicis merè conflatum est, prohibitis ad id aspirare hæreticis. Antequam porro in electionem mitterentur, ciues suffragia daturi, hymno solenni Sancti Spiritus inuocationem symphoniace præmiserunt, & post renuntiationem, gratiarum actio, festo cantico Deo Opt. Max. persoluta; quod hactenus hic incognitum, sed in posterum vsurpandum, consultatoribus, senatui, populo, totique negotio dignitatem non vulgarem conciliabit. Ad finitimas etiam ciuitates fructu non pœnitendo excursum. Itum aliquoties ad Magnificum D. Christophorum Turzo Catholicum Dynastam

Digitized by Google

Dynastam in Galgotz, qui tum zelo, quo in primis feruet, tum nostrorum instinctus hortatu, nihil vel gratiæ vel potestatis intermisit, quoad duo templa (quorum alterum, nobile sane, ciuitatis est primarium) suæ Maiestatis authoritate, Lutheranis erepta, quasi postliminio ad Catholicos reuocaret. Ibi præter M. D. alioſque concionibus, sacramentis, cæterisque nostræ Societatis munijs institutos, hæretici viginti Ecclesiæ publicitus sunt reconciliati. Habita quoque cum hæreticorum ibi degentium coryphæo, homine non infimæ classis, velitatio, consessu frequenti & totius coronæ approbatione non exigua. Excursum item Comaronium, vbi prima quidem concio, diffluente ad cuiusdam magistelli suadelam populo, prope deserta; secunda frequentiori corona; tertia demum celeberrimo auditorum concursu habita, fructu per aliquot exomologeses ac animarum conuersiones non penitus nullo. Ad ipsa quoque regni comitia cum euocati de more fuissemus, eoque nostros deputassemus legatos, Sacerdos de nostris concionatus est, magna omnium ordinũ frequentia & approbatione. Scholæ numero & ingenijs florent. Accessit hoc anno Sodalitas Virginis assumptæ, eaque admodum R. P. N. Generalis, Claudij Aquauiuæ diplomate confirmata. Diem porro Assumptionis Deiparæ, qui idem erat institutæ Sodalitatis, mirifice ornauit tum Reuerendissimi Episcopi Nitrienſis in gratiam Sodalium publica concio, tum celeberrima scholasticarum exercitationum affixio. In eandem Sodalitatem præter alios inferioris subsellij viros, Episcopi duo præter aliquot Canonicos, alioſque Sacerdotes, nomina dederunt; quibus

Digitized by Google

accedunt alij, nobilitate alijsque præsidijs ita communiti, vt emolumentum magnum rei Catholicæ cum tempore præstare possint. Supellex sacra ornamentis varijs aucta. Libraria item lectissimis vel spiritualium, vel humaniorũ authoribus locupletata. Prædium animalibus ditatum, equis, bobus, ouibus, ducentorum supra mille talerorum precio. Nec tamen res omnes adeo prospere fluxerunt: quin aduersi quippiam eas confricarit. Nam litibus finium herciscundorum causa vexati, militum itu ac reditu crebriori non parum affecti, & exeunte demum anno, communi illa patriæ tempestate perculsi sumus. Quocirca ingruentibus rumoribus, terroribusque in dies latius grassantibus, per mensem ab aperiendo Gymnasio abstinuimus. Inconsultum quippe videbatur non modo nobis, sed etiam regni primatibus, iuuentutis florem in apertum discrimen adducere. Verum rebus secundo diuinæ benignitatis aspectu mitescentibus, optatò tandem studijs solitisque litterarum exercitijs palæstram reserauimus.

MISSIO CASSOVIENSIS.

POSTQVAM S. C. M. à Cassouiensibus hæreticis templum parochiale nobilissimum recepit, quod ab annis amplius quinquaginta profanauerant; voluit per Serenissimum Matthiam Archiducem, mandari litteris R. P. Prouinciali, vt quamprimum ad salutem ciuitatis illius procurandam, concionatores è Societate Germa-

Digitized by Google

Germanos & Hungaros eò mitteret. Directum est illud mandatum ad Illustrissimum Comitem Iacobum Barbianum Belgoiosam, suæ Maiestatis per superiorem Hungariam, Generalem, vt Reuerendo P. Prouinciali è Transyluania redeunti, qui ad visitandos illuc socios profectus erat, offerret. Ergo vigesima prima Februarij anni millesimi sexcentesimi quarti, vix in ciuitatem ingressum Prouincialem ad se Generalis accersit; aperit suæ Maiestatis, & Sereniſſimi Archiducis voluntatem: tradit illorum in scriptis imperium: suo etiam nomine maiorem in modum obsecrat: vt primo quoque tempore huic rei prouideat, & quos alio fine secum è Transyluania eduxerat, ibi relinquat: curaturum se illis omnia, quæ ad victum & amictum necessaria forent: Parochialem domum satis amplam pro hospitio illis daturum: effecturum denique, vt breui etiam scholas cum Collegio obtinerent. Capitulum quoque Agriense, quod ibi Residentiam habet, vbi cognouisset suæ maiestatis voluntatem, & Nostrorum aduentum, tres ex suis ad nostros salutandos misit, rogauitque, vt noster, qui aderat, concionator sequenti die, sacra ad populum è loco superiori verba faceret. Non potuit P. Prouincialis aliud, quam imperio Cæsareo, & tot bonorum virorum precibus obsecundare. Quare relictis ibi duobus, quos è Transyluania secum eduxerat, tertium quoque Germanicum concionatorem post aliquot hebdomadas misit, duosque Magistros ex dispensatione R. P. N. Generalis, qui iuuentutem erudirent, cuius magnus breui numerus sperabatur. Superior primus Missionis fuit P. Petrus Maiorius, vir antiquæ probitatis, qui ex quadra-

Digitized by Google

ginta nouem annis magna sanctitatis opinione transactis, quindecim Rhetoricam, Philosophiã, Theologiam docuit: viginti partim in Gallia, partim in Transyluania nostris præfuit. Præmium laborum vt speramus, accepit tertio Aprilis, quo insigni patientiæ & religiosæ pietatis exemplo, vitam mortalem in immortalem hîc commutauit. Hæresin abiecerunt triginta quatuor, inter quos vnus magnæ nobilitatis capitaneus cum vxore: Alter Bulgrauius Cæsareæ Maiestatis Cassouiæ, cum vniuersa prope familia. Catholici sæpius exomologesi facta (quod semel in anno duntaxat fieri solitum erat) Pane cœlesti refecti. Ter, multis præsentibus arbitris, diuersis in curijs nobilium extra vrbem, cum hæreticis concionatoribus in arenam descensum, & quidem adeo felici successu, vt etiam à suis impij doctores cachinnis exciperentur. Acciderunt aliqua non sine miraculo. Puella Turcica duodennis ad mortem decumbebat, amissa iam loquendi facultate: ad quam vnus ex Socijs vocatus, vt illam sacro fonte ablueret, (nam antè sospes petiuerat) vix abluerat, cum & officium linguæ recepit, & tertio post die valetudinem integram. Famulus primarij viri non ita pridem ex Lutherano Catholici, cum in morbum lethalem incidisset, multis precibus vrsit herum, vt eundem Sacerdotem ad se vocari curaret, quo totius actæ vitę delicta Deo coram illo detegeret, cœlestique pabulo reficeretur. Vix dicta sacramenta perceperat, cum meliusculè habere cæpit; paucos vero post dies sanus fide & animo, corpore etiam conualuit. Paganus quidam, alias Lutheranus, ob ignorantiam (Sacerdotes enim Catholicos tractus ille habet pauciſsimos Hungaros, Germa-

Digitized by Google

Germanos nullos) filium octodecim circiter annorum ad nostros detulit, vt mente turbato suppetias ferrent. Datum illi salubre consilium cum agno cereo benedicto: ita intra paucos dies adolescens rationi restituitur. Pro gratijs Deo agendis, interfuit vterque postea, multo populo præsente, sacro Missæ officio, multis cereis accensis, tanta ædificatione, vt aliqui in hæc verba erumperent: Si verbis nolunt, credant operibus. Hoc felici cursu res Catholica Cassouiensis progrediebatur, cum dæmon facibus inuidiæ succensus, rem omnem inuertit; maxime quod videret intra paucos dies ludum litterarium aperiendum, in quo tenera ætas cum liberalibus disciplinis, religione quoque Catholica imbuenda foret: frequentari viris nobilibus ædes nostras, qui propensum in nos studium multis argumentis, ostenderent, promitterentque breui futurum, vt florentissimam iuuentutem in scholis haberemus. Quare per Iudicem Cassouiensem rem interturbare aggressus est, quem eò non inuitum perpulit, vt mille ciues suis artibus à templo deterreret, auerteret à consuetudine nostra. Nec intra parietes solum Prætoris nefarij furor sese continuit, cum tamen è nostris scholis ante annos nescio quot, Poëta Laureatus prodijsset; sed etiam consilijs nobilium priuatis interesse, rogare maiorem in modum, omnes & singulos obtestari, vt ciuitati Cassouiensi, concionatoribus, templo, Euangelio spoliatæ, manus auxiliatrices porrigerent; excuterent inde in totam prouinciam, serpentem Romani antichristi tyrannidem; contra iura libertatemque regni à Cæsare templum ablatum: concionatores in exilium amandatos: ni mature

Digitized by Google

prouiderent, & causam religionis susciperent, idem ipsis breui quod Cassouiensibus acciderat, euenturum. His turbulentis, & ad seditionem accommodatis obtestationibus consiliisque, indignabundi fremebant hæretici, & solam expectabant opportunitatem, qua & religionem excinderent Catholicam, & de Illustrissimo Generali sese vlciscerentur: quem singularem & Societatis & religionis propugnatorem promotoremque animaduerterant. Iudicis conatus & circumcursationes hunc ad extremum effectum habuere, vt Illustrissimus Generalis *facilius in* castris proderetur ab Haidonibus rebellibus, Germanicique pars exercitus crudelissimè mactaretur. Cum alia, quæ superarat, militum parte, ante perduelles Boczkaianos, Cassouiam, vbi residentiam habebat, Illustrissimus Generalis intrare volebat viceſima sexta Octobris: sed conspiratione, & à S. Maiestate defectione in apertum erumpente, Cassouienses nec portas aperire voluerunt, nec vxorem illius aut Vicegeneralem ad colloquium admittere. Hoc infami patrato scelere, quasi iam de religione sacrosancta triumphassent, ad primam facem, quàm plurimorum Catholicorum, & nostrorum in primis fenestras lapidibus petere, conuitia iacere, de omnium interitu capere consilia. Videbant quidem nostri, quò res breui esset euasura. Sed tamen oratione ad Deum fusa, concluserunt, vt omnes quatuor pro Deo, pro Ecclesia, pro Societatis honore vitam profundant potius, quàm discedant. Ablatis tunc ciuitatis clauibus è manibus Cæsari-vicegeneralis, occupatisque à perduellibus ciuitatis portis, ne quando imprudentiæ temeritatisque nostri accusari

accusari possent; mane sacris operati, Vicegeneralem adeunt, & pro priuata necessitudine sciscitantur, an etiam illo die mens eadem esset Senatus, quæ pridie, velitque ipsos in manus Haidonum tradere, si foras ab ijs petantur, an vero protegere. Cum enim ciuitas patrocinium ipsorum susciperet, nihil curaturos vim externam, libenterque cum ciuitate capita periculis obiecturos, quam diu Maiestati Cæsareæ fidelitas seruaretur. Vicegeneralis respondit breuiter, deliberatum esse ciuibus, vt ad primam petitionem ipsos hostibus tradant, imo S. Maiestatis Officiales, vna cum præsidio militari in extremo versari discrimine: proinde suadere se, vt nostri discedant: hesterna die fortiter se eorum causam egisse, etiamque num laboraturum, vt pacificè dimittantur. Cum vero nostri dicerent se neque currum neque equos habere, tantúmque foris periculum futurum abeuntibus, quantum in ciuitate remanentibus: promittit se non cessaturum, donec à iudice Eperiesinum vsque (ciuitas est quarto à Cassouia milliario) currum & equos impetraret. Quare cum iam omne Cassouiensium consilium haberent nostri exploratum, rogarenturque insuper & vrgerentur ab amicis, vt furori cederent, seseque ad meliora tempora seruarent; mutare deliberationem hesternam sunt coacti, atque ad abeundum se componere, ne Deum tentare viderentur. Præstitit Vicegeneralis fideliter, quod promiserat: impetrauit currum & equos, ea conditione, vt intra duas horas ad egrediendum è ciuitate parati essent, nam postea nemini portas aperiendas; adesseque dicebant cum vxore Generalis abeundi commoditatem, cui, vt maritum

seque,

Digitized by Google

sequeretur, datura esset ciuitas comites aliquot. Itaque vicesima septima octobris, omni populo armato & ad plateas effuso, deducti sunt Patres ad portas ciuitatis: vbi tam tam diu subsistere iussi, donec templi rerumque sacrarum claues adimerentur Reuerendissimo Quinqueecclesiensi. Dum inter armatos egressum opperiuntur, alij ipsos irridere, alij prudentiores & futura animo præuidentes, blandè alloqui & valedicere; aliqui vociferari, vt claues ædis sacræ tradi iuberent: quibus alter è Patribus respondit, se nec adfuisse, quando templum Catholicis restitutum est, nec prælatum esse, qui clauium illius vel curam haberet, vel tradere posset; alter subiecit, se non iussurum, vt tradantur, & si haberet, morte citius oppetiturum, quàm ipsi eriperentur. Aderat horum spectator & auditor iudex, equo insidens, & superbia lætitiaque vix non crepans: cui talia nostrorum superior post salutationem: Domine iudex scire debes, me socioſque meos non nostra voluntate ductos, Cassouiam venisse, sed mandato S. C. Maiestatis & sereniſſimi Archiducis Matthiæ, superiorũ nostrorum: nec me verò vel socium concionatorem pænitet pudetuè, eorum quæ pro concione docuimus, quam diu apud vos commorandi facultas fuit: & parati sumus, quando diuino Numini visum fuerit, pro fide Romana mortem occumbere. Dolemus nos maiores fructus, vti volebamus, apud vos facere non potuisse, & vero etiam libenter laborabimus, manebimusque si iudicaueritis nostram præsentiam è re ciuitatis futuram, modo nos scire facias, an in manus Haidonum nos tradere non velis, quoniam, vt alias diximus, subibimus omnia libenter quæcun-

Digitized by Google

quæcunque contingere nobis in ciuitate poterunt. Ad hæc iudex primo: fortassis traderemus vos; paullo post vero absolutè; traderemus. Subiunxit superior: Ne igitur in maiorem S. Majestatis indignationē incurratis propter nos, (quos huc misit) in manus hostium traditos; vt promissis, bona venia nos dimittatis. Risit iudex & se orationibus nostrorum commendauit, vltimoque dixit, abirent modo, futuros se S. Majestati fideles; nam & huius rei Pater mentionem fecerat. Clauibus interea templi vi ademptis, portaque ciuitatis reserata, Catholicæ matronæ copiosis lachrymis nostris bene precatæ, viri vero ad currum accurrentes, manus & ipsi flentes exosculati, spectantibus hæreticis. Egressi tantum non ad certam mortem (nam in ipsa porta dicebantur, ducenti Haidones iter præuertisse) post duo milliaria ad lunam inuaduntur à tergo ab Haidonibus & Rusticis, magno clamore crebroque bombardarum fragore: expediti desiliunt omnes è curribus viri & fæminæ; abdunt se in dumetis & hortis. Comitibus fuga dilapsis, currus nostrorum quidem euadit, sed vxoris Generalis, diripitur. Postquam clamor cistas diffringentium, & prædam diripientium conquieuit, latronesque cum præda discessisse iudicati: è Patribus vnus prodijt ex dumeto viæ proximo, & reperto quodam Valonum capitaneo, progressi sunt ad currum direptum, quem prædones non auexerant, & clamarunt, vt aliqui ex comitibus à fuga reuerterentur, & vxorem Illustrissimi generalis quærerent. Vix sex vel septem retracti, quibuscum ad eundem pagum redierunt, vnde paullo ante inuasi erant, nullo virorum domi reperto: quorum

agnito

Digitized by Google

agnito familiari clamore, diuersis è locis prodiit vxor Illustrissimi Generalis cum mulieribus, quibuscum ad tertiũ vsque pagum amicũ euaserunt. Saluus ille noster, dum propter absentiam sociorum mæstus ad focum sedet, ecce Sociorum vnus sacerdos se inijcit in domum, ante illum ipsum pagum, in quo fuga dilapsi sese collegerant, vsque ad subuculam vestibus, precatijs globulis & libris spoliatus. Hic Pater, ante commune periculum, remanserat ob sitim in pago: quod illi saluti fuit. Sed cum se tutum putaret, spoliatus est: & nisi linguæ peritus fuisset Hungaricæ, in vado vitam amisisset. Nam strictis gladis, an hostis & Germanus esset, quæritabant; negauit: an Papista, confessus est: sed vt vitæ parcerent, memores fidei Christianæ, rogauit: quod non sine manifesto miraculo obtinuit. Superior missionis adhuc cum fratre magistro aberat, eo maiori periculo, quod neuter linguam Hungaricam vel Sclauonicã teneret. Mane sequenti, dum iunguntur equi, vix spiritum trahens, & luto vsque ad vmbilicum infectus, festinat ad illos etiam P. Superior quæsitus ea nocte, in luto hærens, ab hostibus aliquoties, à quibus vix vno vel altero passu distabat, nec tamen inuentus. Singularis plane Dei prouidentia in illo conseruando enituit. Fugiebat hostem vna cum fratre, quem cum in sepibus; quas transilire tentarat, hærentem expedire vellet, parum abfuit, quin medius hostili gladio diuideretur. Socio liberato, traijcit se & ipse, verum ab insequenti milite vix non proteritur, ita vt priores equi pedes galerum ipsius tangerent. Videns vero hinc inde circumcursantes hostes, nec amplius, anhelitu deficiente, fugere valens, rogauit obnixè Deum,

Digitized by Google

è Deum, vt vel horæ quadrantem concederet, quo ad benè moriendum sese compararet, & simul rarum illudque parum dumetũ subintrauit, vix quatuor vel quinque passus habens: vbi positis humi genibus, iterum affectu magno supplex Deo fuit, vt parumper oculi sicariorum quærentium perstringerentur (nam ibi loci erat, vt vel pomum tanto studio quæsitum, inueniri posset) quod & admirabili Dei clementia factum. Omnes conscientiæ latebras diligenter excutit, veniam peccatorum obnixè petit. Subsecuti latrones, per mediam dumeti semitam, quam transuersim pedes Patris intersecabant, transire tentabant: sed subito quasi terrore perculsi, vix duobus ab illo passibus ad dextram flectunt. Reuertuntur iterum iterumque, & semper frustrantur. Erectus aperto miraculo Pater, uota diuinæ maiestati concipit & nuncupat, fideliter impleturus (si superiores approbarint) si diuina bonitas ipsum tanto periculo exemerit. Latrones quærendo fatigati, & ob prædam, quam in manibus habuerant, amissam, frementes, cingunt totum dumetum, & ad quietem se componunt, ita tamen vt suos haberent vigiles: sed & hi ipsi paullo post somno se dedunt. Pater interea Dominæ Christi parenti, sanctis Apostolis Simoni & Iudæ, quorum peruigilio hæc fiebant, BB.PP. Ignatio & Xauerio sese commendat, tantamque mutationem extemplo sensit, vt non minorem Spiritus consolationem experiretur, quam paulo ante præsentis mortis horrorem. Continet tamen fortiorem halitum, ne adeo vicinis prodatur excubitoribus, vt etiam respirantes illos sentiret; fruiturque spiritus dulcedine quoad potest, et vltimo

Digitized by Google

timo ad fortiter occumbendum animum obfirmat. Cum diutius & tussim & spiritum continere non posset, quibuscum ad duas fere horas luctatus fuerat; tempus adesse ratus, vt imperterritus hostibus se videndum offerret: ad ictus certius excipiendos mortemque citius obeundam, vestem in pectore diducit, ad humeros collare reflectit, & aliquoties signo se venerandæ crucis muniens, absque vllo timore in apertum egreditur: inclamat dormientes vt euigilent, adesse & coram illis stare, quem tanto labore quæsiuissent. Quis hìc non miretur incredibilem Dei Opt. Max. clementem prouidentiam? quis non in depositis rebus in illo spem collocet suam? erigunt aliqui se quasi mente capti, & barbarum nescio quid murmurantes, rursus afflicti solo, lethargo premuntur. Tunc Pater plenus animi, opemque Dei præsentem agnoscens, progredi vult quidem, sed quo, in piscinulam nebula tectam incidens, ignarus viarum, nescit. Quamobrem ad solita confugit præsidia, præmissa oratione ad singulas quatuor mũdi plagas singula crucis signa formare constituit; sed clausis oculis, vt quo caderet vltima, eò se in viam daret. Apertis oculis progressus aliquantisper, deceptusque locorum similitudine, existimauit se Cassouiam regredi, multum exhilaratus; statimque illud mentem subijt: Deum velle, vt quæ Cassouia digrediens tacuerat, redux animo constanti, etiam certo vitæ discrimine, palam ediceret, Sed, vt dixi, viarum similitudine deceptus; Breuiario coronaque B. Virginis insignis, in eos latrones incidit, qui paullo ante vnum è Sociis spoliauerant, hos interrogat, an via illa Cassouiam ducat; illi imprimis toruum intueri,

Digitized by Google

intueri, deinde collatis capitibus mussare, ad necem signum dare. Sed quem Deus eripere vult, quis illum lædere queat? relinquitur intactus, signum illis crucis obiiciens; dicitur illi diuersam esse viam, qua progreditur, à Cassouiensi. Vix tandem, vt supra dicebam, per multas difficultates & incredibilia pericula ad pagum peruenit, vbi duo defuncti periculis constiterant: non comparente ad summam lucem fratre, discesserunt nostri cum vxore Illustrissimi Generalis Eperiesinum versus, quo tandem, magno nostro gaudio, peruenit & ipse incolumis: qui circa meridiem in vrbem ingressi, ad S. Maiestatis Officialem, solum in illa ciuitate Catholicum diuerterunt, qui quatriduo post ab hæreticis miserè peremptus est. Toto reliquo die nocteque solliciti, an cum vxore Generalis Sepusium versus profiscicerentur, an vero deflecterent in Poloniam; omnibus tandem diligenter expensis, tutius iudicatum, vt relicta Domina, quam Haidones continuatis itineribus sequebantur, & in Braniczka, monte infami, latrones plurimi latitarent, in Poloniam irent. Adiuti ab ipsismet Eperiesiensibus hæreticis, equis & curru, vicesima nona octobris peruenerunt ad Bartffensis ciuitatis suburbia. Nam in ciuitatem, quæ defectionem à Cæsare meditabatur, intromissi non sunt. Rogauerunt illo vespere iudicem, vt Cassouienses & Eperiesienses secutus, ad fines vsque Poloniæ curru & equis ipsos adiuuaret. Valuere preces: vltra petita adiunxit aliquot comites, qui viarum obsessoribus sese opponerent, id est, lupi oues contra lupos tuerentur. Animaduersa & in hoc Dei prouidentia. Diffisi paucitati comitum, pro maiori securitate

securitate vicenos præterea Ruthenos conducũt: quod ni feciſſent, ille ſine dubio peregrinationis & vitæ vltimus dies fuiſſet. Nam Ruthenici prædones in finibus Hungariæ & Poloniæ anguſtiſſimas vias ſepibus obſtruxerant, exiſtimantes illac reliquias Germanorum profligatorum fugituras: quò cũ noſtri peruenissent, ecce ex omnibus latebris innumera vis latrontim, bombardis, haſtis, ſecuribus armata, vt ipſos ſpoliarent. Noſtri contra propugnatores ſepes diſijcere, ferreis glandibus; & parmis minitari, & niſi Patres pacificè tranſire permitterent; armis & cædibus ſe experturos: Patres non eſſe germanos, ſed viros probos & pacificos, dicere: quare etiam atque etiam viderent, quid facerent: non ignotos eſſe qui vim facerent (nominatim aliquos appellabant) proindè non impunè illis fore, quidquid innocentibus nocuerint. Ita noſtri per medium circiter milliare inter Ruthenos iter facere, ignari qui amici, qui inimici eſſent. Vbi verò primum Poloniæ pagum attigerunt, licet etiam Ruthenicum, tunc demum reſpirarunt. Denique Cracouiam attigerunt tertia Nouembris: Olomutium decima tertia eiuſdem; ibique Reuerendi P. Prouincialis mandata expectarunt. Hoc miſſionis Caſſouienſis eodem anno principium, eodem exitus fuit.

MISSIO LEVCHOVIENSIS.

MIssio in vrbem Leuchouiam tentata potius hoc anno eſt, quam inſtituta. Occaſio & origo fuit eiuſmodi. Cum Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus

uerendiſſimus regni Hungariæ Vicarius ad ſuam Præpoſituram Sepuſienſem, tribus è noſtris Patribus comitatus aduenisſet, ad eum iudex Leuchouienſis cum aliquot ciuibus acceſſit. His ille mandatum Cæſareum expoſuit de inſtituenda apud illos viſitatione Eccleſiarum. Illi obedientes ſe fore Cæſareo mandato, quandocunque veniret ſua Illuſtriſſima Dominatio promiſerunt. Quo illorum reſponſo contentus Illuſtriſſimus, ratus non eſſe neceſſarium D. Capitaneum Generalem pro auxilio vocare, ſtatuit Leuchouiam, vbi Collegium pro Societate adornabat, proficiſci feria ſexta quæ fuit dies Octobris octaua, quod & fecit: ductis ſecum RR. Orodienſi, Varadienſi, necnon Iaurienſi Præpoſitis, Vicario Sepuſienſis Eccleſiæ, & eiuſdem altero Canonico, tribus Patribus è Societate, cum nonnullis alijs viris Eccleſiaſticis, ac Magnifico D. Chriſtophoro Turſone Comite comitatus Sepuſienſis. Leuchouiam ergo dicta die ad veſperam ingreſſus, nunciat iudici & iuratis, ſe ad viſitationem veniſſe: ideo monere, vt in craſtinum hora ſeptima adeſſent, audituri Cæſareæ Majeſtatis voluntatem. Adfuit Iudex, cum ſex iuratis Senatoribus hora præfixa, quibus Illuſtriſſimus antequam traderet mandatum Cæſareum, exponit ſui aduentus cauſam, verbis non minus grauibus, quam pijs ac paternis, monet, hortatur, vt accepto mandato Cæſareo, ſedulo, accuratè, communitati Cæſaream voluntatem abſolutam declarent, cui ſeſe per omnia accommodare & conformare debeant. Iudex cum ſuis promittit, omnia ſe facturum, additque ciuitatem Leuchouienſem eam non eſſe, quæ ſe Cæſareæ Majeſtatis voluntati opponere auderet: orare ſe

Digitized by Google

cuntaxat Illustrissimum, vt exigui temporis moram indulgeat, quo mandatum Cæsareum, & ipsius met Illustrissimi consilium ciuibus renunciari possit. Impetrauit, abiit, renunciauit. Paullò post reuersus cum ijsdem, quibuscum venerat; petit pro discutiendo mandato Cæsareo quindecim dierum spatium; negat Illustrissimus se dare posse: non enim missum mandatum, vt discutiatur, sed vt effectum detur: nec procrastinationi insistendum, sed expeditæ obedientiæ. Reiecta igitur quindecim dierum mora, octauos duntaxat petunt: deinde ternos. Quos ob prædictas causas, & in mandato comprehensas, minime obtinuerũt, quin hora tertia pomeridiana absque cibo & potu, ad consultandum præfixa, cum solido responso vt redirent, sunt admoniti; quod & fecerunt. Iudex nonnullorum ciuium absentiam obstare dicebat. Illustrissimus contra, præsentes aduocare, & sufficere ad concludendum; maximè cum non dubitet, potiorem partem esse domi, His sic præmissis, iudex ad suos reuertitur; refert Illustrissimi voluntatem, longius ad deliberandũ tempus concedere non posse, nec velle, cum illi prompti obedire teneantur mandato Cæsareo. Hac iudicis relatione audita, vniuersa ciuitas ad arma concurrit, scholam, templum, coemeteriũ, prætorium, plateas & muros, dispositis bombardis, milite complent. Portas ciuitatis claudunt, & sic armata & clausa ciuitate, Senatores ad Illustrissimum cum responso ablegant. Iudex cum triginta septem Senatoribus, & nonnullis plebeijs, responsum nomine omnium refert: in omnibus alijs rebus se Cæsareę Majestati obedientes fore, prętерquam in causa religionis, quam saluis, conscientijs

conſcientijs mutare non poſſent, promittit. Et antequam religionem mutarent, omnes vſque ad minimum priùs mori paratos aſſerit. His auditis Illuſtriſſimus placidiſſimè monet, vt conſilium mutent, cum eos C. M. mori non deſideret, quin potius viuere, & quidem recte ac piè: hortatur tam Hungarica quàm Latina & Germanica lingua, vt ſe Cæſareo mandato accommodent, & imperata faciant. Viderent tempeſtiuè quem aduerſarium haberent, cuius autoritati ſe opponerent; cauerent alijs ciuitatibus liberis præbere rebellionis exemplum; quod tam ipſis quàm poſteris illorum excidij, & perpetuæ calamitatis, niſi reſipiſcant, anſam & occaſionem procul dubio præbebit; meminerint quod hactenus ſemper in gratia ac fidelitate S. Maieſtatis perſtiterint: nunc neſcitur à quo malè perſuaſi, ad interitum voluntarium cæcè ruerent, nulli plus damni, quàm ſibi ipſis illaturi. Pia & planè paterna cohortatione, apud induratos in perfidia homines, nihil efficere ſe poſſe videns, inuitus deſcendit ad proteſtandum coram capitulo, & Comite Sepuſienſi, de manifeſta eorum rebellione & contumacia. Facta proteſtatione, ſemel atque iterum obnixè petijt, vt depoſita cordis duritia, paternè monenti, Cæſareo ſeſe ſubmitterent mandato: quo (niſi parerent, gratiam, priuilegia, & omnes libertates amitterent) ſeuerè præcipiebatur, vt obedirent Illuſtriſſimi diſpoſitioni. Sed in caſſum laborauit. Nam iterum ab ijſdem acclamatum eſt, ſe ad vnum mori malle, quam imperata facere. His auditis, Illuſſiſtrimus nomina præſentiũ conſcribi per Capitularem hominem iubet. Negant illi nomina ſe ſua daturos, ſed totius communita-

Digitized by Google

tis hanc esse vnam & absolutã sententiam. Instat Illustrissimus pro consignandis eorum nominibus. Nonnullis notatis, reliqui pertinacissimi sua manifestare nolunt, tumultumq; ciere instituunt. Illustrissimus placidissimè eos semper admonens, nil proficit, donec tandem iudex capiendi consilij cum suis, & ad partem secedendi, ab Illustrissimo facultatem petijt. Illustrissimus in eodem hypocausto facere posse annuit. Iudex dum liberius egredi tentat, recusante Illustrissimo, ad ianuam cum suis properat, iuuene, ianuam tenente, ne plures, quam deberent, ingrederentur, per vim amoto: ianuam quoque ipsam ex cardinibus excutiunt, & in terram deturbant, stupentibus & admirantibus omnibus, qui aderant, ob indignitatem & tantam audaciam. Vix ianuam egressus iudex cum quibus venerat, clamore signum dat suis, iam ante vbique dispositis: & ecce crepitantium lapidum imber in fenestras, vbi Illustrissimus cum Comite insederat, defertur; alij scalas fenestris admouendas clamitant: alij portas hospitij perfringere festinant, quibus famulorum Illustrissimi non facile cessit pro suo hero tuendo alacritas. Et nisi ipse Illustrissimus per suos à loco, in quo consederat, remotus fuisset, non potuisset lapidum ictus declinare, vti non potuerunt eius & Comitis familiares, qui fenestris erant oppositi. Dum hæc ad hospitium Illustrissimi à furente multitudine geruntur, Domini quoque Tursonis hospitium sua patiebatur incommoda, in illud enim aliquot bombardæ explosæ, vnius globus aurigæ vestem in pectore traiecit, ipso illæso: globus in parietem delatus, postea, præsentibus authenticis testibus, exemptus, armigero gladio vulnus

vulnus in fronte inflictum; magister curiæ homo nobilis & grandæuus in humero lapide grauiter ictus. Vndique clamor, vndique armati ciues, ad internecionem omnes Illustrissimi & Comitis assectas delendos perstrepebant. Interea iudex cũ aliquot suis ciuibus domũ egressus, manu silentiũ furenti multitudini indicit; sedat paulatim tumultum, deinde ad Illustrissimum reuertitur, veniam ab eo petit; se non esse in causa, nec suos. Illustrissimus omnem ei rei gestæ seriem adscribit, eo quod prius curasset armari ciues omnes, quàm responsum daret: cuius etiam non obscurum argumentum erant milites vbique dispositi, & portæ ciuitatis clausæ toties, quoties responsum dabant. Vrgebat Illustrimus spretæ Cæsareæ Majestatis authoritatem, & sibi tanquam Regio locum tenenti, cum Cæsareo mandato venienti, illatam violentiam, quã sub nota infidelitatis, de lege regni, vel vni minimo nobili in executione non licet inferre. Iudex cum suis, tanquam facti pœnitens, iterum ad deliberandum & rem maturiùs considerandam tempus sibi concedi petijt, & obtinuit. Nec tamen interea suos ab armis discedere iussit. Nam centum externos armatos ad vesperum auxilio aduocauit; scholas, templa, cæmeteria, fora, muros armatis muniuit. Aderant etiam eodem tempore ex alijs liberis ciuitatibus nuntij, & ex tredecim oppidis Regi Poloniæ oppignoratis; siue pro auxilio & consilio aduocati, siue voluntarij venerint, vt viderent quo modo Leuchouienses se gererent, quo similiter & ipsi sibi consulerent. Non defuere etiam ex prædictis ciuitatibus hæretici concionatores, quos Leuchouienses, quoties ad Illustrissimum cum re-

Digitized by Google

ſponſo redire debebant, prius conſulebant. Acceptam ab Illuſtriſſimo diem pro conſultando, ad reſiſtendum potius, quàm ad parendum ſeſe comparabant. Redeunt vndecimo Octobris, reſponſum Germanico idiomate, ſcripto comprehenſum, ſtylum & ſpiritum concionatorum redolens, referunt; quod antequam Illuſtriſſimo exhiberent, iudex nomine omnium ciuium iterum ſe ac ſuos, omnibus in rebus Cæſareæ Maieſtati obedientes fore denuntiat, hac ſola religionis cauſa excepta; iterumque repetit, malle omnes ad vnum mori quam ea facere, quæ mandato Cęſaris continerentur. Illuſtriſſimus iterum paterno affectu monet & hortatur, vt ſalubrius conſilium ineant, neque ſe ac ſuos tam temere ac pertinaciter perditum eant. Sed fruſtra: etenim iam pridem facta conſpiratione cum alijs ciuitatibus, & ſuperioris Hungariæ nobilitate, decreuerant potius arma capeſſere, quam hæreſim abijcere. Viſa hac contumacia, Illuſtriſſimus iubet aduocari ſauciatos in priori tumultu, ſaxa in feneſtras & in homines proiecta, globum in aurigam D. Turſonis exploſum, tum Deum & omnes ſanctos inuocans, facit proteſtationem, nullam ſe dediſſe anſam rebellionis illorum, quam toties admoniti deponere noluerunt. Proinde Capitulum Sepuſienſe, & omnes præſentes in teſtimonium aduocat, & proteſtatus coram illis, ciues contumacia ductos, rebellionem contra Cæſaream Regiamque Maieſtatem feciſſe, primoſque illos inuentos, qui ſe S. Majeſtati tam pertinaciter oppoſuiſſent; proinde viderent, cuinam ſe oppoſuerint, quæ mala illis imminerent: Ex ſuperabundanti adhuc ſemel eoſdem interaogauit, an Cæſaris

Digitized by Google

Cæsaris mandato obedire velint; templum aperiendo, monasteria tradendo, hæreticos eijciendo, bona Ecclesiæ tam mobilia, quam immobilia illi manifestando: ad omnia sigillatim negatiuè responderunt. Quibus auditis iterum Illustrissimus protestatus est de tam aperta rebellione, de facta sibi iniuria, de portis ciuitatis clausis, tanquam contra aliquem facinorosum publicè condemnatum: de armatis ciuibus & externis aduocatis. Quæ omnia notam infidelitatis de iure regni, contra talia facientes, afferre solent, si se vel vni Nobili aut Capitulari homini, cum mandato iudicis alicuius ordinarij opponant; quanto magis Regio regni Vicario, Cæsaris mandatum exequi volenti? Hæc fuit tota tragædia ciuium Leuchouiensium, qui cum alijs ciuitatibus & nobilitate conspirarunt pro defendenda hæresi. Illustrissimus & Reuerendissimus spretam Cæsareæ Majestatis authoritatem, & suam iniuriam iuridico processu vindicare conabitur. Nec tamen quicquam de suo proposito remittere cogitat, sed omnibus modis conabitur nostros in ciuitatem inducere, & bona Ecclesiastica à se redempta nostris assignare.

MISSIO SOVARIENSIS.

CVM virorum aliquot nobilium rogatu, tum vel maximè Generosi D. Christophori Soos de Souar, nuper à Caluini sexta conuersi, missus est Souarium (id pago nomen in Hungaria superiori) Calendis Decembris anni millesimi sexcen-

Digitized by Google

teſimi tertij è Societate noſtra Sacerdos, qui & dominum ſuſceptæ religionis myſteria plenius edoceret, & populum ab annis quinquaginta in hæreſim prolapſum, diuina operante gratia, ad Eccleſiam reduceret. Quod effecit ſanè quam feliciter. Totus enim pagus ſeptem menſium ſpatio auitam fidem recepit, exceptis paucis, qui à nobili vidua, inſtigante procul dubio Caluinianæ ſectæ miniſtro, quem illa in ſuis ædibus alebat, graui conſtituta multa, prohibebantur. Præter binas conciones, quarum altera Slauonico, Hungarico idiomate altera, matutino tempore inſtituebatur, doctrinã Chriſtianam, diebus Dominicis à meridie Sacerdos noſter tradebat, alternas præcinentium puerorum voces populo excipiente. Ad conciones ex alijs quoque pagis confertim confluebant, & ex oppido Eperieſienſi vicino, cuius haud exigua pars ad Eccleſiæ ſanctæ gremium facilè redijſſet, niſi magiſtratus hæretici publicum edictum interceſſiſſet, quo ad conciones Catholicas excurrere palam (nam vt nemo clam excurreret inhiberi non potuit) oppidani vetabantur. Souarienſes interea miniſtrorum ſuorum fraudes ſenſim agnoſcere, ac in publicis congreſſibus paſſim iactare, neque cultorem idolorum eſſe Sacerdotem noſtrum, neque vllam veri ſpeciem præ ſe ferre ea, quæ in Catholicos Miniſtri effutire pro concione conſueuiſſẽt. Gratis etiam animis illud commemorare: ex quo die (fuit is D. Marco Euangeliſtæ ſacer) peruetuſto Catholicorum more, per agros & fata ſolennis ſupplicatio inſtituta fuiſſet, tam largam cælitus diuinæ benedictionis copiam deſcendiſſe, vt in ſolo, ab hominum memoria ſatis ſterili, tam lætæ ſegetes

ſegetes repente exſtiterint, quæ vicinorum pagorum ſegetes, magna omnium admiratione ſuperarent. Itaque vt ne ingratos erga diuinã maieſtatem ſeſe exhiberent, centum hæreſim eiurarunt, duplo plures cum Deo eiuſque Eccleſia in gratiam redierunt: quorum alij Sacramenta ritu Catholico nunquam perceperant, alij nomine ſolo Catholici, multis annis eorundem vſum intermiſerant. Nec in animorum duntaxat erroribus, & maculis expiandis, ſed templo quoque, quod in ſtabulum parum religioſi homines conuerterant, repurgando exornandóque laborandum fuit: in quo, locus areæ maximæ vicinior pauimento ſtratus, reliquum ſpatium complanatum, eiectis ac ſolo æquatis monumentis, quæ in medio templo, altarium inſtar, conſtructa fuerant. Feneſtræ quoque ac ſedilia renouata: ac denique ære campano templi turris aucta. Ad hoc templum energumena quædam, reclamantibus licet, bonorúmque omnium iacturam minitantibus Miniſtris, Eperieſino à ſuis conſanguineis adducta fuit. Vix limen contigerat, cum eam dæmon illico terræ afflixit, modiſque miſeris excruciauit; quod totius corporis tremor, ac fædè diſtorta facies ſatis conteſtabatur. Verum adhibitis per ſacerdotem noſtrum conſuetis in Eccleſia exorciſmis, ab immundo ſpiritu liberata eſt, ſanaque mente ac corpore ad ſuos redijt. Huic non eſt abſimile, quod cuidam alteri ex eodem oppido hic quoque contigit; quæ cum Lutheranis miniſtris imbellem audaciam exprobraret, neque ſe niſi in Souar apud Catholicum Sacerdotem, liberatum iri prædiceret, piorum hominum

ope

ope clam omnibus & cognatis ministris, qui ne tale quid fieret, seuerè interminati fuerant, eodem prorsus, quo prior, euentu huc deducta fuit. In eadem ciuitate vir fuit, honesto apud suos loco fortunaque non mediocri, natus annos circiter sexaginta: infestabatur quoque is à dæmone; sed qui opem illi à Catholicis imploraret, reperiebatur nemo, quod pelli scilicet ciuitate nemo vellet: ad eum tamen cum noster casu quodam diuertisset, hominemque miseratus, ad fundendas preces pro misero, & manibus pedibúsque constrictis, quò facilius ab hominibus aliquot robustis teneretur, in lintrem coniecto sese accingeret; sedato ille, conuersóque ad sacerdotem vultu, obsecrare cœpit; sibi molestus esse ne inciperet. Neque sanè diutius apud eum morari licuit, quod concurrente vicinitate, res vergeret ad tumultum. Breui igitur ad Deum oratione fusa, re, vt videbatur, infecta, discedendum ab energumeno fuit; agnouit tamen ille nostrum Patrem, abeuntique ex domo, comites ne deessent (periculi, an officij causa) suos admonuit. Post abitum, aquam ei lustralem, vna cum thure consecrato Pater misit, quorum ille beneficio meliusculè habere visus, post dies aliquot hanc vitam cum altera commutauit. Eodem in oppido puer nocturnis spectris territus, horrore ei, quem caducus morbus afferre solet, persimili, absque intermissione concutiebatur: Parentes consilij inopes, suasu quorundam ad Ministros adeunt, auxilium petunt: illi neque se medicæ artis gnaros, neque hisce temporibus, amplius ab Euangelio miracula quærenda esse, frustra prætendentes, importunis precibus eo tandem redacti sunt, vt ad superstitiosa confugerent:

Digitized by Google

confugerent: nos, inquiunt, initium Euangelij S. Ioannis exarabimus: tu Souarium deferto, & sub ipsa aræ mappa, in qua consecratur Corpus Domini, ponito, nec priusquam re diuina ter peracta, inde tollito, ac demum de collo pueri appendito: sic morbo liberabitur. Quod consilium nisi vir quidam Catholicus detexisset, tentatum omnino fuisset. Sed ad Nostrum redeamus: qui preter ea, quæ hactenus dicta sunt, etiam grauioribus morbis, atque inter eos caduco laborantibus, varijsque ex locis ad eum idcirco adductis, fusas ad Deum preces, & aquam benedictam, exoptato prorsus euentu, adhibuit. Eadem aqua ad duo Hungarica milliaria transmissa, illusiones ac terriculamenta dæmonis disiecit & fugauit. Author præterea extitit sacerdoti cuidam, manifesto concubinario, qui turpi mulierculæ amore victus, non verbo tantum, sed & scripto in corona Ministrorum abnegata fide, in Caluini hæresim consenserat; vt defuncta pellice, ad Ecclesiam, & quidem magna doloris significatione reuerteretur. Auctor quoque fuit ministris hæreticis sexaginta, eoque amplius, vt abiectis erroribus, Orthodoxam fidem amplecterentur. In quibus cum essent nonnulli, qui ambigerent quid de vxoribus liberisque suis facturi essent; retineri illas debere læti audiuerunt: posse tamen conciones ad populum tantisper eos habere, dum in eorum paræcias legitimi Sacerdotes successissent; sed præmissa coram populo, iuxta Concilij Tridentini decreta, publica fidei Catholicæ professione. Ex hac Missione excursum fuit ad Magnificum D. Stephanum Petheo in Stropco, vbi magno hominum nobilium concursu duæ funebres

conciones

conciones diuersis temporibus habitæ, inexpectata multorum ad fidem conuersione. Apud Magnificum quoque D. Georgium Homonay, qui non ita pridem ex hæreticorum castris ad Catholicos transijt, frequentibus concionibus, multi ex eius familia in religionem Catholicam redditi propensiores. Ibidem sacerdos externus, quo noster veluti socio in missione Souarienſi vsus fuerat, relictus; tum vt templum, quod D. Homonay magno sumptu restaurabat, haberet parochum; tum ne Dominus ipse quotidiano Missæ sacrificio (caruerat enim sacellano) destitueretur.

MISSIO LICZCANA.

CVM Illustrissimus ac Reuerendissimus Archiepiscopus Colocensis, idemque S. Cæsareæ Maiestatis in Hungaria, vt vulgo appellãt, locumtenens, diu multumque versaret animo, qua ratione Liczca, oppidum ad Sepusienſem præposituram spectans, ab hæresi Caluiniana, à qua priusquam discederent, mortem oppetituros potius, aut certe ciuitate omnes ad vnũ excessuros, iactare consueuerant oppidani, perpurgari posset: impetrauit tandem à R. P. Prouinciali die decima sexta Septembris ex Missione Souarienſi sacerdotem, cui socium adiunxit vnum è Collegio Canonicorum Sepusienſium, qui parochialia obiret munia, simulque modum ac rationem addisceret, palantes ouiculas ad Christi ouile reducendi. Præmissus hic triduo ante in oppidum

Digitized by Google

dũ cum officiali & procuratore ciusdẽ oppidi, vt paræcialem domum rebus ad inhabitandũ necessarijs instrueret, turbata omnia reperit, Ministro Calniniano tumultum populi concitante. Quæ res in causa fuit, vt Illustris D. Ladislaus Petheo, qui tunc oppido pro Illustrissimo fratre, cũ potestate prẽerat, necesse habuerit non absque armata manu, Sacerdotem nostrum eò secum adducere, conuocatóq; populo, susceptí pro communi omnium salute consilij rationẽ publice reddere. Cuius oratione, verbis graui, rationibusque perquam efficaci, ita fracti oppidanorum animi, vt coniurationis inter se initæ; ac die sabbati prẽterito etiam sacramento, teste & authore Caluinianę sectę ministro, in templo confirmatæ, obliti, futurã paullo post concionem pacatis saltẽ animis prẽstolarentur; maxime quod denuntiatum illis esset, nullius conscientiam coactũ iri: si quid contra Deum, vel à fide alienum audiuissent; finito sermone, integrũ vnicuique fore, cum concionatore de eo libere conferre. Mulier tamen extitit genere nobilis, quę publico foro in has voces erumpere auderet deóq; gratias agere, quòd maritus suus domi nõ esset, ne concioni Papistę interesse cogeretur. Ego vero, inquit, domũ redibo morbumque simulabo, neq; concionatorem hunc idolatram audiã. Iuit, lectũ petijt, ac paullo post æris campani signum, quod prę concione dabatur, exaudiens; Vtinã, ait, huiusmodi sonus ad meas aures nunquam perueniat deinceps! Vix hæc protulerat, cum horribili voce, Morior, morior, exclamat, accitaque sorore testamentũ cõdere voluit, sed ęgre tria verba quatuorue prolocuta, infelicem animam exhalauit. Emanauit repente hic rumor, tantúsque timor pleroſq; inuasit,

inuasit, vt alia vi opus non fuerit, qua obstinatiores cogerentur ad concionem. Hanc verò tanta mutatio populi, & animorum perturbatorum tranquillitas subsecuta, vt omnes vna voce protestarentur, satisfactum sibi esse, modò, vt cœpit, ita pergeret: putida mendacia esse, quæ de Catholicorum idololatria (nam hoc argumentum concionator attigerat) à suis Prædicantibus accepissent. Vnus è præcipuis erat oppidi Senatoribus, qui, cùm ad Illustrissimum Locumtenentem, in causâ religionis legatus à suis mitteretur; ne sacerdotem nostrum, casu ita ferente, preterire ac salutare cogeretur: arrepto ex tempore consilio, in domum proximam, quasi negotium aliquod acturus, præpropere se coniecit, ibique delituit, quoad præteriisset noster: qui rem animaduertens; Hic homo, ad Socium inquit, quicúnque sit, aqua indiget lustrali. Verum hic ipse, ab Illustrissimo locumtenente postero die reuersus, concionem audiuit, auditam tantopere probauit, vt nullam deinceps audiendi occasionem intermiserit, corámque Senatu protestatus fuerit; impostores esse Prædicantes. Iam non solùm oppidani, sed & vicinorum pagorum incolæ ad fidem Catholicam amplectendam, profitendámque palam inclinabant: cum ecce Boczcay, Satanico planè consilio, eodem tempore, aduersus Deum, religionem, Cæsarem, patriam, bellum ex improuiso mouet; se ipsum Turcis ac Tartaris Christiani nominis hostibus, infausto omine deuouens. Cum essent periculorum plena omnia, suasere nonnulli, qui erga nostrum fideliori fuerunt animo, cederet ad tempus Haidonum furori, quorum ex numero aliqui iam in oppido conspiciebantur

ſpiciebantur, certam ad necem Sacerdotes omnes conquiſituri. Ille igitur, vt primùm ſupellectilem, quam habebat, in tuto collocaret; Tocainum, vno ab oppido milliari diſſitum, ſecundo flumine proficiſcitur. Sed nauta, quod poſtea patuit, corruptus à malenolis, nauigium de induſtria ducit in eum locum, vbi multi mortales perierant; nec admonitus vitare periculum voluit, bono Patrem animo eſſe iubens. Interea Patre iam nihil mali ſuſpicante, neque à prora (ſedebat enim in prora) quid alter in puppi ageret, conſpiciente, præcipitem ſe ipſum, vt nando euaderet, in profluentem dare parans, in certum vitæ diſcrimen Patrem coniecisſet, niſi ille, Deo ita diſponente, manu ramum ex ingenti arbore propendentem forte fortuna apprehendiſſet, atque ita conatum perfidi, (vt ipſemet cuidam Patris familiari faſſus eſt) hominis eluſiſſet. Verum cum nec Tocaini quidquam tuti reperiſſet, mox ad ſuos reuertitur. Vbi diem tantum vnum commoratus, quod iam cædes paſſim miſcerentur, impetrato à iudice curru, ad generoſum Dominum Franciſcum Allagy, ſingularem in illis locis Catholicorum Patronum, iter ſuſcipit. Vix medio ab oppido milliari digreſſum, decem à tergo Haidones adorti; Papiſta ſceleſtus eſt, inquiunt, mactetur. Ego verò, reſpondit Pater, non tantum papiſta ſum, ſed & ſacerdos, & Ieſuita. Hanc ipſam igitur ob cauſam, ſceleſte, aiunt illi, primum caſtrabere, ac deinde trucidabere. Hęc ingeminabant furentes, ac ſimul eum ad necem rapiebant. At ille de capitaneo ſolùm placido vultu rogitans, ad eum ſe proficiſci velle aiebat. Quibus auditis, mutarunt illi repente conſilium, incolumémque dimiſe-

runt;

Digitized by Google

runt. Duo in hoc facto admiratione digna accidere, quæ puer, qui cum noſtro erat, ſe obſeruaſſe affirmauit: primo, eum qui primus ad currum aduolabat, repentino impetu corruiſſe in terram, nec ante ſurgere potuiſſe, quam ſocij ſceleris Patrem reliquiſſent: Alterum, nulla vi falcatum tum enſem educere valuiſſe è vagina, tametſi vtraque manu tentaſſet. Conductos ſe ad necem Patris fuiſſe à quibuſdam Liczcaienſibus, ipſimet poſtero die falſi ſunt, inſtigatoſque præterea à mercatoribus, Tocainum (quod illic futuræ eſſent nundinæ) petentibus, ac malum pro bono reddentibus. Eoſdem enim cum noſter obuios habuiſſet, Chriſtiana charitate motus rogarat, ne manifeſto periculo ſeſe obijcerent: omnia illa, ad quæ pergerent, loca, tumultibus eſſe plena; maxime Tocainum, vnde ipſe nudiuſtertius exiuerat. Sed contempſerunt illi ſalutaria monita, magno ſuo malo; nam eodem pænè momento temporis; duobus duntaxat è triginta exceptis, vitæ ac mercium iacturam fecerunt. Noſter vero ſacerdos è manibus Haidonum elapſus, ad virum quendam nobilem paululum de ſuo itinere deflexit, à quo preterquam quod tribus diebus perhumaniter ſit habitus, etiam in digreſſu, currum, quo commodius, & famulum, quo tutius cœptum iter proſequeretur, accepit. Tranſeunda enim fuit ciuitas, in qua, qui Patrē de ponte in flumē deturbarent, parati eſſe dicebantur: tranſiuit tamen illæſus, quamuis armis perſonarent ſuburbia, & Boczcaianorum Haidonum vexilla ibidem volitarent. Euaſit & aliud periculum à tribus equitibus non multum à ciuitate progreſſo intentatum: ac tandem ad D. Allagy ſaluus, ſed necdum ſecurus peruenit

uenit. Nam insequenti nocte nuntiabatur hostes Tibiscum transisse, ac proinde lucem præstolari tutum non esse. D. itaque Allagij, rebus cæteris, vt potuit, compositis, vxorem in tutiorem locum ablegat; ipse cum duobus è D. Franciſci familia Patribus, quorum opera, in reuocandis ad pristinam religionem subiectis ditioni suę hominibus, aliquot annis vsus fuerat, & cum nostro sacerdote, Cassouiam versus contendit, sperans fore, vt Illustrissimo Generali, quem iam nouas copias habere ibidem putabat, iungeretur. Verum aliter cecidit. Paulo post enim transfuga deprehensus, qui, per nocturnas tenebras, exploraret quid D. Allagij ageret, quouè iter suum intenderet. Cognitum præterea fuit, arcis, & pagorum omnium ipsius alium dominum, Blasium videlicet Lipay, à Boczcaio iam designatum esse: & quod præcipuum erat, Cassouiam ab Haidonibus occupatam. Quid igitur in re tam ancipiti ageret? vela nimirum vertit: Religiosos, quos secum habebat Læsium, vbi sacerdotes aliquot degebant, deducit; ipse ad suos reuertitur. Sacerdos vero noster Iaroslauiam tandem venit: vbi fraterna nostrorum charitate recreatus, vnius hebdomadę spatio quieuit. Inde Cracouiam profectus, non tantum singulari domesticorum humanitate ac beneficentia vsus; verum etiam diligenti medicorum cura in graui ægritudine, qua mensem integrum laborauit, subleuatus, tandem Olomutium, ipso peruigilio Natiuitatis Domini, in suam prouinciam redijt.

Digitized by Google

RESIDENTIA TV-ROCIENSIS.

NOTATÆ sunt centum triginta confessiones totius vitæ, partim ad gremium Matris Ecclesiæ redeuntium, partim plures annos in rationes conscientiæ reducentium. Copiarum militarium frequens transitus, non mediocriter nostrorũ exercuit patientiam. Ex iis Catholici quidam, sese ad futura belli pericula, pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis, in sacra æde nostra munierunt. Qua re factum est, vt Wallonum & Rascianorum duces, cum fugerent Haidonum coniuratam manum (quæ se in superiori Hungaria contra legitimum Regem, Germanos atque Catholicos, electo suæ sectæ Caluinianæ defensore Stephano Boczkaio, erexit) eisque in Turociensi comitatu nobiles Lutherani, Societatis IESV hospitium assignarent; ipsi ne nostris subditis Catholicis oneri essent, in alia comitatus loca diuerterint cum suis copiis. Excursione Nedezium (pagus est Catholici viri, distans tribus quatuorue milliaribus) festis Resurgenti Christo dicatis, sacerdos vnus plures centum excepit confessiones, quarum multæ de tota vita fuerunt, iam primùm nuper conuersorum ad fidem Catholicam. Hic senis cuiusdam Zolnensis pietas insignis extitit, quem neque ministri hæretici furiosæ pro concione inuectiones, neque pecuniariæ multæ à suis ciuibus irrogatæ, neque carcer intentatus, neque periculum capitis à veritate Catholicæ religionis auocare potuit. Eandem laudem obtiuit iuuenis

Digitized by Google

iuuenis à noſtris inſtructus, quem Prædicans Zolnenſis & parentes tum minis, tum varijs pollicitationibus fruſtra à ſuſcepta fide dimouere conati ſunt. Acceſſit domui noſtræ portio agri, quam vicini iuiuria poſſidere volebãt, iure recuperata, non contemnendo fructu reditus annuos auctura. Pagus noſter Salca, quem anno præterito ex Lutheraniſmo cœpimus extrahere, ex illa fœtida lacuna hoc anno penitus emerſit, omnibus vtriuſque ſexus hominibus ad Sacramenta legitima perductis. Opus hoc ex fundamentis non ſolum Salcenſibus, & eorum vicinis, ſed etiam noſtris iter agentibus diuinorum officiorum cauſa, perquam neceſſarium exurget. Sacerdos è noſtris duobus fere menſibus operam ſuam fructuoſe in caſtris collocauit, Sacramentis miniſtrandis, ægris, vulneratis, & pauperibus viſitandis; omnibus in vtroque homine pro facultate adiutandis. Tentorio eius hoſtilis tormenti ictu dilacerato, ſingulari Dei prouidentia conſeruatus eſt incolumis: eius interceſſione duo vinculis liberati, duobus iam condemnatis, & per confeſſionem ad mortem comparatis, vita donata. Dux addictus gladio in ſummam animi deſperationem venerat: at vbi peccata ſua, bis repetita confeſſione, coram ſacerdote euoluit, magno & conſtanti animo ceruice gladium excepit. Is omnem ſupellectilem ſuam, dum ad luendum ſupplicium iret, vſque ad induſium pauperibus coram omni multitudine diſtribuit; ab omnibus venia petita, in Dei laude & fidei Chriſtianæ confeſſione, orationibus factis, & cruce ſeſe muniens, altiſſima voce Dei, B. M. Virginis ac omnium ſanctorum auxilium inuocans, anima Deo commendata,

Digitized by Google

magna omnium adstantium laude & ædificatione vitam finiuit. Iuuenis ab ineunte ætate Lutheranus, videns nonnullos Catholicos pœnitentiæ & Eucharistiæ mysteria frequentantes, Sacerdotem adit, eumque his fere verbis alloquitur; Domine, nos Lutherani nunquam benè confitemur, & tamen plurima mala facimus, licet semper in periculo mortis versemur. Hodie cadit iste globo ictus à Turcis, cras alius, vel plures: posset etiam mihi hoc contigere: ideo te rogo, Domine, audias meam confessionem, volo enim viuere, & mori in posterum *Catholicus*. Tum magna sui animi recreatione, facta confessione; En mea manus, inquit, scias me imposterum Catholicè victurum ac moriturum. Quod referam, altero anno gestum est, sed hoc anno in castris relatum. Quidam magno genere & dignitate Comes, natione Germanus, insigniter Lutheranus, cum in Sanctissimam Eucharistiam, & Beatissimam Virginem, indignissima quæque & fœdissima protulisset, sibi à Deo celerem pœnam optauit, si sua fides vera non esset. Non distulit Deus vltionem; falsitatem eius fidei, impietatémque linguæ eodem die Catholicis testatam reddidit. Nam correptus est peste, & die sequente impiam animam euomuit, neminem ex exercitu Morauico (in eo enim fuerat) ea lue violato.

MISSIO

Digitized by Google

MISSIO TEPLANA.

TEPLA pagus est in Comitatu Lyptouiensi non contemnendus, in qua sacerdos è nostris decem menses desudauit. In eum Catholica religio illata: parochia cum templo ex manibus Lutheranorum erepta, non sine periculo vitæ, concurrentibus ad arma aduersarijs; confessiones ad Ecclesiam redeuntium centum octoginta & plures auditæ: cerimoniæ Ecclesiasticæ reductæ: infirmi adiuti; sacerdos Catholicus ex nostra parochia Slechensi, renouatæ Teplensi Ecclesiæ datus; in eius locum Slecham misso sacerdote altero, Alumno nostro, cuius primo sacrificio Prorex Hungariæ, cum ex itinere domum nostram diuertisset, in festo omnium sanctorum interfuit, admiratus frequentiam hominum, diuinas epulas ex noui Sacerdotis manu capientium. Hanc missionem multis precibus impetrauit Teplæ Dominus Gaspar Horuat, vir Catholicus ex Ariano, Transyluanicæ nobilitatis, Dux Aulicorum peditum Sigismundi III. Regis Poloniæ: iuuit sumptu ornando Ecclesiam, laboribus & periculis promouit, ac per sacerdotem nostrum perfecit.

Digitized by Google

COLLEGIVM CRVMLOVIENSE.

EST Crumlouij florens sanctæ Claræ sanctimonialium cænobium. Huic nomen dederat virguncula bono loco nata. Hæc quanquam sacris necdum de more vestibus ad tyrocinium initiata; multum tamen in cantu, scriptura, & reliqua sacra disciplina profecerat; cum eam fæda & admodum pertinax tabes corripuit, adeoque ad omnia inutilem reddiderat, vt vix incedere, ac respirare posset. Adhibitæ sunt medicinæ, sed frustra, tandem, vt in re desperata, confugitur ad votum Beatissimæ Dei Genitrici Caiouium, quod templum vnius horæ itinere distat Crumlouio; rogatur vnus è nostris, qui votiuum istic faciat sacrum. Quid multa? dictum factum, virgo conualuit, nec ita multò post sacro habitu, quem morbus retardabat, induta, hodiéque strenuè tyrocinium prosequitur. Latuisset hoc Deiparæ beneficium conclusum monasterij silentio, nisi persimile quiddam propiùs nos attingens, in lucem illud protulisset. Frater vnus è nostris, absoluto Viennæ Philosophiæ curriculo, in ipsa quasi meta, tabe infesta correptus, huc tanquam ad ægrorum asylum mittitur. Tres ipsos menses sub medico erat, eo profectu, vt superante omnia remedia malo, ad euitandam contagionem à cæterorũ conuictu fuerit seiungendus. Ita periclitanti, venit in mentem Beatissimæ Virginis Caiouiensis patrocinium quærere: id primo per alios implorabat, qui isthuc ineunte Octobri Sabbatis, quæ propter

propter celeberrimum populi concursum Aurea vocantur, se conferebant: statimque eadem nocte magnum sentire visus est morbi leuamen. Incessit ergo cupido, vt ipsemet etiam eandem opem coram efflagitaret: sed morbus vsque adeo corpus iam ac vires omnes demolitus fuerat, vt, quod maximè cupiebat, pedibus iter illud sine euidenti periculo conficere posse, nullo modo, omnium iudicio, existimaretur. Ne tamen votum penitus in irritum recideret, quæsitus est currus, quo ad ædem Caiouiensem deueheretur: vbi de curru res foris innotescit; contulerunt se eodem piæ aliquot matronæ, in quibus erat, quæ puellam, de qua dictum est, sanitatem esse consecutam, ægram Caiouium deduxerat; quæ nostris beneficium illud gratulabatur, idemque ita gestum esse ex ipsa monasterij Antistita cognouimus. Curru igitur vectus, habuit comitem alium quendam ægrotum nostrum, quem è medio Theologiæ studio, apoplecticæ quædam pedum ac manuum affectiones malignæ, nequicquam à medicis Græcij curatę huc exegerant: ambo sanitatis perauidi, cum gnauiter apud Beatissimam Virginem negotiũ suum egissent, Theologus quidem breui conualuit; Alter autem Philosophus, lentius quidem, consanescere tamen & ipse manifestè cœpit. Sed iam è valetudinario prodeamus in publicum. Concio fit tum Bohemice, tum Germanice diuersis in templis; neutra sine fructu. Anus temulentos bacchari conspicata, clare suspirans & quasi increpitans; En, ait, vt isti tua pulchra & feruida frustrantur dicta; ô Concionator Boheme! & valuit ad modestiam vox aniculæ. Cum enim in vini cremati matutinos

nos festis diebus compotores & similes publicas noxas, & præsertim conuenticula Lutheranorum inuectus esset Germanus concionator: vix dimissa concione, vox præconis eadem prohibens, in foro insonuit. Portæ ciuitatis ad comprimendam vagandi licentiam, & curruum strepitus arcendos, clausæ tempore concionis deinceps asseruatæ. Iudici quoque demandatum, vt inter idem temporis inuigilaret. Quod ille dum quodam festo mane agit; ecce tibi in gurgustio quodam, in concionabundam & psallentem Lutheranam turbam incidit: diffugere plerique, relictis in medio duobus mysteriorum suorum præstantibus codicibus Postillæ & Psalterij; quos inde sublato, Iudex Capitaneo, Capitaneus Collegio dedit. Quanquam non ea sola præda fuit, plutibus enim frequenter, & aliâs potiti sumus huiuscemodi libris: imo, quod optabilius, ipsis animabus. Viginti amplius partim ex Lutheri, partim ex Hussij castris ad Ecclesiæ gremium redierunt, præter illos, quos nescias, sub nostrorum an aduersariorum signis mereant (ij sunt sub vtraque specie communicantes) quorum ad vnitatem reducti duodeni. Abbas tum opima prælatura, tum familia nobilis, assiduis & diuturnis fractus morbis, sæpius lectulo adhærescebat. Fiduciam concepit conualescendi, si Nostro cuipiam confiteretur; nec inanem. Statim enim vt confessus est, & sacra Synaxi ad lectulum refectus, meliusculè habuit, eo profectu, vt triduo post eidem sacerdoti nostro significarit, se belle habere. Abbatis exemplum secutus est reliquus fratrum conuentus, quanquam pedetentim. Explorabant enim, per confitentes famulos, nostri humanitatem.

Digitized by Google

tem. Denique Prior, superata cunctatione, omnium primus generaliter se expiat. Id vbi rescitum, nemo fuit, neque Nouitius neque Veteranus, quin idem facerent. Hos demum consecuta est omnis familia, tam ad confessionem, quam ad sacram synaxim è manu Patris percipiendam. Sic Deo iuuante, totum illud cœnobium renouatum, in meliorem vitæ frugem incumbit, nostrisque se addictissimum exhibet. Dum noster hic rem gerit, Abbas proximus, hoc familia & opibus longè florentior, eum ad similem messem ad se inuitat; sed nimirum sacerdotum penuria reuocabat Lincium, quo potissimum subsidiarius Crumlouio mittebatur.

COLLEGIVM COMMOTOVIENSE.

TRIGINTA vnus errore posito ad Catholicam religionem transierunt. Fuit inter hos Dominij huius, Cæsaris nomine, Capitaneus Gasparus à Logaw, vir antiquæ nobilitatis, ac varijs militiæ officijs perfunctus: conuersio huius per præcipuos regni proceres, nostrorum impulsu, feliciter peracta est. Confessus in Collegio, ipso die cenæ Domini sacram Eucharistiam accepit. Mirum quam eius ad Catholicos transitio fregerit hæreticorum animos, tum maxime, cum impetrato Cesareo decreto, Senatus ac omnes ciues, processioni corporis Christi interesse iussi sunt: quo factum, vt tanta solennitate celebrata sit, quantam ab hominum memoria nemo hic vnquam vidit. Ducebãt primum agmen quadringentæ

Digitized by Google

gentæ circiter virgines: has subsecuti sunt ordine studiosi: post hos accensis cereis congregatio: hinc sexaginta circiter Angeli decentissime ornati, cum cantoribus vmbellam præcedebant: cingebant latera Primas & consul velum sustinentes: subsecutus Capitaneus cum Senatu & reliquis ciuibus per suas tribus distinctis: vltimum agmen claudebant mulieres, quæ, vt virgines, submissis quibusdam matronis Catholicis, pios in Dei laudem hymnos concinebant: personabant interea alternatis ciuibus omnia, tubis, tympanis, cantu, ac musicis instrumentis, tanto pietatis sensu, vt non defuerint præ gaudio illachrymantes, inauditique sint, qui se pæne beatos exclamarent, quod tot annorum postliminio, tam cumulatum viderēt splendorem Processioni restitutum. Auxerunt hanc solennitatem Orationes & Carmina, quæ exteriorem Collegij partem, qua cum sacra Eucharistia transeundum erat, mira varietate ornarant. Selecti fere præcipui hæretici, qui vmbellam ferrent, vt vel inuiti hoc officij genus SS. Eucharistiæ impenderent. Quanto se periculo exponant, qui religionem loco & tempori accommodant, subiecto videre licet exemplo. Bauarus quidam, vir maturus, celebs & non illiteratus, à puero quidem Catholicus, sed frigidus, politicum agens, varijs tum in Austria, tum in Stiria apud varios defunctus officijs, nunc famuli, nunc scribæ, nunc ludi rectoris, vel Agentis partes obiens, persuasione cuiusdam familiaris & noti mercatoris Lutherani, in Misnia habitantis, & spe nobilioris conditionis, hisce prouincijs relictis, in Misniam superiori anno profectus est. Verum cum eo peruenisset, ab amico deseritur,

ac

Digitized by Google

ac iubetur Dresdæ libellum supplicem Cancellariæ Ducis Saxoniæ offerre, ea spe, præclarum aliquod officium non defuturum. Abit Dresdam, offert litteras supplices: placet persona & eruditio hominis; sed cuiusnam sit religionis, inquiritur. Profitetur se Catholicum; mirantur illum in Cancellaria Lutherana officium petere, & respondent fieri non posse, vt adiuuetur, nisi Catholicam abneget religionem, & Lutheri dogma sectetur: quam ob causam ad varios Prædicantes ablegatur, vt fidei suæ rationes exponat, & ab ijsdem obscura noui Euangelij luce illustretur. Accedit, confert cum illis de fide; sed laterem lauant Prædicantes, nec quidquam suis argumentis efficiunt; ipse Catholicam religionem constanter profitetur, qua re visa, tum ab ipsis, tũ à magistratu reijcitur, & vt proditor, tota Misnia proscribitur. Hac ignominia eiectus, & ab omnibus spretus, varijs cogitationibus in via occupatur; & vespere quodam occasu solis præuentus, in syluis pernoctare cogitur. Sub mediam noctem, quam miser insomnem ducebat, diabolus habitu peregrinantis, se ipsi offert; alloquitur, quid faciat, quo pergat, inquirit; respondet ad omnia, suasque miserias candide enumerat; solatur ipsum peregrinus, seque itineris comitem, & in omnibus auxilio futurum promittit. Confederant aliquantisper; surgunt, progrediuntur, varia miscent colloquia, atque ex improuiso multi per aliam viam illis occurrunt, quos peregrinus ille personatus, suos dicebat socios & comites itineris; excipitur fictus peregrinus ab illis magno honore, & socius miser magno gaudio. Considerant ad proximum fonticulum lucente luna; bibunt, ac de religione

varios

varios instituunt sermones; compatiuntur quidem, quod tam turpiter sit eiectus; potuisse tamen cedere loco & tempori, ac dissimulare religionem, modo corde Catholicus permansisset. Dum sic illum solantur, subito audit vocem, quam postmodum sæpius audiuit: Caue, muni te signo S. Crucis, deciperis, esto constans, confiteare quàm primum Catholico sacerdoti peccata tua integrè, & memineris præteritorum factorum, è quibus hæc mala. Qua voce audita, omnes illi peregrini in ignes versi euanuerunt. Ipse vero terrore prope exanimatus corruit, adeoque rationis vsu priuatus fuit, vt sarcinam, pecuniam, litteras testimoniales amiserit, nec vbi locorum esset, agnouerit. Multis inde diebus ægre vitam præ inedia trahens, per montes & syluas oberrauit, varia quidem spectra diabolica perpessus, semper tamen aliquam Dei recognitionem, menti impressam sentiens, humillimè petijt, vt sibi Deus parceret, & se conseruaret: quàm primùm ad Catholicum locum veniret, de tota vita se confessurum, sacram synaxin suscepturum, & ad B. Virginem Lauretanam peregrinationem instituturum. Quo voto emisso, plenius ad se rediens, pauciores habuit diaboli illusiones. Tandem squalidus, luridus & exhaustus, Commotouiam in Octobri venit; Collegium quàm primùm accessit, obnixè confessarium petijt; magno dolore de tota vita confessus est. Atque ita plenus consolationis, in Italiam ad exoluendum votum perrexit. Peregrinatio Grupnensis celebrior hoc anno fuit, quàm aliás vnquam, pœnitentium ac communicantium frequentia; quorum plerique veniunt ex hæreticis locis, vbi

bi de religione Catholica fere nihil inaudiunt. Notandum hic merito occurrit noui Euangelij paradoxon. Misnensis quidam, iam olim hic conuersus & ciuis factus, cum vltra Lypsiam tribus milliaribus ad suos rediisset; grauiter à parente, propter mutatam religionem, reprehensus est: vocatur ad peruertendum eum præcipuus illorum doctor, qui dum multa de varijs religionis articulis effutit, quærit Catholicus, vbi & quando incipiat existere Eucharistiæ Sacramentum? negauit ille esse vel in altari, vel in manu, vel in ore, sed fieri in gutture, dum deglutitur. Infert Catholicus, Quid igitur opus vobis Prædicantibus, si guttur sumentis efficit Sacramentum? cumque Prædicans nihil ad rem respondere posset; ille quidem triumphans abijt, hæreticus verò auditores & parentem, de fide sua dubios reliquit. Peropportunè accidit, vt Cæsareæ Aulæ Iudex, penes quem est authoritas mutandi Senatus in regijs ciuitatibus, hâc transiret. Præoccupatus is iam erat, vt primatem Cadanæ, præcipuum ac feruentem Catholicum, non solùm officio, sed etiam Senatu exturbaret. Admonitus à nostris, de religione actum videri in illa ciuitate, si is amoueretur: ita rem cordi accepit, vt illum non modò in dignitate confirmarit, verum etiam plures Senatui Catholicos adiunxerit. Impetratum item, nostrorum opera, decretum in eos, qui ad hæreticos concionatores excurrunt. Indictum fuerat iam ante annum, medio abhinc milliari, cuidam hæretico Prædicanti, vt occluso templo, concionibus desisteret, is, vt videretur Cæsareo mandato obsequi, templum reliquit, ac supra bouile (dignum tali Euangelio locum)

locum) suos conuocauit. Fiebat ad illum magnus vndequaq; concursus. Qua de re dum iterũ querelæ deponerentur, nobilis, in cuius protectione degebat, rebus suis metuens, omnẽ illi concionandi facultatem interdixit. Crescit in dies in vicinis Misniæ & Saxoniæ partibus scholarum nostrarum opinio. Quo fit, vt quanta possint diligentia, inuigilent hæretici buccinatores, ne ad nos, tanquam ad certam Euangelij sui perniciem, vlli transmittantur. Floruerunt nihilominus egregia iuuentute. Habuit domus pauperum centum triginta, ex disiunctissimis Germaniæ ac Bohemiæ partibus, egregiæ indolis adolescentes: ex quibus copiosa aliquando messis Ecclesiæ expectatur. Venerat ad nos superiore anno è Saxonia puer honestis parentibus oriundus, is in patriam reuocatus, ac quæsitus à parente, quid apud Iesuitas didicisset, præter spem cumulatissime satisfecit. Inde à pædagogo, qui illi in hæresi ante præfuerat, multa interrogatus, ita eum conuicit, vt admirabundus parens; Benè habet res, inquit, si tam paruo tempore tantum profeceris; perge, & vlterius apud Iesuitas studijs incumbe, ac deinde vitam, quam voles, amplectere: neque vel matris, vel aliorum amicorum dissuasione moueri potuit, quin eum omnibus necessarijs instructum remitteret. Alius nobilis puer, hæreticis natus parentibus, & apud hæreticum agens hospitem, Agnum Dei artificiose inclusum in delicijs habebat: obseruat id hospes, atque absente puero subreptum, tanquam rem susperstitiosam comburit: meditatur vindictam puer, atque absente hospite, postillam hæreticam vicissim comburit. Appetebat varijs conuitijs Grupnam euntes, ipsamque

que Dei Matrem rusticus, non longè isthinc plaustrum vini ducens: Monetur, vt B. Virginem reuereatur, & ne conuiciis afficiat; spreuit ille, & subitò curru subuerso, ruptoque vase, omne vinum effusum periit. Ita miseri hominis blasphemia, pœnam Domini sui metuentis, in luctum & lacrymas commutata est. Non raro ad visitandum Collegium huc Magnates diuertunt, quibus plerunque id officij impenditur, vt carmine aliquo & solenni musica salutentur. Quam rem tam gratis animis accipiunt, vt omnem nobis & studiosis beneuolentiam promittant. Venerat sereniſſimus olim Princeps Transyluaniæ Sigismundus, cum alio quodam Dynasta, cum quo in Collegio pernoctans, dum pari officij genere exceptus esset, summa beneuolentiæ significatione nobis gratias egit, ac domui pauperum, paucis interiectis diebus, currum dolio vini, caseis, ac butyro onustum, pro honorario transmisit. Impetrata post multos tandem labores, Cæsareo diplomate ac sumptu, vicina domus pro extruenda quarta Collegij parte; item turris carceris, quæ domui pauperū & aream, & habitationem faciet laxiorem. Quia penes nos est ius patronatus in huius dominij Parochias, defendendum idem fuit. Cum enim tria millia talerorum, quæ templo debebantur Commotouiensi, alio auertenda videret Senatus, nec authoritati eorum, qui ea peterent, contraire auderent: actum cum Proceribus Catholicis, vt decretum ad Senatum missum rescinderetur, eademq; pecunia instaurando templo, turri, parochiæ & scholis relinqueretur; magna Senatus gratulatione, qui certos ad nos è suis destinauit, qui eo nomine Collegio agerét gratias.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM NOVODOMENSE.

LVTHERANA hæresi deposita, vel Hussitico Calice deserto, ad Ecclesiæ Catholicæ communionem adducti sunt quadraginta quinque. Mulri nutantes in fide, confirmati; vnius speciei vsus in nonnullos pagos inductus; templis aliquot, quorum curam ceu patroni gerimus, de altaribus ornatioribus, vestibus sacris, varia supellectili, prouentibusque nouis prouisum; ciuibus oppidi Vatthouiensis in Austria, Christi patientis, & Resurgentis anniuersario tempore, ab vno ex nostris vtiliter opera nauata est. Exequiæ Illustrissimi Domini D. Ioachimi Vdalrici à Nouadomo &c. vltimi ex antiquissima familia Nouodemensium, non solùm varijs Epicedijs & Epigrammatibus typo excusis, verum etiam oratione Latina funebri coram frequenti Clero, regnique Proceribus per sacerdotem nostrum, magna Collegij nostri laude, habita, cohonestatæ sunt. Illustrissima Domina Catharina Comitissa à Mundffort, huius Collegij fundatrix, à morte filij sui liberalissimam, & amantissimam erga nos matrem se ostendit, non tantùm sacrarium, verum etiam rem familiarem nostram, varia supellectili augmentando. Eadem hoc anno binas ædes Collegio nostro vicinas coëmit, & habitationi pauperum studiosorum attribuit, in qua vt triginta adolescentes commode ali possint, decem millia talerorum, ex quibus annuus sexcentorum prouentus habeatur, designauit. Par munificentia

Digitized by Google

tia eluxit in Illustrissima Domina Maria Maximiliana Comitissa ab Hohenzollerin, Illustrissimi D. Ioachimi Vdalrici à Nouadomo relicta vidua, non erga Collegium solum, cui vini plura uasa donauit; sed etiam erga dictam domum pauperum; cui, præter alia, triginta nouas spondas & lectos, cum reliquis necessarijs curauit.

COLLEGIVM LABACENSE.

VIR nobilitate veteri insignis, vna cũ vxore, posthabita reliquorũ Nobiliũ & suorũ inuidia ac offensione maxima, Catholicã fidẽ suscepit. Ex ijs qui, postquã per Sereniſſimi Archiducis Ferdinãdi edicta, Lutheranis hæ prouinciæ fuere interdictæ, cõceptũ ab infatia hæreseos vitus animo celabãt, plures quã triginta gremio Ecclesiæ Catholicæ sunt restituti. Fuit in his vxor hæretici in exiliũ cũ suis ituri, cui mariti mors saluti fuit. Nam matrimoniũ cũ fide Catholica, singulari sua satisfactione suscepit. Vetitã sub vtraq; specie cõmunicãdi cõsuetudinem abiecit vnus. Libri hæretici partim cõcionũ vi, partim alia nostrorũ diligẽtia, vel sunt subtracti, vel igne absumpti: tanto numero vt pretiũ esse potuerit mille florenorum. Ad priores quinque scholas, sexta Rhetoricę, hoc anno, adiũncta est: Ex quibus pleraq; pietatis & religionis exercitia, quę ex hęreticorum consuetudine in desuetudinẽ pęne abierant, sensim per scholasticos in vsũ reducuntur. Ab ijs enim alij modũ recte confitẽdi, alij dicendi Rosarij ritũ; alij sacrũ diebus festis audiẽdi, & à vetitis in quadragesimę, aliorumq; ieiuniorũ temporibus, abstinendi obligationem sunt edocti. Vnus etiam studiosorũ ca-

sti pudoris exemplum in Ioſepho expreſſum pulchrè imitatus eſt. Hic litteris, alijſque modis, per feminam ad illicita ſollicitatus, ea omnia inuicto repudiauit animo. Sacra ſupellex templi noſtri aucta eſt. Femina nobilis Calicē attribuit; Sereniſſima Archidux Maria Sereniſſimi Archiducis Ferdinandi Fundatoris mater, duo Reliquiarum è Societate S. Vrſulæ capita in rubro ſerico, collucentibus vnionibus, & aureis argenteiſque filis, miro artificio perpulchrè ornata, ſtatuam item S. Iacobi argenteam deauratam donauit. Nec minor rei familiari facta eſt acceſſio. Nam Illuſtris Dominus Georgius Lencouicius P. M. olim Carniolæ, & finium regni Croatiæ ſummus Præfectus, quarto ab hinc anno non exiguam nobis ſummam in morte legauerat: quæ cum fere deſperata haberetur, ſingulari Dei fauore, ac Sereniſſimi Ferdinandi noſtrorumque diligentia obtenta eſt. Itaque Collegio noſtro, ære alieno multum obærato, mille floreni; totidemque altari, in eius ſepulturę memoriam erigendo, ceſſere. Seminario item pauperum ſtudioſorum, in futurum rei Catholicæ ac in Prouinciæ auxilium alendorum, annui ducenti floreni ſunt deſtinati. Maximum, hac beneficentiſſimi viri liberalitate, communibus rebus acceſſit emolumentum, mireque Seminariū ex ea auctum eſt, vt accedente etiam aliorum liberalitate, viginti quatuor iam ex eleemoſynis in Seminario alantur. Duæ item vineæ, à pijs, Societati datæ.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM GLACENSE.

A Tribus annis & amplius in locum hæretici Capitanei, Magnificus ac Illustris D. Henricus de Logau, Cruciger S. Ioannis Ierosolymitani ordinis, ab Imperatore in propagationem finium Ecclesiæ suffectus est. Hic cum ineunte vere ab eodem Imperatore, orator ad Magnum Moscorum ducem in Moscouiam ablegaretur; commodam princeps Prædicantium huius loci occasionem se nactum arbitratus est, procaci sua lingua pro libidine Catholicos perstringendi, virusque acerbitatis suæ afflandi innocentum animis. Dominica igitur corporis Christi festum antecedente, adeo in Catholicos veluti idololatras, ob cultum venerabilis Sacramenti est debacchatus, vt ad concitandos in nos plebis animos nihil tum amplius desiderari potuerit, attamen ne illo triduo, quod inter festum & Dominicam intercedebat, seditionis faces extinguerentur, iubet eos ipso festo, hora & amplius quam prodiremus in publicum, reuerti ad idem fanum, grauitatem execrandæ idololatriæ suis depictã coloribus, perspicue se positurum ob oculos. Res non caruit graui periculo. Quare ne Prædicans ex voto, dicto die caneret classicum: mature seditiosis eius conatibus P. Rector censuit occurrendum. Missis igitur duobus sacerdotibus ad ciuitatis Præfectum, omnes ei Prædicantis machinationes aperit, eumque & vniuersum Senatum obnixè orat, diligenter attendant, ne si dissimulauerint

rint, Prædicantis periculosi conatus in apertam erumpant seditionem, magno totius ciuitatis malo. Ni igitur & se, & Prædicantem incendij faciem, ad suam Maiestatem deferri velint, principijs maturè obstent. Qua comminatione audita, vehementer animo consternatus, bono iubet R. P. Rectorem esse animo, pollicetur suo Senatusque nomine futurum, vt æque tutò hoc anno absente, quàm superioribus præsente Magnifico D. Capitaneo, quicquid religionis est, perstrepente nemine, à Catholicis de more peragi possit. Quapropter Senatu postridie conuocato, senatusconsultum factum est, & sub graui mulcta tam in ære, quàm in corpore demandatum singulis, ne quispiam cuiuscunque tandem status & conditionis foret, minimũ aut venerabili Sacramento, aut ijs qui illud comitarentur, facesseret negotium. Quin & Prædicanti impositum silentium inde colligitur, quod tota illa concione, quam in magna hominum frequentia, hora & loco assignatis, habuit, idololatriæ nec verbo meminerit. Prodeuntibus igitur nobis per medias hæreticorum turbas, intra & extra mœnia in publicum, & ad templum, vnde egressi, reuertentibus, adeo quieté ac feliciter, Deo propitio, peracta omnia, vt nunquam alias felicius. Accedit, quod & Prædicans eruditionis nomen, quod habebat cuiuscuiusmodi, hac occasione & Glacij & in comitatu vniuerso pæne perdiderit. Nam cum ipso Corporis Christi festo veritas Sacramenti, etiam cum applausu hæreticorum, ita dilucide ac efficaciter à Nostro ostenderetur, vt facile omnes sycophantæ cauillationes euanescerent; cumque alia item concione retortis in eum idololatriæ telis,

Digitized by Google

telis, quibus ipse idololatra confessus, ac idololatriæ conuictus, necnon ouillis pellibus Augustanæ confessionis exutus, impostor Caluinista, pro pastore Lutherano, Glacensi populo spectandus proponeretur: mitum, quàm ea re illorũ animi ab eo, quem pæne manibus gestauerãt, subito fuerint alienati. Doluere quippe se à Caluinista, qui tot annis Lutheri dogma fuerat mentitus, tam enormiter tanto tempore fuisse delusos. Conciones Dominicis ac festis diebus, vt alijs annis, habitę. His hoc anno post pomeridianam Catechesim accessit priuata instructio eorum, qui vel Catholici, rudes autem in modo orandi & confitendi, vel plane hæretici, eoquè nomine instruendi peculiariter, in scitu maxime necessarijs fidei articulis. Hi vtrique, quorũ causa susceptus hic labor est, desiderio & verũ cognoscendi, & vitã rectè instituendi vsque eo feruẽt, vt hactenus nullâ vnquã vesperarũ ac concionis catechisticæ morâ, quantumuis protraheretur, fatigari potuerint. Peractis enim quibus piè intersũt, pomeridianis diuinis officijs, templũ egrediuntur, Patremque, à quo familiariter informentur, magno numero ante fores in cæmeterio diffusi, prestolari solent. Quo id autẽ fructu, testantur in melius eorum mutati mores, nec paucorũ ad fidem facta aggregatio; nam hoc anno Luthero Caluinoq; repudiatis, fidem Catholicã amplexati sunt sexaginta nouem. Venerat in horum Societatem rusticus sat locuples, qui posteaquã Patri, post frequentiorem congressum, spem conuersionis fecerat, rem autem subodoraretur vxor, mox eam cum Prædicante, à cuius pendebat ore, communicat, ab eodemque, quid facto opus foret, gnauiter instructa, impigrè se operi

accingit, nec prius à cœptis destitit, quam incautum in suas rursus allectum partes, velut ouiculam iterum discerpendam lupo sisteret. Prædicans igitur cum multo labore ac tempore bene informatum, breui pessimè deformasset, ab eodemque, de non deserenda perfidia, fidem datam, vti assolet, accepisset, ac in rei totius confirmationē frustulum profani panis & porrigeretur, & acciperetur, ecce è uestigio ambobus marito ac coniugi diuina adest vltio, & meritas ab ijs expetit pœnas. Eodem quippe tempore, quo hæc sacrilegè ab ijs peraguntur, iustissima vindex Dei ira in bimestrem domi relictam filiolam sæuijt; tenerum illud corpusculum, immissis phreneseos cruciatibus, diris, vltra quam dici possit, exagitans modis. Quare cum domum à Caluiniana cena parentes reuerterentur, filiolamque delicias suas, summo cruciatu ac dolore perire inopinatè offenderent, replent domum ac totam illam viciniam mœrore, planctu ac lachrymis. Ceterum cum hæc gratis, offenso numine, ab ijs fierent omnia: ad placandum illud consilio Catholicorū conuertuntur, & voto Beatissimæ Virgini templi nostri præsidi nuncupato, meliora, depulso filiolæ morbo, circa se spondent omnia. Nec in cassum cessit votū, siquidem derepente diuinum adfuit auxilium, puellamque morbo, parentes mœrore liberat. Qui proinde interim non immemores voti, templum nostrum Dominica die, non absque comitatu ingressi, illic Deo ac Virgini Matri gratias pro beneficio acturi, prosternuntur ante summum altare, & infantem, quam mater vlnis gestabat, testem tanti beneficij, salutem ac incolumem populo exhibent conspiciendam.

Digitized by Google

dam. Posteaquam autem Sacerdote sacris operante, ad offertorium ventum esset, assurgunt omnes pariter, & septem ad hoc delectis virginibus, quæ eos accensis cereis decoro antecedebant ordine, aram, impositis muneribus, votum exoluentes, circumeunt, reliquumque temporis, genibus prouoluti ibidem loci insumunt in Dei laudibus: & delictis suis expiati, cœlesti (frementibus licet Prædicantibus) mensæ accumbunt. Secus euenit cum fœminæ huius consobrina, quæ non minus in rebus desperatis diuinum experta fuerat auxilium. Annum circiter hydropisi laborans decubuerat; & causa recuperandæ valetudinis tentarat omnia: sed cum medicorum iudicio, spei pristinæ valetudinis nihil esset reliquum, frustraque hæreticorum hunc in finem, à Prædicantibus pro concione sollicitatæ fuissent preces: ægrum morbo animum subiit diuina vis Ecclesiæ Collegij nostri. Voto igitur se obstringit, vbi conualuerit, grati animi significatione se eam frequentaturam. Nec spes irrita fuit. Quæ enim tunc lecto affixa, non nisi aliorum adminiculo moueri loco posset, morbo, post emissum votum paulatim remittente, breui plane conualuit. Venit igitur cum præfata consobrina sua eodem tempore, publicéque cum eadem & voce, ac ijsdem cerimonijs, Dei in se factum miraculum contestata est. Sed ob respectum hæreticorum, vt gloriam, participatione mysteriorum, Deo daret, amplius non redijt. Tamen id in cassum nō abijt, siquidē, quod vitio eius saluti ipsius non profuit, profuit ad animæ incolumitatem non paucis alijs, qui vel dubij ex hoc confirmati, vel plane hæretici, attoniti huius rei nouitate, ad religionem

reuocati sunt. Per idem tempus Catholica femina morbo ambas habens obstructas aures, earum vt recuperaret vsum, votum Deo obtulit. Mirum dictu, voto nuncupato, extemplo aurem sibi vtramque aperiri sensit. Indicem igitur tanti miraculi esse voluit caput, ex cera affabre effictum. Placet hic adnectere, quod hoc anno accidit in Parsdorffensi Parochia nostra. Hîc erat in quilinus, qui insanabili oppressus morbo decumbens, non aliud quam vitæ suæ finem expectabat. Rebus igitur extremum deploratis, sermonibus vnius è nostris in spem contra spem erigitur, & ad diuina, cum humana nihil prodessent, nostri consilio conuertit animum. Nec spes eum fefellit, vitæ enim maculis sacra confessione abstersis, & sanctissimo refectus Eucharistiæ Sacramento, votum fecit D. Nicolao, templi illius patrono; nimirum se duas candelas cereas, in honorem venerabilis Sacramenti, ibidem oblaturum, alteram quæ æquet longitudinem corporis, alteram quæ hydropisi tumescentem ambiat ventrem. Vouit, redditoque voto, illico tumor remittere cœpit, viresque affectis redire membris, donec breui ita conualesceret, vt iam valens ac vegetus, Deo ac S. Nicolao patrono, cunctis qui eum antea norant attonitis, suam acceptam ferat sospitatem. Sequitur aliud genere dispar, euidentia par. Mense Augusto, graue ac periculosum toti ciuitati de nocte exortum est incendium, adeoque nemine aduertente, domum illam totam, vnde prodijt, voracibus inuoluit flammis, vt patri, matriquefamilias strepitu excitatis vix tantum daretur spatium, quo nudi

vltimum

vltimum vitæ euasuri discrimen, è lecto exilientes, per cubiculi fenestram in plateam se demitterent: inde vicinas ædes, easque (cœlo etiam summe tranquillo) breui redegit in cineres. Sed ne quis ambigeret, Deo hunc locum peculiariter curæ esse, non modo, pro sua in nos clementia, tum grauiores cohibuit ventos, sed etiam vigilibus tam in arce, quam in ciuitate, in vtramque aurem profundè stertentibus, ipse se fidum, ac peruigilem huius loci custodem esse, hoc exemplo singulis contestatum voluit. Nam, quod mirum dictu est, nobis, quotquot in Collegio eramus, dormientibus, nulloque hominum in turri templi nostri existente, campanarum nostrarum signo, oppressos sopore ciues, excitatos incendij admonuit. Illis autem, Deo sic permittente, non incendij, sed alijs de causis id fieri opinantibus, somno sine omni prorsus sollicitudine denuo indulgentes, Dei vocem suis auribus insonantem, flocci penderunt. Quanto autem id postmodum suo dolore, tanta omnium nostrorum factum est laude, ac commendatione. Nam cum hora & amplius, à signo campanis nostris edito, aliunde præsentis admonerentur periculi, accursum ac laboratum est ab ijs strenuè: igneque tandem restincto, nostrum in ciues studium omnes pariter, etiam qui antehac hostes nobis essent infensissimi, in cœlum laudibus sustulerunt. Iesuitis, aiebant (etiam Prædicantibus eorum audientibus) de nobis cura est; ipsi, nobis dormientibus, pro fortunis ac incolumitate nostra, insomnes ducunt noctes. Quibus nos benè monentibus

Digitized by Google

si obsecuti fuissemus, nequaquam eo deuentum esset calamitatis, sed salua forent nobis nostra omnia; imo id quod nobis reliquũ est, ipsis post Deum, veluti Patribus patriæ adscribendum consemus. Sonuisse autem eo tempore campanas nostras, idque non semel, sed sæpius, nihil est dubij; audierunt enim tam Catholici quàm hæretici, prope ac longius à Collegio distantes, idque tam intra quàm extra mœnia, imo etiam in Hansdorffensi pago. Id vero quod diuinitus factum est, nobis constantissime à ciuibus adscribi, authore Deo illud fieri arbitramur: siquidem ea re non parum quorundam nobis conciliati, ac sane plurimum deuincti alieni maleuolorum sunt animi. Franciscani conuentuales Monachi habuerunt hic Glacij duo monasteria, alterum intra ciuitatem, alterum in suburbio. Illud est funditus à ciuibus olim euersum; in eum locum, ne aliquod eius appareret vestigium, altas extruxerunt ædes; hoc similiter diruitum, nihilque de templo, quàm Chorus relictus. Locum Monasterij ac templi, demolitione facta, comutarunt in suorum sepulturam. Venerunt igitur hac æstate dicti Monachi, repetentes Monasteria, cum adiunctis tam mobilibus, quam immobilibus bonis, vtpote prædio, sylua, fluminibus, pratis, ac censu perpetuo, nec non pecuniæ summa duorum circiter millium. Et quia toto eo tempore, tribus videlicet mensibus, quo hic causam dicebant, nobiscum cibum sumerent, mirum est quam hæc nostra Franciscanis Patribus impensa charitas, Hæreticos contra nos concitauit. Postridie Simonis & Iudæ, profectus est Secretarius huius Comitatus vna cum Catholicis sacerdotibus

bus in vicina oppida, eos in Prædicantium locum, iussu ac authoritate Cæsaris, suffecturus; quæ res licet nondum suum, vti sperabamus, sortita sit finem, tamen Prædicantibus huius ciuitatis authoribus, hæreticorum in nos vehementius, quam vnquam antea succendit animos. Quare cum triduo post duo peregrini Poloni, ex Vrbe & Laureto redeuntes, hac transirent, ac hæreticorum templum (Catholicum arbitrabantur) Ministro concionante ingrederentur, flecterentque genua, signo crucis facto, oraturi: ecce subito exclamant feminæ; Actum est; iam nobis à Iesuitis templum eripitur. Fit tumultus, ac singulis è templo fuga prolabentibus, egrediuntur & duo illi peregrini, rei nouitate attoniti. Foris constitutos, Senatorum filij ac filiæ, alijque promiscuè vtriusque sexus, hostiliter inuadunt, nec in eos sæuire desistunt, nisi eorum vno, & lapidibus & alijs crudeliter intentatis verberibus, sæpius prostrato, ac tandem è ciuitate electo, & seminece in agro relicto. Non defuerunt è ciuibus, qui durante tumultu, furentem plebeculam ad cædem Nostrorum, omniumque Catholicorum (quos tunc in concione nostri templi simul esse vociferabantur) impellerent, factumque fuisset, si peregrini illi, dum in eos sæuiretur, in templum se recepissent nostrum. Sed Deo pro sua clementia nos, Catholicosque nostros protegente, dum alio quam ad Nos, sanctissimus Martyr, Deo duce concederet, conatus cædis ac minarum in nos spirantium, redacti sunt in nihilum. Tandem sedato tumultu, ad Martyrem perquirendum, sub horam pomeridianam tres egressi sunt Catholici, ac fractis ceruicibus, multo labo-

re

re repertum, penitus elinguem, nec non sanguine madentem, in proximum intulerunt pagi tuguriolum. Vbi Rectoris monitu à chirurgis, quos Senatus ad eum curandum miserat, visitatus est, illisque abeuntibus, & accepta extrema Vnctione à sacerdote nostro, glorioſus Martyr in vigilia omnium sanctorum, pro Christi fide glorioſe occumbens, inter nonam & decimam noctis euolauit in cœlum. Viceſima tertia eiusdem Mensis solenni funebri pompa, præsentibus & comitantibus (magno animorum motu) Primate ciuitatis, alijsque è Senatu, magnaque ciuium frequentia, eum in noſtrum intulimus templum: vbi ei, ritu conſuetο Martyrum, parentatum est. Reuerendiſſimus Wratiſlauienſis Epiſcopus, non deſinit Collegium varijs eleemoſynis ſubleuare. Anguſtiæ denique noſtri Collegij, ſi vnquam, certe hoc anno plurimum ſunt dilatatæ. Ambitu enim ad ſolum deiecto, area pulcherrima à templo, verſus ciuitatis mœnia aperta est. Acceſſerunt & in eum locum, vbi vetus Monachorum aliquando fuit dormitorium, cum hypocauſto quinque noua cubicula. Similiter in inferiore contignatione totidem alia cum hypocauſto; ac contignatio tertia facta ſub tecto, habens ſex cubicula. Murus etiam ad radicem montis, penes ſcholas, pro Collegeij clauſura, in magnam erectus est altitudinem.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM CLAGENFVRTENSE.

COLLEGII huius initia (cuius absoluta possessio nobis, sub finem anni huius millesimi sexcentesimi quarti, die vndecima Decembris, per Sereniſſimi Commissarios est tradita) etsi difficiliora, quam prima fronte videbantur, fuerint: iam tamen, Deo bene propitio, magna ex parte superatis remoris & obstaculis, quæ hostis humani generis, loci huius conuersioni & saluti inuidens, obiecerat, in tranquilliore statu sunt constituta. Obierunt hoc anno in Oberndorffensi Residentia duo, Pater Laurentius Bruycherius, eius loci superior, qui in laboribus variis, & functionibus Societatis diu versatus, & quatuor votorum Professus, insigni sua virtute ac industria, omnium commendationem promeruit. Alter P. Andreas Rosmanus, vir magnæ spei propter linguarum peritiam, & alia dona quibus abundabat. Porro vt Collegij huius exordia melius cognoscantur, operæ pretium est ea vberius explicare. Vt hactenus Sereniſſimus Ferdinandus Archidux, zelo ductus instaurandæ fidei Catholicæ in suis prouincijs, Styria & Carniola, sapienter æque ac strenue laborauit, sic deinceps Carynthiam, quæ sola ab hæresi vindicanda remanserat, (resistente non parum Principis pientissimi studiis, eius Metropoli munitissima ciuitate Clagenfurt) expurgare penitus est aggressus. Annis itaque superioribus,

Digitized by Google

superioribus, posito reformationis fundamento, statuit Collegium Societatis ibidem erigere: quo loci eius incolæ plenius in fide erudirentur, ac in pietatis officijs continerentur, firmarenturque. Pio principis proposito dispositio diuina fauit. Nam eodem fere tempore, Oberndorfense Cœnobium, quatuor ab ea ciuitate milliaribus distans, morte Præpositi, ac pauciſſimorum Religiosorum habitatione, pœnè desertum, Societati commodum fore iudicans, id ei authoritate sedis Apostolicæ tradere constituit. Peractis igitur ijs, quæ huic negotio videbantur necessaria, vicesima nona Iulij, milleſimo sexcenteſo tertio, eius Monasterij temporalium rerum possessionem pleno iure nostris tradidit; dein anno subsequente decima sexta Mensis eiusdem, Societatem in spiritualium, ac totius dominij realem, actualemque possessionem, Bullarum Pontificiarum authoritate accedente, immisit. Venerat ad hunc actum concelebrandum & expediendum, Illustrissimus ac Reuerendissimus Comes à Portia, sedis Apostolicæ legatus, qui die prædicto, solenni cerimonia Reuerendum P. Prouincialem sinistrum latus sibi cingentem (dextrum Reuerendissimus Episcopus Secouiensis cingebat) antecedentibus residuis loci huius Religiosis, subsequentibus Sereniſſimi Commissarijs cum aliquot è nostris Patribus, ac omnibus huic monasterio subiectis Parochis, ad valuas templi perduxit; ibique traditis ei de more clauibus, manu eius prehensa, in templi interiora induxit; verbisque ad eam rem accommodatis, templi ac rerum spiritualium potestatem, suæ Sanctitatis nomine tradidit. Processum dein ad Altare maius, vbi ad dextrum

dextrum altaris cornu in editiore loco considens, Bullis Pontificijs prolatis, eas coram vniuersa tam Ecclesiasticorum, quam secularium, subditorum multitudine, cuidam à secretis porrexit legendas: quibus integrè perlectis, cuidam è sacerdotibus, patria lingua, quo ad omnium notitiam intelligentiamque peruenirent, summa earum capita mandauit proponi. Discessum deinde ad subditorum iuramentum excipiendum. Ibi Reuerendissimus Secouiensis, oratione graui ad adstantem multitudinem habita, rursus voluntatẽ suę Sanctitatis & Serenitatis declarat. Iuramento peracto à subditis, & data R. P. Prouinciali fidelitatis obside dextera, domum gratulabundi recessere. Res tota per notarium Illustrissimi Nuntij literis cosignata, ac eius manu & sigillo munita, ad perpetuum testimonium ac munimentum apud nos asseruatur. Assignatis igitur in hunc modum & stabilitis redditibus, qui futuro Collegio inseruirent, Sereniſſimus Princeps eius quamprimum erigendi cupiditate succensus, fabricam quandam pro hæreticorum Prædicantibus, in dicta ciuitate Clagenfurt, Prouincialiũ ciuiumque sumptibus sub hospitalis specie extructam, ac postea fisco Principis, cum adiuncto sibi templo profano, iure traditam, pro Collegio nostris attribuere in animum induxit: quod & sine mora præstitisset, nisi varia se obiecissent impedimenta. Porro illud in ea fabrica admirandum, quod homines illi rerum futurarum penitus ignari, nescio an prouidentia diuina ducti, sic eam disposuerint, & aptauerint, vt omnino speciem Collegij Societatis præ se ferre videatur; celebreque sit in ore omniũ, qui eam lustraturi ingrediuntur,

Digitized by Google

grediuntur, eos non pro vllo alio quam pro Iesuitis hanc fabricam erexisse. Templum porro, quod & picturarum nitore, & formæ venustate ac magnificentia, nescio an vlli in Carynthia sit secundum, ita nostris vsibus est accommodatum, vt vix vllum in hac nostra Prouincia. Ædificarunt id supra dicti ciues, & Prouinciales hæretici (quod perrarum apud homines huius farinæ) & in eo Altare magnificum, sumptu non contemnendo, erexerunt. Stuporem incussit Cathedra artificiose elaborata, Dominis Commissariis, quin & omnibus qui in eam oculos conijciunt, quod in ea opere cælatorio supra verticem concionatoris, insigne Societatis nostræ sit insculptum; coniectum ab ijs illam Cathedram, non pro hæreticis blateronibus, sed pro ijs, qui eo gaudent nomine, Deum iam ante destinasse: atque ita inter rara, & vix vnquam hactenus audita illud numerandum, quòd hæc tota fabrica ab hæreticis, pro hæreticis ædificata, Societatis hominibus, mirabili Dei dispositione & prouidentia, demum cesserit. Profectus eo fuerat superioribus mensibus, rogatu Serenissimi, reformationis, causa reuerendissimus Episcopus Secouiensis, vna cum duobus Commissarijs, Illustrissimo ac Gener. Comite Nagarola, supremo huius prouinciæ Capitaneo, & Domino Startmanno Cingel eiusdem Vicario, & ad vrbem quidem admissus est, toruis tamen oculis, ac turbulentis ciuium concursibus; sed frendere licuit, non frangere inuictum Reuerendissimi animum. Sæpius ab eo habitæ conciones, fructu supra spem vberiore: actum cum ciuibus, & in primo statim congressu tres proscripti, ac postera die

die ante solis occasum ciuitatem deserere, tum ex suæ Serenitatis Prouincijs excedere sunt coacti. Alij pauci, qui cum illis ad sanam mentem redire noluerunt, idem iudicium postea subiere: cum reliquis deinceps mitius transactum. Nam hæresin abiurarunt, & præuia confessione ab ea absoluti, Ecclesiæ gremio sunt restituti. Non multo post Reuerendissimus per Principem à Superioribus, ex nostris Patribus vnum, cui concionatoris munus traderet, instanter petiit. Iustæ petitioni Principis, ac Præsulis postea satisfactum. Interea magnum erat apud Reuerendissimum, & ciues ipsos nostrorum desiderium. Nam eis sæpius insinuerat Reuerendissimus, quin & pro concione non semel dixerat, quam vtile sit futurum ciuitati, si in ea Societatis Collegium erigeretur pro iuuentutis institutione; quàm felices cuiuscunque conditionis personæ; dum in suis necessitatibus nostrorum consilio, auxilioque frui liceret; qui nullo facto discrimine, in captiuos, pauperes, ægrotos, quæcunque charitatis opera tam benignè soleant exercere. Cum igitur eo noster appulisset pridie festi corporis Christi, credi vix potest, quanto cum gaudio tam diu exoptatum exceperit Reuerendissimus; & quantum postea ex eius dexteritate, ac industria in populo instituendo sit recreatus. Ipso corporis Christi die sacro, solenni ritu instituta est processio, in qua populi frequentia, ac primitiæ pietatis ciuium conuersorum, ipsiusque processionis celebritas in vrbe ab annis quadraginta duobus intermissa, non paucis lacrymas consolationis excussit. Eo tempore Reuerendissimus pedum debilitate impe-

Digitized by Google

ditus fuit, quo minus venerabile Sacramentum circumferret: id tamen extra fores templi detulit, & præuia benedictione, Parocho gestandum tradidit. Maxima cum alacritate ac deuotione (quod multis stupori fuit) præcessere venerabile Sacramentum variæ tribus, nouis vexillis distinctæ, inter quæ longe pulcherrimum fuit illud, quod Magistratus pro se curauerat. Ex vna parte sanctissimæ Trinitatis; ex altera, Ecclesiæ patroni S. Ægidij, imaginibus insigne. In plebe ac opificibus non defuit suus feruor. Nam vel noua vexilla plerique sibi pararunt, vel ob temporis angustias & pictorum penuriam, aliunde commodatis vsi sunt. Vexilla sequebantur (quod in ea ciuitate mirum visum est) octoginta virgines, vrbe tota selectæ, coronis redimitæ. Hinc ordo studiosorum, & symphonia percelebris: deinde Sacerdotes varij, ex locis vicinis inuitati: post Clerum Parochus, sub vmbella gestans venerabile Sacramentum, comitantibus hinc inde solennis sacri ministris, ac decenti ciuium armatorum custodia. Propius sequebantur Illustris D. Capitaneus prouinciæ, & eiusdem vice-Dominus, sertis roseis coronati. Post hos subsecutus Consul & Iudex; inter quos medius ibat noster; deinde facibus accensis reliqui viri consulares. Agmen claudebat ingens ciuium, & rusticorum turba; adhæc totam ciuitatem complebat festiuus campanarum sonus, & sacrorum hymnorum deuota melodia: vbique thuris & florum *fragrantia*, populi gaudium & exultatio. Denique licet hæc Processionum solennitas tam diu exularit, priscorum tamen Germanorum redolebat pietatem. Ideo mirati Domini Commissarij, populum

pulum educatum in hæresi, ad sacras cærimonias se tam piè componere, vix lacrymas continebant; ipse etiam Reuerendissimus peracta Processione, multis inter loquendum præ gaudio lacrymis, hanc ciuium pietatem ac zelum summopere commendauit. Et hæc mutatio dexteræ Excelsi: hoc enim post multorum preces, conciones, ac labores assiduos, tandem dedit incrementum Deus, vt, quam populus obcæcatus abhorrebat fidem, eam nunc sincere amplectatur & colat, sacramenta frequentet, & concionibus adesse pro delicijs reputet. Nam constat in multis tantam fuisse audiendarum concionum cupiditatem, vt inter alias, nobiles quædam matronæ in hæresi nutantes, fortè respectu metuque præpeditæ, in habitu vulgari Slauonicarum rusticarum eas occultè frequentarint. Quamuis autem Reuerendissimus ante nostri Patris aduentum, multum desudarit in concionibus habendis ad populum, tamen eo præsente nullis precibus potuit adigi, vt Cathedram conscenderet, affirmans se vbique locorum hoc muneris Societati semper detulisse, ac deferre velle; quin etiam si esset in conscensu Cathedræ, tamen audiens ex Nostris adesse concionatorem, se paratum fore loco cedere. Quibus dictis fidem fecit euentus. Nam vrgere etiam atque etiam concionatorem nostrum non destitit, donec Ecclesiastæ munere fungeretur. Noster igitur prima Dominica post festum corporis Christi, cathedram solenniter conscendit. Adfuere viri primarij, ac imprimis ipse Reuerendissimus, qui nunquam passus est, se absente, haberi concionem, vel etiam pomeridianam lectionem Catecheseos, nec sine præuia, spectante

ctante populo data Episcopali benedictione. Quodsi per infirmitatem non licuit, iussit ex suis primarios Sacerdotes adesse, potissimum vero lectioni Catechisticæ, cuius habendæ modum obseruarent, quem per totam suam diœcesim institueret: quod re ipsa præstitit. Dici vix potest, quantum vel minima occasione data, coram vniuerso Magistratu laudarit Societatis institutum, quantum eius munia commendarit, asserens fore, vt ciuitas iis studijs nobilitetur; præclara iuuentute floreat, ab exteris populis celebretur, rebus omnibus & commercijs affluat, atque *his* medijs ciues locupletentur, maioremque cum vicinis populis contrahant beneuolentiã; denique Societatis Collegium ciuibus asylum fore tutissimum. Plura sæpius in hanc sententiam Præsul pijssimus; quibus Magistratus non mediocriter commotus, quantum sibi per Prouinciales (quibus immediate subest ciuitas) licebit, sancta fide pollicitus est, futuram sibi curæ Societatem. Pridie sui discessus vniuersum Senatum inuitauit, ei valedicturus; vbi inter alia colloquia, Patrem nostrum conuiuij sponsum esse sæpius acclamauit, in cuius gratiam omnis apparatus fieret, multa subdens in Societatis commendationem. Cui, peracto conuiuio, Consul, dein Iudex prolixa oratione, totius Magistratus ciuiumque nomine, responderunt, se tot tantisque meritis in perpetuum Reuerendissimæ S. Dominationi adstrictos fore, ac vniuersæ Societati. Contentos insuper concionatore suo, quem citius habere peroptassent: multos enim conciues suos, qui fidei causa patriam & penates deseruerant, concionibus habitis,

Digitized by Google

habitis retineri facilè potuisse. Non multò post, nostri Patris consilio, Parochus solennem processionem ad templum D. Ruperti, sat longè ab vrbe indixit ciuibus. Conuenere multi, quorum erat tripartitus chorus; primus Litaniarum; alter inter ciues deuoti concentus Germanici, quibus præcinebat Noster; tertius mulierum; horum omnium deuota melodia ciuitas personabat. In reditu quoque probata est eorum deuotio, & sine rustico respectu in eadem constantia. Nam cum timeretur, ne procedendo per vrbem ciues respondere verecundarentur, ideoque Noster fingeret velle se subtrahere; fortiter restiterunt ciues dicendo; Nisi, Pater, Reuerentiam Vestram nostri pudeat, equidem nos Vestræ R. minimè pudet: quare lubens nobis ad Dei gloriam præcinere pergat, nobis respondere est gratissimum. Hic itaque eorum zelus & deuotio, mirum quantam in animis eorum, qui ob verecundiam Processioni se non adiunxerant, commouit deuotionem. Hic perstringere libet, quod de quodam Prædicante plures viri consulares, occasione huius Processionis in mentem reuocarunt, certaque fide confirmarunt. Is ante paucos annos inuitarat populum Clagenfurtensem ad eundem locum, in derisum nostræ religionis processionem fingens, & quo plures secum traheret, ac maius odium in ritus sacros concitaret, pollicitus est se velle dæmonem (cuius instinctu Catholici suas processiones, ac Sanctorum inuocationes peragerent) visibili specie exhibere. Populus curiositate impulsus,

Digitized by Google

numerosior adfuit. Itaque prædicans insulsum sermonem exorsus, post multa in sacras cærimonias conuitia, scatulam protulit, ex qua volatile quiddam emittens, id dæmonem esse affirmabat: vix ea locutus, en in oppositam arborem euolauit dæmon ille, & cum cantillare cœpisset (erat enim auicula) risum & cachinnos omnibus mouit: & profecto impostor ille egregiè se illudendum, & exsibilandum vniuersæ multitudini propinasset, nisi statim suas fraudes fuco ac mendacijs, ineptè apud simplicem plebem contexisset. Sed hæc hactenus, fere alijs communia. Iam Nostra breuiter perstringamus. Negotium religionis in dies promouetur, ac imprimis ciuium progressus in exercitijs pietatis. Conciones ad populum frequentes habentur, conuersatione & alijs Societatis nostræ consuetis exercitijs nulla ratione omissis; ex quibus quantus in dies singulos fructus promanet, melius ij, ad quos laborum nostrorum pars aliqua deriuatur, persentiscũt. Certè quidam stimulis conscientiæ agitatus, quos ex frequenti concionũ auditu accepit, & iam prope ad desperationis scopulũ allisus, hoc salutare iniit consilium, vt è vestigio nostrum adierit, hæresim abiurarit, & facta confessione generali, veram pacem conscientiæ nactus fuerit. Inter alios quoque concionum fructus, hic est non postremus, quod auditorium magis ac magis in dies crescat: & cum pomeridiano tempore ad lectionem Catechisticam, in initio vix compararẽt quadraginta, nunc eius auditorium vix matutinæ concioni dissimile videatur. Non desunt quoque frequentes occasiones agendi cum Prouincialibus, eorumque

que familijs. Et licet ijs hactenus Iesuitæ inuisi fuerint; iã tamen mansuetiores facti, studio ciues aliquos instruunt, quos adeant sub alio prætextu dum nostri adsunt, vt hac ratione Iesuitarum consuetudine fruantur, & eorum familiarem agendi modum perspiciant. Suspensa interea fuerat quorundam maleuolentia, contra Sereniſſimi voluntatem, noui templi consecratio; vnde factum, vt licet eiusdem Sereniſſimi iussu nostrorum cuidam habitatio in supra dicta fabrica fuerit assignata: in templo tamen nec verba ad populum haberi, nec alia diuina officia peragi potuerint. Demum tamen & hoc impedimento superato, vltima Nouembris die S. Andreæ sacra, in maxima populi frequentia, solenni cum cærimonia & apparatu, ab Reuerendiſſimo Suffraganeo Gurcensi, in honorem DD. Apostolorum Petri & Pauli (hos enim Sereniſſimus, vti Societatis nostræ patronos, nominarat) est consecratum. Frendebant super ea re quidam hæreticorum, quibus clementia Sereniſſimi (si forte ad saniorem mentem redeant) aliquid temporis ad commorandum in Prouincia, indulsit; & cum plura nequirent, seu inuidiæ seu odij, quo erga nos feruntur, feruore accensi, in lacrymas resoluebantur. Quo vero magis isti inuidia æstuabant, hoc magis Catholici triumphabant, & exultabant. Mirum dictu, quantopere etiam ex omnibus vrbis partibus, audito campanarum sonitu, (quas pridie Reuerẽdiſſimus consecrarat) ad templum fuerit accursum; nec accursũ modo, sed vsque ad Cærimoniarum omnium, quæ ad multas horas protractæ, finẽ constãtiſſimè ac deuotiſſimè expectatum. Illud silentio non est inuoluendum,

Digitized by Google

quod cum die insequente ante auroram, quidam è nostris reditum in Oberndorff maturans, eò accessisset, vt diuinum officium, foribus templi clausis, perageret: aliquot è feminis ad valuas templi præstolantes reperit. Causa quæsita, cognouit eas orandi gratia eò confluxisse; iubet ergo templum reserari; plures illico adsunt; ita vt ad finem sacri (licet ære campano nullum signum datum) magno numero homines vtriusque sexus in templo fuerint reperti. Neque prætereundus est Sereniſſimæ Mariæ matris erga hanc nouam Ecclesiam Clagenfurtensem, quantum erga nullam aliam, ipsa etiam Sereniſſima teste, verè maternus amor, liberalitas & munificentia. Caruerat illa omni prorsus ornatu Ecclesiastico, adeo vt ad ipsum Dedicationis diem, emendicato habitu fuerit exornanda. Sed succurrit eius inopiæ Sereniſſima, munere Principe digno. Nam preter complures albas, Corporalia &, Pallas, Antipendia aliquot magni pretij, Casulas, quoque duodecim, nescio an materiæ vel formæ præstantia superiores, largiſſimè est elargita. Addenda hic ad extremum noui Collegij in nos collata possessio: quæ vt postrema tempore (hodie namque, hoc est vndecimo Decembris, per Sereniſſimi Commissarios, coram Consule vrbis, & aliquot è Senatu, eiusdem Sereniſſimi nomine & authoritate est nobis tradita) sic merito postremum locum sibi vendicare videtur. Illud in ea traditione accidit notabile, quod cum in area Hospitalis (cuius ea omnia, quæ quadrangulo includuntur, in nostram

stram potestatem deuenere) ante fores templi Illustrissimus Comes, sermone prævio claues Patri Rectori in manus dedisset, & is pro laboribus in ea commissione impensis, illi cum primis, deinde eius Sociis, gratias agere ordiretur, signum incendij in turri ciuitatis datum, & iterum iterumque ingeminatum, quasi tota ciuitas in flammis esset; sic Consul officij causa se proripit, famuli DD. Commissariorum partim ad diuersa loca, vbi incendium foret, exploratum missi, partim suopte nutu disperguntur, solis pænè DD. Commissarijs cum tribus è nostris relictis. Cognitum postea, densiorem fumum ex camino cuiusdam ciuis, nescio an scintilla aliqua subuolante, prodeuntem, causam vigili signi dandi præbuisse. Sic res tota in fumum abijt, licet multi multa inde ominari non desinunt. Illustrissimus deinde Comes in nouo templo nostro altare, (vnicum enim illic tantum est) in honorem Beatæ Virginis erigendum suscepit. In nouo proinde Collegio, inhabitandi initium datum. Hæc Collegij Clagenfurtensis initia, quæ maioribus in dies incrementis stabilita, toti Prouinciæ non mediocriter sperantur profutura.

DOMVS

DOMVS PROBATIONIS BRVNENSIS.

PESTILENTIA (quæ hoc anno grauiter ciuitatẽ afflixit) illæsi omnes Dei beneficio perstitimus, tametsi nunquam periculi vitandi causa, siue à confessionibus omnium, promiscuè ad ædem sacram aduentantium, excipiendis; siue à sacrosancto Dominici Corporis epulo pœnè quotidie ministrando (multis videlicet contagionis metus, ad diuina mysteria frequentanda, calcar addiderat) cessatum fuerit; nec ferè quicquam eorum intermissum, quæ nostra Societas iuxta suum institutum, in salutem proximorum impendere solet, cum nullum subest eiusmodi periculum: vt vere dici possit, nullo nos humano præsidio, sola Dei præpotentis ope, inter tot pericula tutos extitisse. Habitæ sunt igitur non minus hoc, quàm reliquo anni tempore, singulis Dominicis ac festis diebus, binę ad populum conciones, Germanica, Boëmica: partimque his, partim priuatis congressibus, aspirante pijs conatibus cælesti numine, perfectum est, vt centum octoginta septem varias hæreses, alij Husiticam, Lutheranam alij, nonnulli Piccarditicam, & Anabatisticam abiurarint: triginta nouem Calicis vsu relicto, sub altera duntaxat specie, ritu Catholico sacram synaxim perceperint: ducenti & viginti quinque, sincera ac salutari pœnitentia totius vitæ noxas eluerint: multi denique alij siue in fide nutantes confirmati, siue à laxiori viuendi ratione ad meliorem frugem reuocati sint.

In

In his accidêre nonnulla præ cæteris memorabilia. Mulier quædam, cum præter sacrilegæ conscientiæ cruciatum, magnas quoque à marito pateretur molestias, funiculum repente, vtique à diabolo oblatum ad suspendium, fronte signo S. Crucis munita, & prolatis verbis; Fili Dauid miserere mei, subitò iterum amisit. Alia, quæ ob interdictum calicis vsum, ahstinere prorsus à Sacramentis vltra biennium, quàm ea more Catholicorum percipere maluit, in graui tandem morbo resipiscens, sacerdotem nostrum accersiit; qui peractis ceteris, ad extremum ablutionem de vitreo poculo, ægrotanti de more porrexit: quod vitrum auersata quædam, quæ forte fortuna cum nonnullis vicinis, inuisendi gratia ad ægram venerat, nescio quid submurmurabat; quamobrem perhumaniter admonita à matrefamilias, aut abstineret ab eiusmodi vocibus, aut si mallet, ex aliena domo pedem efferret, abire maluit infelix mulier, euentu longè infelicissimo. Nam proximum molendinum petens, quod ab ea domo vix quinquaginta passibus aberat, dum transit pontem, fallente vestigio, in profundum flumen lapsa, atque vi fluminis sub molæ rotam delata, eiusque impetu (quod fractæ rotæ iactura postea declarauit) miserandum in modum ita obtrita ac discerpta est, vt ne corpus quidē illius repertum vnquam, aut conspectum fuerit. Quæ res vicinis omnibus terrori simul, atque admirationi fuit. Iam quod ad conciliationes animorū attinet; ingens multumque, ni mature succursum esset, qua publicè, quà priuatim, permitiosum intestinæ simultatis, inter primarios totius Moraiæ viros, incendium exarserat. Id si non extinctum

ctum penitus, tamen ita sopitum est, vt neque manarit longius, nec in mutuas, quæ formidabantur clades ac damna eruperit. Excursum est aliquoties solennioribus festis ad duo oppida, rogatu duorum Baronum: vbi magno, non ipsorum tantum Dominorum, eorumque familiæ aulicæ; sed oppidanorum omnium fructu laboratum est, excipiendis præsertim confessionibus, & nonnullis, post abiuratam hæresin, in Ecclesiæ gremium restituendis. Repertus senex septuagenarius, Lutherana hæresi ab ineunte ætate irretitus, in qua etiam obfirmatus, ad extremum vsque spiritum perseueraſſet, nisi aliquoties per quietem quendam, candido vestitum habitu aspexisset, qui partim blanditijs, partim minis senem eo perpulit, vt desertis Lutheranorum castris, ad Catholicos, tutissimum salutis asylum, sese transferret. Fecit igitur, & quidem eo animi sensu, vt inter ipsam detestationem Lutheranæ perfidiæ, dolore lacrymas & singultus promouente, formare verba vix potuerit. Cardinalis à Dietrichstain nos frequenter inuisit, sacros ordines in nostro templo confert; continuandæ Collegij fabricæ sumptus suppeditat. Dedit hoc anno taleros octingentos. Suggestum concionatoris eleganti opere, sumptuque non paruo (summam quingentorum talerorum facile excedit) iam pæne perfectum. Scholasticorum licet multi sub initia grassantis pestis, ad loca tutiora concesserint: tamen in ipso extremi temporis articulo, adhuc quadringenti plus minus reperti sunt, nec inter eos pauci, quibus hæc à Musis necessaria diuulsio tam ingrata fuit, vt lacrymas cohibere, quæ Præceptoribus commiserationem

mouerent,

Digitized by Google

mouerent, nequiuerint. Ceterum primam in omnibus laudem tulere Parthenij, siue litteras discendique ardorem spectes, siue frequentem vsum sacramentorum, siue corporum voluntariam afflictionem per ieiunia, cilicia, aliasque id genus pœnas susceptas; quorum charitas alienæ quoque saluti profuit. Quidam apud mulierem hæreticam assiduis adhortationibus, vrgente simul vi morbi, tantum profecit, vt sacerdotem, cui conscientiæ maculas aperiret, adduci ad se pateretur. Alius ab altero ægro Sacerdotem rudem & indoctum vocare iussus, non prius fecit, quàm, vt aliquem idoneum accerseret, ab ægroto impetrauit. Nouitius quidã corpore & animo æger, tentationéque contra vocationem pulsatus, cum corporis dolore & morbo ita afflictaretur vt periclitaretur etiã de vita: En vides, inquit his verbis ad B. Virginem conceptis, constitutum nunc esse me in periculo: si est ad laudem & gloriam nominis Filij tui, vt in hac Societate viuam & moriar, sanitatem mihi impetra. Promitto enim si sanitati restituar, in ea me esse mansurum. Dixit, & mox melius habuit. fuitque hæc promissio etiam deinceps saluti, vocationique conseruandæ. Itum hoc anno ad diuersos pagos & ciuitatis suburbia, in quibus doctrinam Christianam tam minoribns ex instituto, quàm ex occasione maioribus, magno cum fructu suo & aliorum, proposuerunt. Peregrinationis vero tempore, quod in vernum tempus incidit, vniuersa quæ acciderunt ad duo capita fere reuocantur, humanitatis nimirum aliorum erga peregrinos nostros, & tolerantiæ peregrinorum in aduersis. Primum enim non solum nostrorum, ad quos diuerterunt, insignis

gnis eluxit erga eos charitas fraterna; sed exterorum mira etiam humanitas & liberalitas. Tolerantiæ vero illud fuerit, quod sæpius non solùm pane, sale, & leuissimo potu victitarint, & cubuerint in stramine, paleis, scamno, nuda humo & stabulo fœtenti; sed exprobrationes quoque, calumnias, & irrisiones quam plurimas tam ab hæreticis, quam quibusdam etiam minus bene vel sentientibus, vel cupientibus Catholicis, patientes gaudenteſque sustinuerint.

PROVINCIA SVPERIORIS GERMANIÆ.

IN hac Prouincia de Societate numerantur vniuersè septuaginta quinque supra trecentos, qui distributi sũt in quindecim sedes nempe Domum professam vnã Oetingană: Collegia vndecim, Ingolstadiense, Dilinganum, Monacense, Augustanum, Lucernense, Friburgense, Oenipontanum, Halense, Ratisponense, Bruntrutanum, Constantiense, quibus addenda Probationis domus Landspergensis, Domus Eberspergensis, & Biburgensis Residentia. E Sociorum vero numero sunt Sacerdotes centum nonaginta, Magistri non Sacerdotes viginti tres, ceteri Coadiutores, Nouitij triginta nouem; quot autem quouis loco resident, ex huius anni literis certò colligi non potest. Mortui tres, adscripti ad familiam nostram viginti vnus.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM INGOLSTADIENSE.

AB hæresi absoluti viginti duo, sacris meditationibus expoliti domi sexdecim. Scriptæ & editæ variæ Apologiæ pro vita B. P. N. Ignatij. Discipuli in Gymnasio nostro sunt quingenti inter quos multi Nobiles, Barones, Comites. Vnus è Sodalibus Parthenijs insigni charitate duos, iam iam duello concurrere, & mortem inferre sibi parantes, ad pacem & concordiam reuocauit, cum in eos fortuito incidisset. Tres ex maiori Congregatione Societati nomen dedere; ex minori duo. Ciuis erat, cui sub currum effuso tibiam rota exossauerat, & tantum non à corpore abstraxerat, chirurgorum opera ad nexum redijt pes, verum magis doloribus quàm gressibus vsui erat. Vouet B. V. ad aram nostram cereum pedem, exin solo scipionis adminiculo graditur exulante dolore, atque anathema suspendit. Doctor Albertus Hungerus Academiæ Procancellarius, legauit templo nostro aureos centum, atque crucem gemmis auréque faberrimè illutam. Huius in funere ad D. Virginis, tres de nostris funebres Orationes habuere.

RESIDEN-

Digitized by Google

RESIDENTIA BIBVRGENSIS.

INSONS quidam orta seditione, trimestri amplius spatio cum inter vincula duriter, pane & aqua vix altus detineretur, dimittendus erat, si carceris custodi quæstum solueret. Nihil habebat, & tamen debebat, huic igitur Sacerdos noster bonus fuit, & libertatem ei, emendicata emit stipe. Nobilis præterea vir, nostrorum ante id consilijs melior ob hæresin dimissam, & pietatem contrà feruentem admissam, hoc demum anno annorum plenus humanis discessit, prius tamen quadringentorum aureorum legatum, ad nostri Patris arbitratum in pios vsus partim iam expendit, partim expendi constituit. Sacellum Deiparę Allerstorfensis solenne suum non tantum retinet, sed auget, votiuis ibi sacris quàm plurimis, cæterisque rebus persolutis. Quæ causa etiam vt illuc commeent non raro, celebres Antistites ac Nobiles, dumque id alij faciunt, ne in mala incidant, vicissim alij faciunt malis iam exempti. Voti sui reos plurimos fuisse cõstat, eque morbis granibus superstites cũ pestem, lepram, phrenesim, alioſq; non leues dolores curare medica, & opifera Sacræ Virginis manu, votis nuncupatis licuit. Supplicationes ab accolis & frequentes, & piæ illuc institutæ, ideoque vtiliores, quod multi ibi confiterentur. Summa, nemo vnus eo se contulit, quin loci sanctitate, sacellique amænitate ad reditionem incitetur.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM DILINGANVM.

PLVRIMI in fide confirmati. Hæretici domi foriſque abſoluti (ſi Eluacenſes eximamus) quinquaginta tres. Cetera communia.

COLLEGIVM MONACENSE.

CESSIT è vita P. Carolus Leopoldus. Vixit in Societate annos quadraginta duos; homo ſalutis proximorum cupidiſſimus, quod multorum annorum concionibus habendis, & confeſſionibus audiendis teſtatus eſt. Vndequadraginta hæretici abſoluti, in quibus vnus Prædicans, vt vocant. In carcerem impactus erat honeſtæ mulieris vir; hæc de viro ſolicita varia variorum adibat limina, ſi qua ratione maritum è carcerum anguſtijs liberaret: non deerant qui opem pollicerentur, ſi corporis tamen illa non denegaret vſuram: quin etiam mœchus libidine ardens in mulieris ædes aduenerat, & vt remotis arbitris flagitio muniret viam, præſentibus mandata dabat, omneſque ſenſim amandabat. Sagax mulier rem odorata, depoſcit ſibi negotium omnes ex ædibus expellendi: quod vbi conceſſum, primam ſe expulit, nec ſe prius ad propriam domum retulit, quam cognouit adulterum morâ fatigatum ſe proripuiſſe. Aliquando poſt è cuſtodia liberatus eſt coniux, quem vxor ad

Digitized by Google

vniuersæ vitæ exomologesin induxit. Orphanotrophium procurantibus nostris instauratum: in studiosorum eleemosynas mille sexcenti, eoque amplius, floreni collecti. E septem qui ad mortem educebantur (quorum sex ab hæresi absolueramus) vni parum fuit frequenti prece, pro delictorum venia, numini clementissimo supplicasse, flagris etiam voluit iratum propitiasse. Omnes fortiter mortem oppetiere: ille vero feliciter, qui posteaquam sex annis piacularem neglexisset confessionem, à nostro rescisciente vocatus, animi sordes eluit, insequentique nocte inopinato est extinctus fato. Scholæ nostræ, si aliàs vnquam, numero floruerunt; numero responderunt ingenia, diligentia, virtus. Melior & nobilior pars sub Parthenianis militat signis. Et quod dicta confirmabit facile, viginti vnus ijque maiorem partem Parthenici, Patrum Cappucinorum, aliorumque religiosorum familijs sua nomina transcripserunt. Tres etiam Societati nostræ se adiunxerunt.

DOMVS EBERSPERGENSIS.

MORTVVS est P. Bartholomæus Schiencxius, post viginti duos annos in Societate cum laude exactos. Frisingæ Coëpiscopus meditationibus B. P. N. se exercuit. Hunc secuti Curiones tres. Carolus Princeps & Comes ab Arenberg ab Alberto Austriæ Archiduce, Londinum ad Anglum Regem, legatus abierat multo comitatu. Londini pestilens adeo grassabatur morbus,

Digitized by Google

morbus, vt quot hebdomadibus milleni facile morerentur: Princeps de sua suorumque salute solicitus, ad auertendum pestis contagium, apud numen D. Sebastiano vsus est deprecatore, vouens, si voti damnaretur, se in patroni æde perpetuum accepti beneficij monumentum depositurum. Voti reus signum sancti Sebastiani argenteum insigne, filio in Bauariam proficiscenti tradidit, in Eberspergensi nostro templo deponēdum; addidit & tabulas publica authoritate confirmatas, rei seriem vniuersam continentes. Domi foriſque inducti ad confessionem multi: vnus, qui proteruè contempsit, horrendum sui similibus exemplum fecit; monebat enim vxor, vt quod plerique omnes factitarent, & ipse non tergiuersaretur, animum scilicet à noxarum maculis perpurgaret; monentem ridebat primum, verbera etiam minabatur, si molesta esse pergeret: dum ergo hanc vitæ viam male pergit, mors incautum oppressit. Erdingam, Bauariæ in oppidū è nostris missi duo cineralibus diebus, initio loci parocho parum sunt vsi fauente, vt qui dictitaret, se vereri vehementer, ne oleum nostri operamque perderent, & ostendebat quidem, sibi gratum fore, si nostri re infecta domum se referrent. Quod cum nostri abnuerent; concionis tandem fecit potestatem, cui & ipse interfuit. Dicentis porro verba frequentissimū populum, clerū, & maximè ipsum Curionem flexerunt, & ita quidē, vt pleriq; oppidani omnes (in his Sacerdotes viginti duo) apud nostros crimina fuerint detestati; trecenti etiam superioris vitæ scelera repetiuerint omnia: duo qui ad Lutherum transfugerant, ad nostra redierint castra. Puella lecto affixa viginti duos iā

annos in morbo, neſcias animi ne magis an corporis, agebat. De Deo verba ſannis & cachinnis explodebat. Mirũ dictu vt noſtrũ vidit, moxceteros omnes faceſcere iuſſit. Plena rationis pectus totum pectoriſque labes vniuerſas aperit, & ſana iam animo, ſequenti etiã die corpore conualuit. Mira & hæc dexteræ Excelſi mutatio. Sons in carcerem compactus, vbi ſenſit Iudicum ſententia mortem obeundam, enim vero ſuis horis vſus, nihil non & ad præterita abolenda ſcelera, & ad futuram in cælo promerendam gloriam egit: à noxis piacularj confeſsione purgatus, tanta puriſsimæ mentis dabat argumenta, vt qui ante viderant, qui nunc audirent, omnes ab illo alium vehementer admirarentur; vanos ſalutatores, conſolatoreſque ægrè ferebat admiſſos, moxque emitti iubebat: pellices tres ad peccatorum induxit exomologeſin: hos in auditorum ingenerabat motus pietatis, quos erumpentes multæ lacrymæ commendarent. Die morti decreto cibum recuſaùit omnem, ieiunus ad ſupplicij locum lætus perrexit, & melioris vitæ fretus ſpe, tanta conſtantia mortem oppetijt, tantoque fuit ſpectatoribus ad virtutem exemplo vt faterentur omnes, ab hominum memoria Erdingæ ſimile ſpectatum nihil.

COLLEGIVM AVGVSTANVM.

AB hæreſi abſoluti quinquaginta ſeptem. In his vir antiquæ nobilitatis, qui exemplo maximo fidei profeſsionem confeſſario & duobus

Digitized by Google

bus de noſtris præſentibus fecit,& totius vitę peccata generali confeſsione expiauit:poſtridie ſacra ſynaxi in templo noſtro percepta,confirmationis ſacramentum accepit. Puella quatuordecennis vtrumque parentem habet Lntheranum, ſeruit tamen pater, opificio ſcriniarius, Collegio cuidam ſacrarum virginum, haud procul Auguſta degentium: ad quas operæ cauſa, ſubinde euocatur Auguſta. Comitata illum aliquando eſt natu minor filia, de qua hic narramus; vidit cænobium, cultum diuinum, pietatem & modeſtiam Religioſarum feminarum: icta diuinitus aſpectu & exemplo Religionis, concepit illico votum mutandæ Religionis, & Virgines imitandi; redit Auguſtam, clam parentibus furtim ad templum noſtrum properat, & à noſtro inſtructa, Eccleſiæ Catholicæ tranſcribitur. Furit pater, & dure habet filiam, nec tamen poteſt à ſententia deducere; ad Religionem toto pectore adſpirat illa, & litteræ ſcribuntur, patroni adhibentur, cauſa apud Virgines, & Antiſtitam Schonfeldianam fortiter agitur: nihil proficitur: negant Virgines eo tempore locum eſſe. Labitur annus; offertur tirunculæ cæleſtis B. Virginis, quo pingi ſolet habitu, ſpecies, quæ,Iam, inquit, voti tui explendi occaſio eſt: ſcribe quam primum litteras ad Præfectam cænobio; quod niſi rem acceleraris, nunquam offeretur amplius hæc conditio. Paret candidata Dei, Chriſti ſponſa, monenti Dei Matri: ſcribit, & intra paucos dies venire iubetur. Effert clam domo veſtes, & quæ ad iter faciebant, nec parentes, quamuis obſeruarent diligenter filiam, aduertêre; vt diceret Virgo, ſuos in meridie cæcutijſſe. Auolat ergo ex patria &

Digitized by Google

meliorem reperit, requirunt parentes profugam, & publicè in omnibus hæreticorum cathedris promulgari iubent. Postridiè afferuntur litteræ, in Cœnobio Virginum alicubi versari; repetunt illico filiam parentes; negant Virgines posse illam ad suam fidem confugientem eijci; si receptam vellent, ipsi adessent, & secum reducerent. Adest mater: ad filiam admittitur, & sola cum sola totam noctem laborat, vti eam à fide deducat, conatur omnia, nec proficit hilum, quà venerat, re infecta abire cogitur. Fuere aliæ, quæ pietatis causa à paternis ædibus excluſæ, seruitutem seruiunt, vt in libertatem filiorum Dei olim asserantur. Repertus hic miles impius, quique vicenos annos sine Numine, Religione, Sacramentis egerat. Inusitato correptus morbo, ranas aliquot viuas ex intestinis eiecit. In huius familiaritatem & amicitiam, humano generi parum amicus se ita insinuauit dæmon, vt aspectabili forma se videndum illi præberet, comitaretur, & tandem dies & noctes adhæreret, atque ad immania facinora sollicitaret; quin ab excubijs domum proficiscentem discingit ipse, ferrum nudum in manus tradit: vxorem cum liberis mactare iubet. Repressit tamen impium suasorem, & tandem ad Sacertis nostri pedes prostratus, à familiari spiritu liberatur, & paulo post beata morte, vt sperandũ, defungitur. Tractus quidam alius adolescens ad Cathedram pestilentiæ Lutheranæ, repente velut bos ictus humi concidit. Idem accidit ad hæreticas missо scholas; vbi nostra auditoria ingressus, nostros Magistros audiit, nihil vnquam morborum est passus. Toto nouennio tyro opifex à Magistro præpeditus, clam tandem euasit & nobis conscientiam

Digitized by Google

conſcientiam aperuit. Ab infantibus quoque parentes ad officium pietatis reuocati. Mater lactanti ius elixæ carnis interdictis diebus ſorbendum obtulit, carnes ipſa vorauit: infans oblatum auerſatus liquorem, duriores etiam cibos auido arripuit, & matrem ſuo exemplo ab eſu carnium deterruit. Pane puro, & puro fonte multi opificum multos dies vitam tolerarunt, ne ſe impijs eſculentis inquinarent. Appoſitam bubulam alij canibus obiecere, ægre ferenti hoc matrifamiliæ, & roganti, cur non ſaltem ſibi relinquerent edendam, ſi ipſi eſſe nollent? æque tibi, inquiunt, ac nobis peſtem adferret. Matrona patriciæ ſtirpis, hoc anno dudum orba viro, ad cælum haud dubiè commigrauit. Nullum diem prætermiſit quin rei diuinæ apud nos intereſſet, & tria quotidie, ſæpe plura ſacra audiret, ancillas quoque ſecum traxit, ex quibus nullam vnquam paſſa eſt vllo die feſto quicquam domi ſarcire, nere, aut reficere: ſed ad eum vſum diem lunæ totum miniſterijs liberum, & vacuum conceſſit, quo ſibimet veſtes concinnarent, aut repararent. Geminos Societati filios conſecrauit, tertium bello nuper amiſit. Minorem natu ſacris initiatum hoc anno laute habuit, & cum paullo poſt vita exceſſuram ſe videret, ſeorſum auocauit, petiuitque ſupplex ab eodem veniam, quod puerum olim ſeuerius tractaſſet. Nullus in ea faſtus, luxus nullus, ſumma caſtimonia parſimoniaque, antiqui ſæcli matrona, quam omnibus exempli cauſa proponas, tanta ac tam honeſta morum in ea diſciplina. Precante domi circa octauam noctis religioſiſſima femina, ſubito hypocauſtum, in quo tunc ſola genibus nixa precibus vacabat, re-

Digitized by Google

ſeratur, albati ſpecies hominis apparet, eademque ſæpius per noctem recurrit: territa rem ad noſtros defert. Ter ſalutaris hoſtia pro ſalute vagę animæ offertur, & ab eo tempore audijt nihil, nihil vmbrarum vidit amplius. Faciebat alia pudoris & honeſtatis itidem amantiſſima femina, alumna noſtra, cum vicino minime alioqui ſuſpecto viro iter: qui tamen hanc (vſque adeo nemini fidendum) ſolam nactus, cœpit ad malum ſollicitare: negat illa ter quater conſtantiſſimè: cum alter iam vim pararet, educto illa cultro, aut mihi, inquit, aut tibi hic occumbendum. Ita ſe periculo exemit, & decus ſibi apud Deum & *Diuos* omnes æternum comparauit. Geminis matronis partu grauiſſimè laborantibus, B. P. N. Ignatij manu ſcriptis litteris præſenti ope ſuccurſum, & grati animi ſignificationem vtraque dedit, cum ſacram ad ſacrificia veſtem templo obtulit, quarum altera amplius centum aureis æſtimatur. Gymnaſium noſtrũ mirifice illuſtrarũt tergemini Principes Raziuilij ex Lithuania profecti. Edidere ſingularia quædam & publica pietatis documenta, domi foriſque probè inſtituti. Duo treſque per Sodalium inſtitutionem, ab hæreſi auerſi. Diſputarunt ijdem Sodales domi frequenter pro Romana & Germana fide, nec verba tantum conrumelijs plena, ſed verbera etiam patienter Chriſti cauſa pertulere. Curauit quidam ſuo ſumptu legum Angelicarum libellum recudi, ſinguliſque Sodalibus ad Calendas Ianuarias pro ſtrena exemplar eleganter ligatum donari. Inter dona quibus templum noſtrum exornatum eſt, maximum arbitramur munus, quod à Reuerendiſſimis & Illuſtriſſimis Principibus Epiſcopis Ioanne Curienſi,

Digitized by Google

Curienſi, Henrico Auguſtano hoc anno accepimus, grandiuſculum, inquam, os è corpore S. Lucij Regis Britannorum, Apoſtoli Curienſium, & Anguſtanorum.

COLLEGIVM LVCERNENSE.

CONTRACTVS illiciti ducentorum aureorum per noſtros reſciſſi. Femina in partu laborans, appenſis ſibi B. P. N. Ignatij lipſanis ſaluum edidit fœtum. Triginta tres per noſtros cum Eccleſia in gratiam rediere. Templi inſtrumento acceſſit calix cum cetero ornatu, Lipſanotheca argento obducta, veſtis attalica, & ſerica Sacerdoti, & eadem ex materia aureis filis intertextis Conopium tabernaculo exornando. In quodam pago cum Sacerdos noſter (ſæpius enim eo rei diuinæ faciendæ cauſa miſſus erat) illaudabilem conſuetudinem eorum, qui cum infante ſacro rore tincto, recta ad cauponas vel domum contenderent, ſine vlla precatione in templo facta, increpuiſſet, commode accidit, vt ab ea concione infans baptizandus offerretur. Qua re peracta, inter ſe cohortati ſunt id præſtare, quod ante audiuiſſent: ſtatim ergo quartam horæ partem genu flexo ante, quam diſcederent, in precibus poſuerunt. Plures dies tenuit miſſio Glaronenſis. Eſt autem Glarona octauus Heluetiæ Canto, & Henrici Glareani eruditione nobilitata. Tota olim ditio, cum Zwinglium adhuc haberet orthodoxum paſtorem, Catholica erat; poſt & ipſa magnam partem eius hæreſi imbuta eſt. Hoc anno cum

Digitized by Google

cum aliquandiu Parocho esset destituta, Reuerendissimi Nuncij rogatu, vnus è nostris sub extremos maioris iciunij dies eo missus est. Timebatur principio à multis, ne molestior Iesuitæ accideret aduentus. Sed secus euenit. Post vnam enim atque alteram concionem, ita eum commendare cœperunt, vt inter ipsos hæreticos fuerint, qui familiarius cum illo colloqui desiderauerint. Et sanè quantum omnium animos sibi, & Societati deuinxerit, tum aliæ, cum maximè litteræ, quas Magistratus ad Reuerendissimum Nuncium Apostolicum dedit, copiosè declararunt. *nihil enim* eæ fere aliud, quam Patris nostri laborum ac *industriæ* laudes continebant. Et certe ita laborauit, vt nullum fere momentum temporis à labore habuerit vacuum. Quare si repetatur, vberrimi prouentus spem seges affert.

COLLEGIVM FRIBVRGENSE.

PRIMVS lapis noui templi positus est quinto Iunij à R. D. Ecclesiæ S. Nicolai Præposito, præsentibus vtriusque sexus honoratis & nobilibus. Huic operi perficiendo Senatus potissimum liberalitas fauet. Hæresin abiurarunt quadraginta. Sunt in hac vrbe honestæ, nec inopes familiæ, quibus salus inter hæreticos viuentium curæ est maximæ; comanturque è vicinis vrbibus hæreticis ad se pellicere, alere, fouere, & in rebus nostræ fidei, promissa quoque dote, per nostrum Sacerdotem instituere. Cuiusdam mulieris filiolus triennis absente marito brachiolum confregit,

fregit, & ob doloris acerbitatem domum eiulatibus compleuit; matri iram mariti pertimescenti, aliud tum in mentem non venit, quam vt BB.PP. Ignatij & Xauerij opem imploraret, quam his fere verbis, & gemitus & lacrymas interrumpenbus est precata. O Beati Patres si quando in terris patris officiũ exhibuistis, nunc in cælo misericordiæ viscera ostendite, mihique matri afflictissimæ vestris apud Deum deprecationibus, filiolum integro brachiolo restituite. Ecce tibi vix illa preces absoluerat, natum ingenti perfusa lætitia sanum & integrum ante oculos intuetur. Sensim igitur B. P. N. Virtus se in his quoque partibus Auenticorum exerit, vti etiam hoc exemplo memorabili discere possumus. Mulier alia, cuius vita sæpius in partu periclitabatur, aliquot dies adeo graues pariendi difficultates fuit experta, vt vnicum suæ salutis & infantis remedium quæsierit in reliquiis B. P. N. Ignatij, quibus à Patre nostro impetratis, & de collo suspensis, intra horæ spacium felici partu enixa est. Referam aliud, quod in adulescentulo parentibus hæreticis nato, contigit. Erat is altero oculo natura fere captus; adductus ab vtroque parentum ad quempiam è nostris patribus, à quo rationem medendi petiuerunt. Ille cum videret erga se horum confidentiam, aquam eis impertiuit lustralem, qua filij conspergerent aliquoties oculum, Deumque precibus diligenrer orarent: non præterierunt dies quatuordecim, oculum filio ex integro restitutum esse vident, Deique benignitatem, Patrisque nostri consilium inter hæreticos prædicant. Impetrauit à R.P. Generali N. Magistratus, vt ad alias quinque classes, Dialecticę, & Theologiæ moralis adderentur.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM OENIPONTANVM.

QVIDAM senio iam & annis non minus, quam canis obsitus, perantiqua vir nobilitate, à prima pueritia in eum vsque diem inter delicias, summamque vitæ & morum licentiam vixerat: Ad hunc mandato Sereniſſimi aditus, præterquam Patri noſtro, patebat nemini, vt hac ille ratione ſenſim, & facilius ad ſupplicium, quod impendedat, perferendum præpararetur. Quod etſi pluribus conſtitit horis, diuino tamen numine adſpirante, cæleſti tandem, & ſacro quodam præter omnium expectationem tactus fuit, & imbutus illius animus ſenſu, vt lacrymabundus Dei bonitatem identidem prædicaret, cuius ipſe diuiniſſimo, & ſalutari conſilio in hos carceres, corporis quidem ſui tortores, animi tamen quandam quaſi officinam peruenisſet, extra quam ſeſe futurum fuiſſe perditiſſimum, ac deploratiſſimum profitebatur. Ab hæreſi abſoluti coniuges duo cum filio & filia. Quidam ex ijs, qui obire apud noſtros confeſſiones frequentius aſſolent, accenſus cuiuſdam de ſalute periclitantis animæ iuuandæ deſiderio, cum per litteras agere minus tutum foret, dierum aliquot itinere ad eum profectus eſt, coram egit, & confecit rem magna cum vtriuſque voluptate animi, & emolumento alterius. Ad templi noſtri ſupellectilem acceſſerunt dona varia, florenis trecentis duodecim facile æſtimata.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM HALENSE.

VNvs ex hac vita migrauit, P. Petrus Riedinger: vixerat in Societate annos septemdecim qui magnum exemplum patientiæ, in doloribus pedum acerrimis diu perferendis, & in laboribus pro salutè proximorum exantlandis, fortitudinis & charitatis reliquit. Æstate fere media, Ecclesiæ bellis malisque alijs innumeris afflictæ, opem aliquam suis precibus allatura Sodalitas, instituit supplicationem publicam & solemnem, ad D. Virginis ædem pone Oenipontum, in Monasterij Wiltinensis agro sitam, cui se ciues vtriusque sexus plurimi adiunxerunt. Quod agmen totum tanta, tum ordinis, tum splendoris vestium, baculorum, aliorumque signorum dignitate & maiestate ductum & reductum, vt non solum hæc nostra, sed etiam Oenipontana ciuitas, non sine stupore animi, maximo vero cum applausu, & pijs lacrymis spectauerit. Redeunti obuiam iuerunt Catechismi discipuli, sub signis etiam sacris, & non sine comitatu ciuium, quorum vltra quingenta capita numerata. Accessit ad Sodales nostros precandi caussa non semel sed iterum, & ni impedita fuisset, semper accessisset Serenissima Achiduciss̃a senior, cum iunioribus totaque aula sua, & bis item tres ipsas horas sine cessatione vlla in oratione posuit. Collegio præter esculenta non pauca, donati centum viginti floreni, à vidua quadam nobili legati in testamento.

Empta

Digitized by Google

Empta altera deinde villa, pecunia ex horto suburbano vendito collecta, quæ priori nostræ villæ vt vicina, sic etiam maximo commodo erit.

COLLEGIVM RATISPONENSE.

RELIGIOSI septem Exercitijs spiritualibus expoliti. Præter alios quadraginta, ad Ecclesiæ castra redijt Ludimagister hæreticus è Palatinatu, viginti totos annos eo munere functus, quem vxor, olim Catholica, in extremis, serò, licet serio forte, resipiscens, sed tamen de suorum salute sollicita, commonuit, vt si se suosque saluos vellet, ad partes Catholicorum transiret. Paruit is monenti, huc se ad nos quam mox contulit; vbi mysterijs nostris imbutus, hæresin cum quinque liberis per confessionem deposuit; quod adeò placuit Reuerendissimo nostro, vt eum cum prole omni, priuatim sacra Confirmatione in inceptis corroborarit. Ipse parens, filijs ad varia loca officiaque promotis, per nos bonosque viros, ad sacros ordines adspirat, vt vitam sancte finiat. Et sane vir hic, si vllus alius, non videbatur sibi vlla ratione satis in Deum, atque in nos gratum se exhibere posse. Etiã Zwinglianus quidam quintum iam annum, sed conatu irrito, transitum ad Ecclesiam moliebatur, tandem huc vbi venit, post quintum, sextumue cum Patre nostro congressum, manus dedit, hæresinque abiurauit. Restitutiones factæ, vel promissæ, maiores, minores ad quadraginta. Quædam femina partus difficultate laborans, particula tunicæ B.P.N. Ignatij, ac

Digitized by Google

ac cerea agni effigie admota, feliciter peperit. Vnus Pater nobilem quendam senem ægrum, aliquot milliaribus domum vsque suam comitatus est, eique adstitit morienti, non sine consolatione tam ipsius, quam omnium suorum; apud quos præter conciones publicas habitas, confessionesque exceptas, libros hæresi inquinatos complures à pluribus elicuit, secumque domum aduexit. Locus Congregationis magna impensa à nobili ac R. D. Decano exornatus est. Feria sexta Parasceues annua supplicatio è summo templo, ad varia Christi Cenotaphia consueta pompa celebrata, Sodalibus in acie constitutis: Crucem iterum iterum prætulit Reuerendissimus D. Præpositus, venerabili canicie conspicuus. Quã supplicationem Reuerendissimus Episcopus capite semper aperto est prosequutus; qui etiam postridie cum pauculis, nudato capite, omnia sepulchra (octodecim fuere) obiuit. In festo Virginis Assumptæ instituta est supplicatio nobilis, signo euoluto, è nostro templo ad veterem capellam, vbi vesperæ cantatæ summa celebritate: adfuit Reuerendissimus cum omnibus Canonicis, & plures sexcentis sunt prosecuti. Missi sunt & hoc anno Reuerendissimi nostri nomine, & magna cum auctoritate publicisque litteris & viatico, duo è nostris Patribus verno ieiunio in Siluam; qui mentes hominum barbarorum prope silvescentes præclare erudierunt, & cœlo dignas reddiderunt. Tam rudis equidem gens erat, vt, cum concionator dixisset, accedenti ad confessionem primùm frontem cruce signandam, quidam veniens ad confitendum caput Patris apprehenderit, ipsiusque fronti crucem imprimere cœperit, qui suæ debebat, qui porrò

porrò elegantiores, & Christiano homine dignos mores confessione expolitus didicit. Confessiones quidē exceptæ sunt, ab vno circiter triginta, ab altero quinquaginta supra mille: quarum pleræque fuere generales. Impediuit quoque multum fructum inueterata rusticorum consuetudo, qui adigi non possunt, vt anticipent confessionem. Ab hæresi exsoluti sunt nouem.

COLLEGIVM BRVNTRVTENSE.

QVIDAM è nostris nephritide, iunctis etiam pleuritide & pestilente febri, grauiter laborans, ex prostratis repente viribus se depositum ratus, opem è cælo quæsiuit & iuuenit. Nam post peccatorum expiationem, cum rogasset sibi adferri de veste B. parentis Ignatij pæticulam, quam penes Superiorem esse sciebat; allatamque pungenti applicuisset lateri, mox eius attactu dolorum aculeos effugauit: quin exiguo interuallo, cùm in humeris & alio post etiam loco, graui alio lancinaretur cruciatu, contactu simili, consimilem inuenit dolori medicinam: adeoque breui conualuit, vt intra quatriduum, & morbus & morbi reliquiæ steterint. Viduæ longâ insomniâ languenti, appensa de collo eiusdem vestis filamenta, somnum non sine multorum pia admurmuratione conciliarunt. Dente, maligno-que rabientis catelli morsu complura in rabiem ierant animantia; iam equi aliquot furentes, nitro glandeque traiecti plumbea, mortui iacebāt; vnus hic vrebat timor; ne pueri, quos furens idem

idem rabido tetigerat presseratque ore catulus, in furias agerentur: loci Sacerdos in alijs de cælo, & hoc præfixit malo remedium: amandat cum literis nuncium ad Societatis Sacerdotem Bruntrutum: petit rem fieri diuinam, vt deprecatore B. Ignatio, à formidati furoris periculo immunibus esse pueris liceret. Res facta diuina: plures iam abiere menses, de furore nullus vel rumor tenuis. Saga mulier, arte venefica honestam male affecerat matronam: à quæsitoribus in carcere rogata, se veneficium quod dederat, fassa est aliquando augere, aliquando & tollere animo destinasse; nunquam tamen potuisse vel pedem in conclaue inferre, propter amuletum quod matrona secum habebat: erat vero Lipsanotheca quam vnus è nostris iacenti commodarat: in ea quiddam de veste B. P. Ignatij inerat, incertum an aliæ, & quænam reliquiæ. Vbi casu reddita est patri theca, veratrix cubile ingressa, piam, & quid secum fieret, nesciam matronam veneficio liberauit. Strix quidem data flammis: matrona vero sui compos valet vigetque, estque adeo studiosa Beati Ignatij, vt pro magno thesauro acceptam eiusdem Beati tenuissimam vestis particulam, argento clausam perpetuò è collo gestet. Dictum anno superiore de obitu fratris Illustrissimi Basilienſis Principis: vxor cum patri posthumam enitteretur prolem, secum è Collegio habuit acceptas B. P. Ignatij reliquias; enixa filium, voluit vocari Ignatium, quod maritus optime in Societatem propensus, id fieri ante mortem imperasset. Exercitatus est, B. P. Ignatij meditationibus, vicini Cœnobij Prælatus, qui quo à strepitu omni remotior, eo vicinior Deo esset, in campestrem se-

Digitized by Google

cessit villam nostro comitatus Patre. Hic vniuersam relegit, & pœnitentiæ Sacramento correxit vitam. Hic tanta vis se cælestium gaudiorum in eius insinuauit animum, quantam antea senserat nunquam, & quantam vix capere posset, prout ipse nostro Patri mirabundus dictitabat. Hic à Deo ardentes suo pectori expertus subdi faces, ad regularem religiosioris in Cænobio vitæ reformationem, quam secuturam spes est: quandoquidem non ipse vnus Antistes, sed & alij omnes loci primores eadē ardent flamma, omnesque vel ijsdem exercitijs formati sunt spiritualibus, vel ardenter efformari student. Hæresin detestati duodecim, de duobus dicendum. Arte pictor non ignobilis, cum varijs Germaniæ peragratis locis in hanc veniisset vrbem, illi amicus, & eius de salute pie solicitus, nostrum Patrem monuit rogauitque, pro occasione tentaret, si hominem ab hæreseos perfidia reuocaret. Vtrumque noster, cùm illi postmodum viserent Collegium, ad parcam nostri triclinij mensam vocat, modestè habitos dimittit lętos, nec de religione agit vel verbo: iterato cum conuiuam habuisset, sub mensam enimuero addictum iam sibi hominem familiariter rogat, ecquid illud sit potissimum, cur, quoniam cum pluribus iam Societatis patribus egisset alibi, etiam cum Martino Becano, catholicis tamen se adiungere durus tergiuersetur. Libere ille quędam de exomologesi piaculari eloquitur, & de ceteris aliquibus Catholicorum, quæ in sacris libris sit nusquam reperire. Noster amicè, quę adducebat, in biblijs diuinis legi asserit, & vt asserta probaret, petit ecquænam Biblia velit? Lutheri, Caluini, an quæ in propinquo Catholica?

hæc

Digitized by Google

hæc voluit, quippe quibus etiam Schafhusij (nomen ciuitatis hæreticæ est) cuias ille erat, vterentur: noster volutis digito paginis, in duos de confessione locos articulum intendit: vt legit ille, pisce taciturnior mox de Collegio se proripit; paruo dierum interuallo adest paratus Catholicum se profiteri. Monet noster de peccatis expiandis apud Sacerdotem; parantem repentina & ardens tentat febris, & timidum, ne hæresi implicitus moreretur, impulit vocare nostrum, hæresin abiurare, vitam exomologesi sacra purgare vniuersam: conualescit: in pietate constans & firmus perseuerat. Alter è duobus, Egenolphus Henricus, Baro in Merspurg & Befort, familia Generosus, arte illustris militari, ad ceteras variasque linguas latinæ non ignarus, hausta à puero altum in pectus hæreseos venena dimiserat. Euomendi autem caussa & occasio fuere huiusmodi: In Italia dæmones è corporibus, quæ inhabitanda intrauerant, foras ritu extrudebantur catholico; dum fiunt exorcismi, adest in conferta turba Baro. Baronem malus genius energumeni lingua notans, Germanicis verbis; En tibi, inquit, Germanum, & hæreticum quidem; perstrictus ista voce Baro, vultu rem dissimulat, & simulare facile fuit, quandoquidem circumfusa corona Germanicè nesciens, quæ malus accusator dixerat, non intelligebat: e turba educit se, & huc serio animum admouere deinceps instituit, vt inter tot Religionum sectas, probam & veram fidem, à ceteris improbis & vanis secerneret deliramentis, eamque toto pectore sectaretur. Cum homine ergo Societatis amicissimo agit: à quo apprimè plures hæreses dedoctus, atque impense de vera

Digitized by Google

instructus tandem nostrum conuenit sacerdotem, varia variorum hæresiarcharum dogmata, quæ non in Germania solum, sed in Suecia etiam alijsque partibus male didicerat, luce palam in templo repudiauit, & Catholicã ex formula Concilij Tridentini fidem est professus in vicina ciuitate; vniuersas viræ rationes piaculari confessione diluit, & sacrosanctam Eucharistiã piè est prosecutus, modoque etiam Sereniſſimus Austriæ Archidux Maximilianus Teutonicorũ equitum Magister, & Romę, & apud Cęsarem agit, vt quandoquidem Baro ad Sacerdotium etiam animum applicuit, iamque adeo horarias è Canonico Breuiario legit preces, ei beneficium & dignitas Ecclesiastica conferatur. Multæ sunt adhibitæ in paterna aula ad reflectendũ in peius animũ machinæ. Lutheri præco, aliũde vocatus, adfuit, qui noxio in bello auxiliares ferret manus, sed hic petitiones sic eluſit omnes, vt cuncti de victoria spem sibi omnem præciderint. Lætus modo & quietus Generoso parenti impense charus victor viuit, libereque omnes in hæretica familia, & ædepaterna, Catholici hominis partes obit. A falsa ad veram fidem redierunt quinque, quorum primus, cum aliquanto ante fidem Deo dediſſet, non ita seruarat, quin & Moloch sui partem daret sacrificij; carptus tamen vehementius paullò, quam aures suæ ferre consuessent, sese collegit demum, atque fictionem omnem vera Religione commutauit. Huic non multum dissimilis Burgundus quidam, qui annos complures in secta Lutherana partim impostorem, partim verò Ludimagistrum egerat, tactus autem ad viuum, die quodam, vi concionis vnius è nostris,

Digitized by Google

stris, protinus aduolat commotus, vt edoceatur rudimenta veræ fidei, quod mox è Patre nostro præstitum est fideliter, præsente loci iudice. Dat ergo manus: hæresim abiurat; detestatur propalam, confessionemque sacramentalem instituit: & quamuis cum facienda fuit publicè fidei Catholicæ professio, aliquantulum sit instigante dæmone tergiuersatus; protinus tamen instanter, ne dum vltrò fidei professionem in façie Ecclesiæ, iuxta Concilij Tridentini formam edidit; quin & ipsius vxor eodem fascinata sortilegio hæreseos, ad saniorem mentem redijt. Opifex Lutheranus Germaniam, Galliam, Italiamque perlustrarat annos omnino duodecim; is Bruntrutum oportune veniens artis suæ exercendæ causa, cœpit nauseare hæreticos errores, inuitatus ad colloquium, facilè conuenit nostrum, disseritur, vincitur, fit Catholicus. In Burgundiam excursum, quàm antea penitius; atque vt pagos multos præteream, in vno, cui Bisotum nomen est, auditæ à nostro quatuor dietum spatio Confessiones trecentæ, è quibus duodecim vitæ totius. Ad pagum, in quo sacerdotem ordinis nostri concionatutum percrebuerat, conuenere aliorum septem pagorum incolæ, cum labaris & cantu publico, à proprijs pastoribus deducti; immiscuere etiam se hæretici aliquot, qui postmodum retulere, sibi in articulo de SS. Inuocatione non mediocriter satisfactũ. Cumque alia vice eundẽ eodem venturum audissent, confluxere pagi duodecim cum suis Curionibus eodem quo prius tituadfuerunt & hæretici complures, qui percepta concione, vltro fassi sunt, sibi nequaquam fidei mysteria à suis Prædicantibus

Digitized by Google

tam apertè enucleari. Ab eodem ſedata lis ingens ac ſcandaloſa, quæ curionem à præcipuis ſui gregis ita abalienarat, vt mutuam præſentiam non ferrent, & quoniam parum videbatur, ſi humano tantum more, id eſt, mutuis colloquiis, ſalutationibus, atque conuiuijs ad concordiam redirent, data opera, vt ſedula confeſſione ſacramentali vtraque pars vitam malè actam expiaret, quod factum. Tandem aliquando poſt tredecim annorum tolerantiam, quam in ſummis antiqui Collegij anguſtijs ſuſtinuimus, immigrauimus in Collegiũ nouũ vigeſimo ſexto Auguſti, Anni milleſimi ſexcenteſimi quarti, à Reuerendiſſimo atque Illuſtriſsimo Antiſtite noſtro ac fundatore ædificatum, vnà cum remplo ſcholiſque. Tertio poſt immigrationem die Reuerendiſsimus noſter vna cum duobus Canonicis Baſilienſibus, necnon Conſiliarijs omnibus, tribus prẽterea Conſulibus & Clero apud nos prandit. Inter prandendum à quinque patribus actæ gratiæ ſunt Reuerendiſsimo Fundatori, pro tam magnifico & ſumptuoſo Societati noſtræ extructo Collegio, idque Latino, Græco, Hæbraico, Italico, Gallico idiomatis, ſolutis atque ligatis. Feſto D. Lucæ ſacro cœpimus omnes primùm facere rem ſacram in templo nouo. Ad templi ornatum acceſsit pannus ante aram magnam pendulus, ex holoſerico rubro, filoque argenteo ſcite elaboratus, liberalitate Clariſsimæ Abbatiſsę ex Maſsmunſter. Campanæ tres, Reuerendiſsimi noſtri munere, poſt earum benedictionem turri noſtræ appenſę ſunt,

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM CONSTANTIENSE.

QVOD diu multumque optatum à bonis omnibus, illud hoc anno tandem Dei beneficio consequuti sumus, assignatus enim Collegio est ille locus, quem olim S. Conradus huius Ecclesiæ Episcopus & patronus inhabitasse fertur, non incertis indicijs, optimo & commodissimo totius ciuitatis situ. Ad quem non multo post, singularis & inexpectata ipsius Magistratus liberalitas accessit, vt qui olim coniunctis viribus ab incœpto nos prohibere conatus est, iam spatium, pro horto Collegij amplicando, capacissimum adijceret. Et quanquam per se ille non parum ad hoc animatus ac propensus esset, multum tamen promouit vnius è Senatoribus grauis & luculenta oratio, quam duobus è nostris præsentibus coram Senatu habuit, eaque inter cætera, nostrorum labores, ab initio Residentiæ ad hoc vsque tempus, pro communi totius ciuitatis salute, nec minore omnium Catholicorum satisfactione impensos, multis verbis, non sine nostrorum rubore, vehementer commendauit. Neque silentio prætereundum, quod cum ad assignandos prædicti spatij limites, negotium ædili suo Senatus commisisset, huic autem, vt pote Lutheranæ sectæ addicto, parum ad hoc exequendum animi esset, subædilem suum ad hoc misit, qui suas suppleret vices. Egit is negotium hoc, vt est vir Catholicus, strenue, fixisque palis tantum nobis spatij attribuit, quantum nemo nostrum ex-

Digitized by Google

pectare ausus fuisset. Initium ergo fabricæ datum est octauo Idus Aprilis, quo die postquam nostri sacrificia & preces Domino Deo obtulissent in hunc finem, mane intra octauam & nonam hotam R.P.N. Superior primum lapidem posuit. In sumptu, quem nostri emendicando ad Collegij fabricam colligunt, tantam hucusque experti sumus piorum hominum liberalitatem, vt haud magno nostro labore, quantum satis esset, nunquam nobis defuerit: multum autem ad piam hanc largitionem omnis ordinis homines excitantur, cũ intelligunt, nos æque grato animo paruam ac magnam pecuniæ summã accipere, & nomina omnium in librum referre, ac suffragiorum, quibus benefactores nostri gaudent, facere participes. Hinc sæpe viduæ, ancillæ, peregrini, & in ipsis Xenodochijs habitantes, sua minuta, quæ longo tempore thesauri instar seruauerunt, lætabundi deponunt, & cum acceptantur, magni beneficij loco accipiunt. Vnde & peregrinus quidã pauper, cum ex D. Virgine in eremo, hâc domum rediret, ædificium ingressus, offert vni è nostris in chartula quatuor bacios, atque impense rogat, vt benigne accipere, & in hoc pium opus conferre velit, accipitur cum gratiarum actione, & ipse sacro agno donatus discedit. Templi fundamenta quinto Calendas Augusti iacta fuerunt ab ipso Reuerendissimo nostro, in honorem S. Conradi Episcopi, qui quod mirum videri potest, in hoc amplissimo Germaniæ Episcopatu, nullum hactenus, de quo constet, templum habuit. De scholis porro, pridie Assumptæ in cælũ Deiparæ actũ & conclusum, vt ad D. Lucæ omnes simul, hoc est septem caperent initium, id quod & factum, præmisso

Digitized by Google

missō solenni de Spiritu S. Sacrificio: numeratique sunt discipuli ducenti quinquaginta. Ad hanc autem rem magnum adiumentum attulit Sereniſſimi Archiducis Maximiliani authoritas. Is enim non per Epiſtolam tantum, ſed & coram, cum Conſtantiam nuper veniſſet, cum Reuerendiſſimo noſtro multum egit, quæ ad nouellæ noſtræ plantationis bonum ſpectare videbantur. Quin & patentes nobis litteras tradidit, quibus omnibus ac ſingulis res noſtras, maximè vero ædificij negocium ſtudioſe commendauit: hocque ſuo exemplo effecit, vt & Reuerendiſſimus non multo poſt idem præſtiterit. Ab hæreſi abſoluti viginti. quidam non procul ab vrbe habitans in pago, cum annis prope ſexaginta impij Zwinglij ſecta innutritus fuiſſet, Deo tandem miſerante, ac morbo, quo aliquot annis laborauit, commonente, necnon Patre noſtro ſtimulante, cum Eccleſia in gratiam redijt; ipſo vero vix dum nonnihil refecto, inuolant certatim in ædes hæretici, atque in id totis viribus incumbunt, vt miſerum ad tenebras, è quibus emerſerat, denuò ſecum retrahant; at fruſtra; nam ille omni caute ſolidior, fixus immotuſque permanet, aliam, dicens, quercum excutite, mihi ſtat Catholicè poſthac, pieque viuere ac mori. Hunc non multo poſt idem Pater ad mortem, confeſſionis & Communionis Sacramentis communiuit; & quidem cum locus, vbi decumbebat, hæreticus eſſet, noſter eò omni, qua potuit reuerentia, clam Sacroſanctam Euchariſtiam ad ipſum extulit; ipſe vero æger affirmabat, à puero conſueſſe ſe ſalutationem

Deiparæ

Deiparæ quotidie recitare, ita vt tantum suæ salutis beneficium, precibus D. Matris adscribendum videatur. Post discessum eius è vita, hæretici qui aderant, multis sermonibus prædicare cœperunt nostram in ipsum charitatem atque industriam, ac similem sibi in causa simili optare aiebant. Virgines nostris confiteri solitæ, ne naufragium pudicitiæ facerent, acriter depugnarunt; quarum vna, cum à magno quidem, sed magis genere quam virtute nobili, ad flagitium pelliceretur, minis primum, dein vngulis, post pugnis agendum rata, tanta vi colaphum infregit impuro, vt os naresque vbertim sanguine stillarent, moxque dum ille à comparibus ridetur, victrix illibata euadit. Nec minus fortis illa, quæ quatuor similes assotos modis omnibus, quibus potuit, vociferatione, pugnis, morsibus, cultrique crebris petitionibus fregit fugauitque. Alia philtris, & nescio quibus veneficijs prope dementata cum esset, atque ideo magno Castitatis in periculo constituta, diuina ope, nostrique consilio & præsidio mania liberata, & discrimine erepta est. Aliæ non paucæ, ne carnibus, quibus diebus prohibitis hæretici vescuntur, animas contemerarent suas, solo pane contentæ fuerunt. Morbi causa, venam secare iussa Virgo die Sabbati, eoque carnibus vesci, constanter respuit, maluitque totum illum cum nocte diem ieiuna transigere, quàm Ecclesiæ præceptum violare.

DOMVS

Digitized by Google

DOMVS LANDSPERGENSIS.

VIGINTI hæreſeos vinculis expediti. Sacellum in Lyci campo, haud minus hinc tribus paſſuum millibus à fundamentis erectum, & magnæ Matri dicatum, non ſolum priuatis noſtrorum ſtudijs frequentatum vtiliter eſt, ſed etiam Eccleſiaſti noſtro bis terue cathedram præbuit, quando tum Lanſpergenſes, tum vicini populi ſupplicatum eo confluxerunt. Sub dio ferè dicendum erat; nec indignum relatu viſum, quod aliquando nubes imbriferæ circum latè ſe effuderint, nulla concioni moleſtia illata. In ſancto Monte peregrinis, quàm ſtrenue licuit, vacauimus. Numerus eorum qui peccatorum nexibus expediti ſunt, ægre accenſeri potuit, certe infra octingentos non conſtitit. Nec domi reſidentibus nulla portio obtigit, quippe complures peregrinorum huc diuertentes, ab ipſis Curionibus ad nos confeſſionis gratia adducti ſunt. Duos remotiores vicos ſacratioribus diebus Sacerdos noſter adijt, ita expectatus gratuſque, vt turmatim accurrentibus, vix par eſſet omnibus in confeſſione audiendis: hic centum & nouem, illic ſex & ſeptuaginta ſupra trecentos ad ſalutare epulum præparauit. Sereniſſimus Dux Guilielmus centum aureos nobis donauit; tantundem Conſul Auguſtanus, cum nos viſendi filium, & ſolandi ſtudio viſeret. Illuſtris Domina Comitiſſa vidua, præter ducentos florenos, bina capita è S. Vrſulæ Sodalitio purpura veſtiuit, & diademate, vnionibus

ac

ac ſtellantibus lapillis conſpicuo. Tertiũ quoque elegantioris formę Euchariſtico calici impoſuit.

DOMVS OETINGENSIS.

PECCATORVM exomologeſes numerauimus vniuerſim ſexcentas ſepuaginta ſeptem ſupra decem millia. De tota vita ſexcentas nonaginta nouem. Eorum vero, qui cæleſti menſæ hic acubuerunt, cenſa hominum capita millia octo. Hæreſum vinculis exſoluti triginta. Turpi concubinatu & meretricio quæſtu extractæ triginta. Aes alienum trecentorum florenorum veris dominis reſtitutum. Illuſtriſſimus Antiſtes Ratiſponenſis Oetingam nuper pietatis gratia profectus, & noſtro hoſpitio vſus, hinc euocauit Patrẽ vnum qui rudem plebeculam quâ concionando, quâ confeſſiones excipiendo, ad confirmationis ſacramentũ (Vilsbiburgi & Gerlij Bauariæ oppidis, quinque mille capitibus cõtulit intra paucos dies) dignius ſuſcipiendum informaret. Nulla enim erat huius Sacramenti apud illam plebem notitia, & ab hominum memoria nulli vnquam illis in locis collatum. Tres repudiatis falſis opinionum commentis, ad fidem Catholicã reuocati ſunt, in quorum vno illud commendatione dignum, quod, cum Marianæ ſalutationis appendicem ignoraret, in magnis tamen morbi moleſtijs ſibi identidem prælegi curauerit. Hagam oppidũ miſſi duo menſe Auguſto, vbi omnes fere ciues ſędis Lutheri erroribus adeo tenaciter adhæreſcebant, vt conſtans omnium vox fuerit impia & inſana:

Digitized by Google

sana: constitutum sibi esse in semel instillato errore persistere, si vel patentem gehennam coram intuerentur rictu suo se excipientem, multo minus ad hęc se de patriæ, fortunarum, vitę etiam ipsius iactura esse sollicitos. Vnde nostrum congressum barbarorum in morem refugiebant, nec spes sacræ sementis excipiendæ, aut frugis affulgebat. Tandem in tanta rerum desperatione, vltimum, idque non inane tentatum remedium est. Præfectus enim arcis ciues omnes ad quotidianam exhortationem campanæ signo, hora septima matutina, vel inuitos compellit: quamuis alio titulo eodem tempore, mandato Cæsareo ad Orationem contra Turcam in templum conuenire debeant. Istic prima concione ciues prolixè dilaudati, commendata Austriaci ingenij facilitas, prædicata antecessorum in auitam Religionem sedemque Apostolicam obseruantia, ostensum quibus vijs & verborũ lenocinijs, Magistri mendacij eos a via veritatis auerterint, inque densissimas illas errorum tenebras incautos coniecerint; quæsitum tandem quid causæ sit, quod tantopere lucem exhorrescant, veritatem refugiant, & errores cum supremo suæ salutis discrimine tam cupide sequantur: additum adesse nos vt pro fide Orthodoxa, ciuiumque sempiterna salute, vitam sanguinemque si opus sit libenter profundamus, & ob id ipsum futuros nos in horribili illo iudicio refractariorum rebelliumque ciuium accusatores, Deum vero præfractorum capitum seuerum iudicem. Illapsa hæc vox in aures & animos auditorum; cicurati qui antea feri, & faciles promptique facti ad fidei controuersa capita percipiendum, qui paulo antè

aures

aures serpentū instar, ad vocem incantatoris occludebant: essectumque est, vt oppidum vniuersum, magno Dei munere, Deo & Ecclesiæ manus dederit: ita vt, quod antehac à quadraginta & amplius annis, Lutherana perfidia corruptum fuerat, intra vnius mensis decursum, totum auitæ Religioni fuerit restitutum. Octoginta septem familiarum capita hæresin eiurarunt. Communicantes centum triginta octo numerauimus. Inter hæresi solutos fuit vir centum annorum, adultera sua secta viginti amplius annis senior; cum nullo tamen æque laboratum, licet quinquaginta annos sacra Catholica sit sequutus. In vicinas ciuitates, & pagos excurrerunt nostri, & præter alios fructus excursionum vberrimos, duabus in vrbibus, & vno in pago constituerunt Rosarij Congregationem. Auget magnopere, gratum Bruntrutanis patribus laborem, Congregatio venerabilis Sacramenti, patre nostro promouente hoc anno instituta. quidā ex Sodalitio B. Virginis diuitijs, eruditione, & morū maxime integritate apud omnes clarus vitam finierat; aliquo dierum interuallo cum noster noctu in cubili quiesceret, en tibi stragulā lecti vestē sentit moueri, euigilans caput è lecto exerit, flammā in conclaui timidus spectat, & articulatam è flamma vocē stupit personantem. Vox fuit; Noli timere ego sum talis, ego sū talis, (iteratò se voce nominabat) orate pro me. Orate pro me. Plura piaculari ritu sacra sunt pro defuncto facta in altari priuilegiato, & spes est, pro honesta & integra vita quam in terris gessit, animā modo beata in cęlis mercede potiri. Vt speremus iuuat & illud: quod noctu idem externo sacerdoti, huius loci parocho, erudito grauiq; apparere

rere visus decora forma, adeo vt eum de ambrosia iucunda specie, licet ante viuens diu ex alio morbo, vultu esset deformato, parochus mirabundus compellarit. A Sodale viro primario templo nostro accessere dono calix, vrceoli, peluicula, ex argento omnia. Accesserunt & bibliothecæ libri, ducentorum facile aureorum pretio æstimati, quos Sodalis ille moriens Collegij esse voluit. Ensishemij actum de Collegio inibi erigendo, vbi primis annis de Societate octo inhabitent: postmodum viginti, quibus tria annuo prouentu assignantur florenorum millia: pro futuris nouis templi, Gymnasij, Collegijque ædificijs duæ offeruntur areæ, ex quibus, vtram velit, Societati datur optio. Ad ædificationem decem millia florenorum in parato sunt: pro reliquis impensis receperunt ampliſſimi Regiminis, Cameræque proceres, se ad Sereniſſimum Maximilianum scripturos, rationesque suggesturos, quibus ædificatio possit promoueri. Denique vt R. P. Generalis Collegium acceptantis voluntas inaudita est, etiam antequam ab eo, cuius intererat, legitime declararetur, cõfestim externi magistri, qui gymnasij iuuentutem regebant, aliam conditionem tres intra menses quærere iussi, & eo propediem venturæ facere locum Societati. Locus est ad Societatis munia aptiſſimus. Nam vt taceantur Regiminis Cameræque Senatores, in quos quicquid operæ impendis, vniuersæ impendis Alsatiæ, quam regunt: Circa Ensishemiũ in orbem sunt viginti quatuor ciuitates, plures pagi trecentis, arces Nobilium, domicilia Religiosorum, Virginumque varia, ad quorum locorum quem velis, vno æstiuo die ire possis.

PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA RHENANA.

NOVEMDECIM domicilijs, è quibus Collegia quindecim, domus probationis vna, Residentiæ tres, & vna Missio, viginti nouem supra quadringentos degunt è Societate nostra in Prouincia Rhenana. In Collegio Colonienſi triginta quinque; Sacerdotes vnus & viginti, Magistri tres, vndecim rei domesticæ Adiutores. In Treuirenſi triginta; Sacerdotes septemdecim, Professores quatuor, nouem Coadiutores. In domo Probationis tres supra sexaginta; è quibus scholastici quadraginta duo, Coadiutores sexdecim, quinque Sacerdotes. In Moguntino quinquaginta quinque; Sacerdotes quindecim, Professores non Sacerdotes quinque, studiosi Theologiæ & Philosophiæ viginti tres, duodecim Coadiutores. In Herbipolenſi quadraginta sex; septemdecim Sacerdotes, quinque Magistri Philosophiæ, auditores quindecim, Coadiutores nouem. In Spirenſi viginti nouem; Sacerdotes octodecim, quatuor Magistri, Coadiutores septem. Viginti sex In Fuldenſi, quatuordecim Sacerdotes, quatuor Magistri, octo Coadiutores. In Heligenstadiano sexdecim; Sacerdotes nouem, Magistri duo, quinque Coadiutores. In Molshemiano viginti septem; è quibus decem Sacerdotes, quatuor Magistri, septem Coadiutores: Viginti in Confluentino; nouem Sacerdotes,

Magistri

Digitized by Google

Magistri, & Coadiutores totidem, quot in Molshemiano. Padbornæ vndeuiginti; Vno dempto, totidem Monasterij; Sacerdotes vtrobique nouē, Coadiutores sex, Magistri vero duo hic, istic tres. Hildesij tredecim; Sacerdotes sex, duo Magistri; ceteri Coadiutores. Totidem Embricæ, Sacerdotes octo, Magistri duo, tres Coadiutores. Aquisgrani nouem; quatuor Sacerdotes, duo Magistri; tres Coadiutores. In Residentia Erfurtensi Sacerdotes duo. In Altenensi, & Bonnensi duo, cum vno vtrobique Coadiutore. quatuor in Hagenoensi, Sacerdotes duo, totidem Coadiutores. Decessere decem; accessere triginta vnus. Omnium industriam, ardoremque animidu sua, aliorumque procuranda salute, non parum exacuerunt piæ Commentationes, ex præscripto Reuerendi P. N. & susceptæ alacriter, & obitæ singulari cum fructu, vt in Collegijs omnibus obseruatum.

COLLEGIVM COLONIENSE.

PATER Ioannes Ghilsius Hollandus, quatuor votorum Professus, & Pater Euerardus Huckeshouen Vbius, Coadiutor spiritualis, laboribus, vitaque hac defuncti sunt fœliciter; quorum ille annos sexaginta duos, triginta quinque in Societate vixerat. Tironibus formandis annis pluribus præfuerat. Collegium Treuirense rexerat, Vir mitis, & charus omnibus, orationis, & mortificationis perquam studiosus: alteri vero qui iam diu cum parlysi & epilepsia luctatus, assiduis

siduis precibus se ad illud vltimum certamen compararat, vti non immatura, ita nec inopinata mors accidit, anno ætatis quinquagesimo septimo, Societatis initæ trigesimo sexto. Fuere ex alijs varij, varijs morbis tetati. Doctrinę puellę duę iam grandiusculæ, sed quæ adhuc Catechistæ nostro operam dabant, eo sanctioris vitæ desiderio inflammatæ sunt, vt die festo cum Parentes templum adijssent, comunicato consilio, clam omnibus, ex paterna domo, atque adeo vrbe ipsa profugerint, & emensis quatuor millibus passuum, ad Cœnobium virginum se contulerint, *summis precibus ab Antistita contendentes, vt in album* virginum Deo sacratarum reciperentur. Vbi res parentibus innotuit, Mater illico aduolat, flens excipitur à gaudentibus filiabus, audit decretum esse, istic de cetero ætatem agere, neque voluit pia mater Deo reluctari. Itaque annuit votis, & alteram extemplo sponte offert, sacro virginum cœtui aggregandam, alteram secum reducit, dum ab vlceribus, quibus laborabat, curaretur; remittendam eodem, si perstiterit in sententia. *Puso* annorum non amplius quinque donatus *icuncula*, cum audisset ante eam preces fundendas, vbi domum redijt, non ante quieuit, quam extorsisset pia importunitate, vt ea in conclaui parieti affigeretur: tum vero digressis ceteris, obseruatus à parente, genua flectere, plicare manus, & quicquid precularum norat, recitare, quo spectaculo mirum quam recreatus Parens vir primarius. Adolescens Opifex dum adstat catechesi, dum sacrum hoc certamen audit, ita permotus animo est, vt quicquid lucelli fecerat ea hebdomade, id in munuscula victoribus dispertienda

m agna

magna cum voluptate offerret. Scholæ, & numerosam, & lectam habent Iuuentutem: Quatuor emenso Philosophiæ cutriculo in Societatem asscripti, quorũ vnus iam iam abiturus, mulierum cognatarum blanditijs, & vero etiam violentia in conclaui detinebatur, quibuscum tanta animi contentione certarat, vt sanguis è naribus prorumperet. Sed frustra, nihil cedere pertinax hominum genus: donec à Socio irrumpente, prope vi extractus est. In alios religiosos ordines benè multi transiuerunt; Alij conditiones lautas, quæ pietatem impedituræ videbantur, animo excelso respuerunt; inter quos fuit adolescens fortunæ tenuis, qui multos sè vidisse aiebat, quibus obfuisset præpropera fortunæ commutatio; ideo se, vti hactenus, vitam inopem viuere malle. Multi à suis conatu maximo extorsere, vt vel adire scholas nostras, vel in ijs liceret persistere. Puellus decennis à parente hæretico lacrymis, & importunis precibus id vix impetrauit, & ita simul Parentis animum mollefecit, vt ad capienda religionis suitę semina iam subactus videatur, & nostrorum familiaritatem ambiat, quos auersabatur antea. E grandioribus plures triginta, de quibus quidem constat, suis, ipsos à scholis nostris auocare conantibus, restitere fortiter. Quæ à nobis hausere adolescentuli pia monita, etiam transfundere in alios satagunt. Itaque fuere, qui è paterna domo prauas consuetudines, repugnantes Ecclesiæ præceptis propulsarint; qui domesticos aut errantes, ad veram religionem reduxerint, aut torpentes, ac tepidos ad fidei feruorem, & Sacramentorum frequentationem excitarint. Hæretico loco, & patre natus adolescentulus vix

Digitized by Google

annum vnum nostra disciplina excultus erat, cum sub ferias Paschales in patria redijt. Hic parens, domestici, alij certatim aggredi tirunculum; argutijs, minis perurgere, vt cibo, ijs diebus interdicto, more patrio vescatur, sed frustra; persistit ille, immò libros parentis errorum illices, clam correptos Vulcano sacrat; Enimuero id moleste ferre pareus furere, & rem totam ad se ductorem rabulam deferre. Ille pro concione exaggerare audax, & nefarium scilicet adolescentis facinus, ferociter bacchari in eos, qui suos liberos nobis erudiendos committunt, carceres insuper, & extrema quæque minitari iuuenculo: quibus omnibus id tandem assequutus est, vt is, patre, patriaque deserta, apud nos mendicatò vitam tolerare malit, quam inter perduelles Ecclesiæ abundare. Quod & alij honesto loco nati adolescentes, in scholis nostris factitant. Sodalium pietas hoc anno eximia fuit, quam eum aliis consuetis exercitiis, tum maximè præcidaneis quadragesimæ diebus, votiuo facto, ipso quadragintadiali ieiunio, crebris, & acribus diuerberationibus pnblicis, in solenni supplicatione vrbis, nudis pedibus, pœnitentium habitu incedentes, prælatis manu cereis, patefecere. Hæc de iuuentute. Nihilo segnius laboratum circa adultiores, nec infelicius. Intra Natalem, & Circunciſioſionis Domini diem, ad quinque millia cœlestem mensam accessere: Confessione expiati multò plures, etsi multi loci angustia excluſi sint. A flagitiosa vita reuocati aliquot; firmati nutantes in fide: errantes plus minus viginti reducti. Pœnitentiæ aspetioris vsus iam frequens factus. Exculti aliquot spiritualibus exercitijs, & in iis homo

homo nobilis pæne decrepitus, qui non cessat suam felicitatem deprædicare, & alios eiusdem ordinis ad idem incitare. Castus adolescens procacem feminam sæpius fuga elusit, vt aliquando noctem integram nudus, frigore totus horrens, alicubi lateret abditus; tandem pertæsus impudentiæ, & metuens periculi, ad nos seu castitatis Patronos aduolauit. Confessio pluribus salutaris extitit; Eximium est in hoc genere, quod militi cuidam accidit, qui cum febribus arderet, monitus à viro bono, videret, ne fors animum grauior teneret febris, cuius etiam in corpus redundaret ardor, vbi paruit, & conscientiam emaculauit, simul animi, corporisque sanitatem adeptus est. Quam vero Deo grata fuerit pia hæc de proximi salute cura, ostensum est, cum nocte proxima monitori illi vigilanti sese obtulit, verendo oris habitu vir, cuius conspectu adeo delectatus est, vt die sequenti cibi, potusque velut immemor, solo illo vultu sibi pasci videretur; qua re animatus, in hæreticis confutandis, impediendis pecatis, alijs ad Dei cultum reducendis iam totus est; homo alioquin coniugatus. Alter poculis plus æquo addictus, facti pœnitens diris se deuouerat, si denuo vino se ingurgitaret; immemor postea deuotionis huius, cum rediisset ad ingenium, tanto terrore perculsus est, vt militum infestorum arma sibi fugere videretur: itaque in siluas, & loca sola se proripiebat, neque aliorum consilijs priùs tranquillitatem consequutus est, quàm confessione animi expiauit. Hæc nostra in alios officia, aliorum in nos beneficia, neo rara fuere, nec parua; quos inter iure meritò primas postulant Serenissimi Elector & Coadiutor, Bauariæ Duces, quo-

rum fauore Personatus vnus, & alterum simplex, vt vocant, beneficium, Collegio accessit; sed, & aliorũ liberalitate templi supellex, & res domestica non parum auxit. Sub ferias Paschales gemin.æ expeditiones adornatæ; altera solennis, & annua Nouesium; vbi in scholis, templis, doctrinam Christianam tradendo, concionando, ægros, vinctosque visendo, confessiones audiendo, nihil intermissum, quod ad reporem vrbi illi ab hæresi, olim isthic regnante afflatum, dispellendum facere videretur; & fuit fructus operæ, tres Ecclesiæ redditi, plures nutabundi erecti, & solidati; mille sexcenti sacro epulo refecti. *Excursio* altera, ad alterum oppidum instituta, incolarum rogatu; exceptus ibi noster summa omnium gratulatione, eademque pænè, quæ Nouesij præstita, proscriptę praue consuetudines; concionibus, catechesibus, cæterisque munijs Societatis nostræ, ita animi incolarum deuincti, vt ægre ab se homines eos dimitterent, à quibus ob varias persuasiones, initio alieniores videbantur.

COLLEGIVM TREVIRENSE.

DVM nos animas aliorum, Deus corpora nostra benignitate singulari seruauit. Exarserat compluribus locis Febris, quam putridam Medici vocãt, & subsequens pestis saltuatim carpserat ciuium ædes, nobis tamen sanitas integrè stetit. Luculentissimum tutelæ diuinæ fuit argumentum, cum ciuibus aspectus cadaueris exitialis fuit, nobis nec itio, nec consessus, nec mora periculosa

culosa. Quendam scelerum magnitudo desperare subegerat, & iam sacer esse dæmoni cupiebat, haud interea longum tempus, cum ecce ob maleficium in carceres rapitur: ibi quod ab hoste salutis auxilium desperarat, postulat à Deo; votum facit si vinculis eximatur, apud nostros peccata confessurum; fit reus voti, & Sacramentum magna doloris testificatione vsurpat. Maioris vis furoris alium incesserat, qui manu à vitalibus aberrante, luculentam sibi plagam inflixit; perfugium fit ad nostrum, qui solando laberem ducit ad auroram, & pertinax vincendi morbus fuit, vsque dum irradiante sole etiam menti diluxit; tum scelerum nubes confessione discussa, appensa effigies cerea agni, mentem restituit homini furibundo. Femina hæretica dum virum hic quærit, qui profugerat, salutem inuenit, hæresin exuit. Reconciliati primariorum virorum animi. Alter, alterum in honorato conssessu ignominiosè percusserat, ex quo fonte sanguis, & cædes metuebantur; aditum à multis, qui auctoritate, & vi orationis odia vincerent, quos pertinacia eluserat, donec noster precibus, minisque diuinis perculsit animos; accepta conditio vt plagiarius pacem, gratiamque iniuriæ peteret, læsus daret; & manus datæ. In hospitali, rogatu Senatus, Catecheses susceptæ ad stiparam egenorum turbam, & globus accessit puerorum; quam in reliquis vrbis templis maior. Plures è discipulis alia instituta amplexi tres artium Magistri nostrum. Sodalis reuectus ex patria, præceps in flumen factus est, & aquis hausus; eum Patronæ suæ curæ fuisse cognitum est, cum fluctus in sicca humo, ad Diuæ virginis ebore miraculis celebratam, corpus destituêre; Ea

res quam mira visa, tam celeriter sermonibus hominum, & nuntijs perlata. Lacrymis igitur absenti, & iustis ceteris mox parentatum: vehemens etiam amor excussit plurimos in pedes, & viam, vt, licet quinque millibus passuum distaret templum, & montes superandi, & æstuante canicula, in montibus sitis ardor, arenæ funebria persoluerent. Effusum vicinum oppidulum Sarburgum per Saram flumen, vt adolescentum, funaliumque ordines contemplarentur. Nec ignis vllus magis, quam pietas, charitasque Sodalium luxit. Ad id oppidum vocati duo ad Pascha, præter ea quę solent, pueros communioni maturos, adstantibus parentibus in templo, modum ritè communicandi docuerunt. Ea via adulti quoque, citra verecundiam didicerunt. Actum cum Parocho, & Ludimagistro, vt alphabetarij pueri minimum quater in anno confiteantur. Alij duo Diexirchen missi (oppidum est Ducatus Lutzemburgici non ignobile, Treuiris nouem millibus passuum distans) traxerunt populum, ita vt templum multitudinem non ceperit, nec cœmiterium, vbi ad exundantem populum alia concio facta est. Nobilis fœmina, cum publicum inualetudo non permitteret, secretarium, qui, quæ dicerentur, referret, misit. Inde nostrum accersit, vt ex eius consilio censum annuum assignaret illi, qui quot hebdomadis feria sexta Quadragesimæ, de passione, & doloribus Saluatoris, ad plebem in pago, arci proximo diceret. Alius donare constituit quantam satis est, tam aduenis, quàm ciuibus pauperibus die Iouis sancto triticeo pane alendis. Donis piorum egestas nostra subleuata est, & templi supellex aucta. Eminet R. D. Officialis in hac liberalitas,

beralitas, quæ hoc anno ad trecentos octoginta quatuor aureos excreuit.

DOMVS PROBATIONIS.

SOLEMNIA Tironum sunt Catecheſis vna vrbana, ſuburbana altera, tertia ad Pauperes, qui ſeptimana ſanctaad Carthuſiam copioſe confluunt; Peregrinationes non ſine hæreticorum conuitio obitæ. Poſt exactam Probationem, in ſupplementum Collegijs miſſi viginti, & vnus. In vicem illorum recepti plures, quibus nec facilis ingreſſus fuit, nec manſio ſine periculo. Duobus quos ob florem, certamque ſpem parentes charos habebant, voluptates ad illiciendum, & odij in Societatem materia obiecta, conſtantiam debilitare non potuit, quin per fugam ruptis vinculis ſacrificarent Domino hoſtiam laudis. Alter iam annuam Probationem ſuſtinuerat: eo tempore crebris litteris à R. P. Prouinciali in patriam petebatur: dolo prætexuerant Beneficium, quod adoleſcens Magdeburgi, in Archiepiſcopali vrbe Saxoniæ, obtinebat, quaſi ſcilicet religionis Catholicæ id fraudi eſſet, quod in poſſeſſionem vacuam hæreticus ſeſe immitteret. Illud proinde in fratrē ſolemni ritu prius conferēdum: itaque adoleſcens cum Sacerdote, longo itinere eò miſſus, ingenti ſuorum gaudio eſt exceptus; à quibus diſſimulata primùm res eſt, & extracta conuiuijs, impedimentiſque varijs, donec Sacerdoti ob imminentes Calendas Nou. ad quas ſcholæ reſumendæ erant, abeundum eſſet. Tum illi

illi existimabant adolescentis latus nudum esse, Verum munierat Deus triplici ære firmius. Et quidem orationem ingressus est Abbas Parentis Amicus, & adolescentis, vti videbatur, mæcenas, grauem in speciem, & plenam amoris: non sibi propositum esse religionis amorem peruertere, quem inflammatissimum esse cupiat: quod agat, hoc esse, non vt animum abijciat, sed vt ad aliam religionem adiiciat, eam annis, dignitate, & si id etiam spectetur, opibus confirmatiorem; quam si amplectatur, haud equidem fore, vt minus perfectionis consequatur. Certe absolutam vitæ formam legibus illius contineri, ex qua sit in omnes alias familias viuendi ratio. Verum cum ita sit, cupere se, vt non solum in religione sit, sed præsit etiam adiutor officij, & successor. Ex ea functione, pro loco, plus dimanare fructus in Ecclesiam, quam ex alia quacunque possit in Societate. Ad illum vbique respiciendum in re afflicta, & nisi præ bono suo, quod solum opinione tale sit, habeat bonum commune, fore, vt incurrat odium Dei. Nec aliter erat quàm referebatur; Ea reuocationis sola causa erat, vt Abbatis dignitas, in familia conseruaretur. Verum adolescens respondit se ad Societatem vocatum, non ad religionem aliam. Omnium optime nosse, Deum, qui futura vt præsentia coram cernat, ad quid instrumentum, quod delegerit, vtile sit, illi, quoniam aliud velit, parendum potius, vt odium declinetur. Quid si mala exempla, in monasterio peruertant? quid si dignitate in perniciem vtatur & incommodet Ecclesiæ potius, quam prosit? Quod autem aliud sperent somnio simile esse. Certum esse sibi Deum sequi. Tum indignatio

dignatio amicorum orta est, illi conuitiari, non amplius ferre, respuere a se: hic perpeti, & gaudere. Is exitus fuit, vt quem sine viatico dimiserant, Abbas alius equo, pecuniaque donarit. A damnatis erroribus reuocati duo; Vnus præcipuæ Nobilitatis, ac dignitatis vir, Caluini venenum puer imbiberat; eo maior fuit labor, & cura diuturnior, & vix tandem veritati animus patuit; Successit bonorum omnium gratulatio, & maximè Reuerendissimi & Illustrissimi Principis, qui hunc laborem in præcipua laude posuit.

COLLEGIVM MOGVNTINVM.

FVNEBRIS hic annus huic Collegio fuit; nam sustulit quinque: in quibus Petrus Arloff Iuliacensis, veteranus adiutor, exegerat in Societate annos triginta tres, & ob simplicitatem morum, & ardorem, ac libertatem in cohortando ad virtutem, etiam Principibus viris charus, nostris vero eximie, ob eximiam in ægros, etiam molestissimis morbis laborantes, charitatem, qui id solitus est dicere, nunquam se orationis satietatem cœpisse, optare se à Deo tantum vacui temporis, quantum ad sitim restinguendã sufficiat. Alteri Patri Melchiori Nicoleos Professo quatuor votorum, ingenij magnitudo, prudentia, singularis modestia, & patientia admirationem conciliarunt; dum ad Principem & populum dixit annis aliquot, licet vix ægrum corpus sustineret, ignita mentis vis. Mortuus est anno vitæ quadragesimo quarto post initam Societatem vigesimo

vigesimo sexto. In eadē vndecim annis minus vixerat P. Godefridus Bullesheim Minister Collegij, qui præter cetera, à cura disciplinæ, celeritate in obsequendo, & exsequendo, patientia, & magnitudine animi commendatus; modo efflorruerat, & excidit anno ætatis trigesimo nono. Nec dissimilia exempla reliquorum sunt. Præcipua P. Nicolai Latomi, & singularis in animis tractandis industria; eam in Italia Romæ & Paduæ, & in Germania explicuit, quibus locis confessiones excepit magna externorum laude, qui illum vbique familiariter complexi sunt. Vixit annos quadraginta septem, in Societate triginta. *Vltimus* M. Ioannes Frangenem, laudem, quam in alios contulimus, quantum ætas illa admittit, complectitur omnem: homo antiqui moris, & vitæ. Expleuerat annos triginta, in Societate decem. In eorum locum allecti tres. Adolescens ad fidem adductus, sororem è patria educere parabat, verum re aperta, de ipso ad Academiam hæreticam mittendo, consilia capta, nec periculum nisi fuga euasit. Alter à scholis in officinam mercatoris, *in* ciuitate hæretica compulsus, egregie stetit *in fide*: Vexationes hæreticorum, ministrorum lenocinia, & spes opulentæ adoptionis oblata, nec gradu motus est. Vis adhibita, erepti & exusti libri Catholici, retinuit tamen fidem; nec quouis conatu impelli potuit, vt carne die non legitimo vesceretur; Denique huc missus est, & milites adiuncti, subduxit se tamen oculis omnium, & ad confitendum abiit, consilijsque in sequens tempus confirmatus est. A Sodalibus præcipue facinora pulchra orta. In varias religiosorum familias ingressi septem. A ceteris supplicatum in vrbe, & ruri,

ruri, & publice ducti diuerberantium excalceatorum ordines pœnitentium habitu, reiectis in tergum flagellis, & prælata à Sacerdote magni ponderis crux, & arma Passionis Dominicę, veneration em, metumque mouerunt confertæ, & stupenti turbæ. In templo etiam nostro extremæ quadragesimæ hebdomadis, eiusdem pęnè modi, & exempli flagellatio facta. Et ista solemnia sunt sequentibus annis silenda. Alibi eluti pauperibus pedes, instituta apparatu non leui prandia, ministratum palam magno numero, & conatu iuuenturis, etiam Nobilis. Reducti in fidem Ecclesiæ quinquaginta tres. Ad pœnitentiam inducti complures. Exceptæ foris confessiones etiam in Saxonia. Domi Parochus suburbanus, abreptus æstu libidinis in consuetudinem mulieris, quod viderat ignem tenacius adhærescere, quam vt extingui facilè posset, rogarat Deum vt diuturnum morbum immitteret, impetrauit, & lenta tabe duorum annorum subductus è corpore humor est, & exaresc entibus membris, spectaculum miseriæ humanæ luculenter factus, exarsit ad detestationem sceleris, & nostro Sacerdoti confessus, palam contestatus est æquum stipendium peccatis suis solui: precatus quoque Deum, vt plures ad expiandum cruciatus moueret, nec aliud quam mors dolorem extinxit. Peregre opifex Catholicus, in vrbe hæretica artem faciēs, grauioribus se peccatis obstrinxerat: ea post vsum cœperunt esse aculeata, & metu fodicarunt hominem assiduè, ac dæmonis etiam terriculamenta ad furorem adegerunt, vt vinculis constringere opus fuerit: in quibus cum clamaret, non nisi à Catholico Sacerdote salutem

posse

posse restitui, solutus ad nostrum dimissus est, obitisque Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis, recepit animi tranquillitatem. Conuersio viri militaris, ex miraculo facta. Cõiectus erat in vinculà ob militarem non magnam culpam, ad propinquam, vt timebat mortem; erant in eodem carcere duo alij hæretici milites, cum certiore vitæ periculo, cum mutuo sibi miserias lamentarentur, Ecce tibi sub vigilias castrenses vespertinas, insonuere tympana, proxima luce de reis sumptum iri supplicium, tum vero agi de suo quisque capite suspicati, omnia moliti, quæ ad fugam adiuuare possent: illi vim & instrumenta adhibere vinculis, noster ab illis paullo remotior, Patronæ suæ preces & votum, si supplicem se & damnabilem; clementi propitiaque vinculis istis eximeret, suismet manibus eadem ad templum Diuæ Virginis Hallense (in Brabantia locus est miraculis celebratus) anathema laturum. Auditæ sunt tam seriæ preces, etiam in commodum sociorum: illi enim arte excussis vinculis liberos iam pedes exercebant in fugam, cum noster catenatus adhuc, & solidissimè vinctus, omniumque instrumentorum inops, mistis lacrymis, vocibusque, & Diuam Virginem rogabat, vt vincula discuteret, & socios ne in abitu festinarent: cum denique ipse desertus à consilio vincula tentaret, mirabile dictu, ipsas compedes ferreas posita contumacia, ita mites flexilesque sensit, vt instar ceræ de pedibus excuteret: quas ipse manibus comprehensas, fugiens, quò debuit, detulit, & virgini Liberatrici & voto lubens, volensque suspendit. Vt vero hanc tantam Diuæ Virginis opem grato animo complexus esse videretur,

conuersus

Digitized by Google

conuersus ad seriam pœnitentiam, cum certas ob causſas à religionis ingressu ad tempus abstineret, cum religiosis tamen habitare, Denique virtutum exercitio sibi propitiare decreuit, quam rem iam vel maximè agit; nec ieiuniis tantùm crebris, ac funibus, amictuque cilicino frequenter vtitur, sed in catenæ ferreæ etiam vsu perstitisset, nisi ad moderationem quandam reuocatus fuisset. Donaria templo oblata varia; octo casulæ sericæ. Accessit porro insigne & præsidium, & ornamentum templo nostro, caput S. Lulli Archiepiscopi Moguntini, quod Reuerendus admodum D. Hermannus Abbas D. Gothardi Hildesij, pro suo in Societatem nostram affectu singulari, petentibus dedit, additis litteris & gestæ rei, & sui erga nos amoris non vulgaris testibus. Attexam ad extremos annales capita rerum gestarum in exitu missionis Lohranæ. Eo loco vsus processionum publicarum reductus, quæ olim in festis Sanctæ Crucis, & Corporis Christi vsurpatæ; augustissimum sacramentum publicè cum cæremoniis ad infirmos portari cœptum, quod institutum ante sexcentos annos desierat: Impetratum vt in pagum magnum Catholicus Parochus immitteretur. Maximè omnium valuit exemplum Reuerendissimi & Illustrissimi Archiepiscopi. Is vt populum, quem persistere in hæresi audierat, ad respectum Catholicorum sacrorum flecteret, septimana sancta quotidie bis ex arce ad templum parochiale descendit, & antemeridianis horis diuinis interfuit, pomeridianis sub vesperum, ab aulę Muficis psalmum Miserere, lugubri modo intercinentibus instrumentis, canit curauit. Feria etiam quinta, & in festo Paschatis sacrum,

sacrum, ministrantibus summæ ædis Canonicis, cecinit, & communicantibus sacram hostiam distribuit. Venerabile Sacramentum ad sepulchrum affabrè paratum detulit, præeunte cum facibus, & cereis Nobilitate. Ea rara religio quorundam animos perculit, quos obstinasse porro vidit, edixit aut mentem, aut solũ mutent. Ex ea lege iussit in contumaces à Præfecto oppidi agi. Eius in nos suæ Celsitudinis beneuolentia publicè constitit. Ter adductis etiam externis Principibus, & Episcopis, Collegium ingressus sacro interfuit: semel testandæ suæ voluntatis *publicum* epulum instituit; quo tempore honoris ipsius caussa in area Collegij tragœdia de Eleazaro data, nec multo post alia de Absalone in arce, spectantibus quinque Principibus hæreticis. Nec amor apparuit magis, quam cum suæ conscientiæ confessarium è nostris adhibuit.

COLLEGIVM HERBIPOLENSE.

MORTEM obijt vnus Gwilhelmus Riuius Attendorienſis, litterarum Magister, anno ætatis vigesimo septimo, iuuenis, quem singularis obedientia, & industria, ac diligentia, in erudienda pueritia gratum fecerat; testata etiam pietas magis fuit in morbo. Egerat ante mortem diebus aliquot cum infirmario, vt qua hora ageret animam, sanctos omnes, qui forsitò quoque mense in Societate obtigissent, ex sacra nomenclatura, quam confecerat, recitarentur: id obtinuit primùm, tum exosculatis imaginibus Christi, Beatæ Virginis

Virginis, & B. P. Xauerij, extensis & iam in insigne Crucis languidis brachijs, ter pronunciato nomine IESV, post indulgentias ex more concessas, vbi ad preces cessatores hortatus est, viuere desijt. In eo spes magna Societati succisa, verũ in eius locum repositi vndecim, magistri artium sex. Cura salutis in ciuibus late exarsit. Vir necem sibi meditatus, ex desperatione in spem restitutus. Mulier carminibus veneficæ male affecta, aquæ lustralis haustu, in magnis pariendi laboribus mire leuata est. Damnatam doctrinam damnarunt sex, & sexaginta. Duobus præluxit operum Illustrissimi Bellamini lectio: Eorum alter Caluinianę Theologiæ studiosus, vbi argumentis eiusdẽ Illustrissimi Bellarmini, de gratia, & libero arbitrio pro disputatione propositis, publice strangulari Ministrum Heidelbergæ vidit, & ex dubijs in diuersa abire Doctores suos, vanitatem sprouit. Alterum adeo diuinus metus occupauit, vt ad Eucharistiam sumendam, quatuor horarum nocturnarum oratione se pararit. Conuersionem vnius Deus miraculo probauit: Erat is adolescens Lutheranus, & pistoriam faciebat, cũm in nosocomio decubuisset, vixdum Eucharistiam perceperat, cũm ex acutissimo morbo cœpit conualescere. Refert commemorare exitũ contumacis hæretici, qui è Neostadio (Franconiæ oppidũ est Catholicum) exul esse iussus, migrarat in Coburgensem ditionẽ, & securus iam, fremitu in Catholicos se vlciscebatur; confessus ille fuerat inter parua (quæ Lutherani solent) peccata, adulterium, & vt tacitum esset, pecuniam certam annumerarat: adpromissio secreti facta, & accepti nummi, quid tamen Prædicans? rem palam ma-

Digitized by Google

giſtratui prodit; trahitur ad carceres adulter: & quod teſtis dixerat omni exceptione maior, quæſtionibus ſubijcitur, & capitali ſupplicio plectitur. Id certis auctoribus perlatum, vt dubia fides non ſit. Parochus nec domi nec foris quietem capiebat, ita moleſte à pertinace dæmone vexabatur, interpellator improbus exorciſmis exactus: Ille liber quot menſibus apud nos confitetur. Plenum periculoſæ aleæ negotium ſuſceptum cum femina Illuſtri, quæ ex longinquo ad nos delata, pilæ inſtar iactabatur à dæmone, frequenter ſurſum librabatur in aëra, & ſuſpenſa inter octo decemue virorum manus, in directum mouebatur, vt vulgo, volare, diceretur. Verum motor ſacris carminibus exire iuſſus eſt: valuitque imperium, nec quicquam ad noſtram exiſtimationem magis valuit, quam mulierem in gradum reſtitutam, expertem alibi opis, preçe & pretio quæſitæ. Ad alium euocatus noſter, ſeu à Dæmone occupatum, ſeu freneſi laborantem, quem per dies quatuordecim vix ſex aut octo viri loco tenere poterant, horariarum precum lectione reſtituit, vt potens ſui, Pœnitentiæ, & Euchariſtię ſacramenta libens vſurparit. Ad ſcholas veniamus: auditoribus floruerunt, quot nunquam alias, ſupra videlicet mille, & ſeptuaginta, eorum pietas & virtus ex ſequentibus perſpici poterit. Fuerunt in vna Rhetorices claſſe amplius viginti, qui Societatem expeterent, qui Carthuſiam quatuor, ex his tres, ex illis quinque voti ſunt compotes facti. Alijs etiam ex Claſſibus, varij in varias ſe religiones receperunt. Votis Deiparæ factis, adoleſcentum alij à febribus, alij à furti ſuſpicione qua premebantur ſunt liberati. Adoleſcentulus vnus tredecim circiter

Digitized by Google

citer annorum cum Hammelburgo ad noſtras ſcholas veniſſet, ita breui Catholicam religionem adamauit, vt non modo Sacramenta Catholicè obierit, ſed etiam litteris ad parentem, fratres, ſororeſque datis, acerrimè eos contumacię, & intolerandæ cuiuſdam inſipientiæ accuſarit, rationibus quæ hoc ipſum euincerent adhibitis, ac niſi reſipiſcerent ſe longiſſimum ijs vale dicturum minatus. Quidam ad patriam, patre mortuo profectus, ab hæretico in carcere quinque ſeptimanis detentus eſt, eo quod litteras dediſſet, quibus ab hæreſi Patrem auocare conabatur, & iam idem cum matre acturus putaretur. In Bohemiæ fines excurſio facta, quæ tum ob fructum, tum ob alias cauſſas, fuſius aliquanto viſa eſt vtiliter commemorari poſſe. Toparchiam quandam in Bohemiæ finibus, Voitlandiæ conterminam, obtinet Illuſtris quidam, & Magnificus Dominus Regni Bohemiæ Procancellarius, vir Catholicæ religioni & Societati in primis addictus. Is litteris ſuis nobis indicauit vehemens deſiderium reducendi ad auitam religionem ſubditos ſuos, petiuit enixe mitti ſibi hinc Sacerdotem vnum negotio huic idoneum. Miſſus eſt itinere ſat longo, quinque videlicet dierum, Pater cum Socio ſub auguſti menſis exitum. Venit eo ipſo S. Bartholomæi feſto die, exceptuſque humaniter ab Illuſtri Domino in arce Hertenberg, id ſtatim egit, vt eodem pie per celeres nuncios ex oppidis & pagis Iudices, Prætores, alij primarij viri vna cum Prædicantibus adeſſe iuberentur: Et his quidem Eccleſiaſticum omne exercitium interdiceretur: illi vero de Catholicis deinceps Paſtoribus, & veteri religione ſuſcipien-

Digitized by Google

dis admonerentur. Quod vbi factum diligenter, & sedulo fuisset, omnesque imperata se facturos reciperent; Itum altero die in Schompach, quod præcipuum erat oppidum, vt ius templi, & concionis noster occuparet, quem deducebant Procancellarij filij, vna cum Centurione Nobili Misnio. Spes erat successus boni, ob pridianas Consulum & Iudicum promissiones, sed mox patuit mutabile & fallax hominum ingenium, nulla in re, quàm in concepto bono instabilius. Oppido enim cum appropinquarent, ære campano ciues conuocari audiunt; ingressi, forum ciuibus vnà rusticisque, qui ex decem pagis confluxerant, confertum aspiciunt: Coniuratione facta, siquidem ea omnibus mens erat, neque à se mutuo, neque a Lutherana perfidia desistendi. Hic nimirum in re periculosa præsenti opus erat consilio: Re igitur breuiter deliberata, noster ad templum se rectâ confert. Centurio ad tumultuantes ciues ablegatur, qui primum hesterna promissa Illustri Domino facta repetit, deinde rogat, velintne legitimo suo Domino, cui iuramento sint obligati, parere? Nolle se hac in caussa clamitant, se enim in corpore quidem, & bonis illi obstrictos libenter fateri, ast animos soluros habere. Proinde non esse quod mirum illi videatur, si hac in re obtemperare recusent. Opponere aliquid his vix tutum erat. Monentur igitur vt ad templum saltem se conferant, & Ecclesiasten Catholicum, de fide Catholica disserentem audiant. Cum hic quoque tergiuersarentur, nec primus vllus esse vellet, qui templum iniret, suggessit noster, vt soli primum Iudices, & Senatores, qui pridie in arce Hertenberg fuerant,

Digitized by Google

rant, ad templum citarentur, deinde alij post alios adducerentur. Illis, ægre licet, introductis, cum ad populum ventum esset, exorta est ingens multorum vociferatio, quorum alij occide, occide: alij incendium, incendium clamitabant, ex composito nimirum & ficte, vt populus diffluendi causſam haberet. Sed nostri fraudem odorati, seriò, & minaciter illos adorsi monent, videant vbi ardeat, & ne quid detrimenti patiantur, atque ita fractis paulatim animis, post aliquot tandem horas ad templum sunt perducti. Ibi Sacerdos noster inter cetera de Obedientia Magistratibus præstanda, & de ratione, quam in iudicij die pro subditis, Magistratus reddere teneatur, ex scriptura disseruit: qua concione finita, non paulo mitiores esse factos, ex reuerentia quam nostris exhibebant, colligere licuit. Reditum post hæc in Hertenberg, iussique sunt vnâ ire Iudex oppidi, ac Ludimoderator, quos seditionis factæ præcipuos authores fuisse, non dubijs signis deprehensim erat. Hos Illustris Dominus Procancellaarius grauiter obiurgatos, in carcerem compingi mandat. Exinde ad Iudices, alioſque è populo primarios, quos coram habebat conuersus, comiter, & blande cohortatus est ad Sacerdotis nostri conciones diligenter, & attente audiendas, Nullum ad Catholicam religionem coactum iri, liberumque cuique fore assentiri, & dissentire. Audite, inquit, dilecti subditi mei virum istum, quem salutis vestræ desiderio, tanto huc itinere aduocaui, audistis annis quinquaginta sex, aduersæ religionis homines, audite etiam aliquando meæ religionis Doctores. Quod si, Deo dante, Catho-

Digitized by Google

licis vobis esse placuerit, longe charissimi mihi subditi eritis, nullus tamen ob meam gratiam Catholicus fiat. Atque his dictis Pragam abiit, quo iam alteris ab Imperatore litteris vocabatur. Noster igitur nihil cunctandum ratus, Stomachium denuo aduolat, ibique concionibus aliquot fidei catholicæ præcipuos articulos, eos præsertim à quibus Lutherani dissentiunt, explanat, ea frequentia, vt templum quantumuis amplum eos capere non posset. Absolutis concionibus iubentur omnes in cœmeterio subsistere, & sua contra Catholicam fidem dubia, & argumenta palam proponere: quod cum aliquoties factum esset, neque iam quod obijcerent, amplius haberent, propius ad rem veniri, deque conuersione agi cœptum est. Res hoc modo feliciter Deo iuuante est perfecta. Vocati sunt viritim oppidani omnes, & cum singulis seorsim in sacrario actum à nostro; Rogatum, vellentne auitam maiorum suorum religionem sequi, confessionis & Eucharistiæ Sacramenta Catholico ritu obire? trepidantes animati, nutantibus difficultates exhaustæ: nonnulli tertio, & quarto reuocati. Durauit ea res sine intermissione quattiduum integrum secundo euentu; nam exceptis tribus, aut quatuor, ex vniuerso oppido nemo fuit, qui non manus daret, & Catholicum se fore promitteret, adeo vt in ipso Deiparæ Natali, plures trecentis ex ijs sacram Eucharistiam sumpserint. Idem agendi modus simili successu in alijs pagis etiam & parœcijs est obseruatus, fuitque confitentium & communicantium virorum, & mulierum, frequens multitudo. Dumque noster Sacerdos his negotijs detinetur, Socius interim de modo recte com-

communicandi, de præceptorum diuinorum obseruatione, non inutilem eius concionibus operam præstat. Hisce ita peractis, oppidum alterum Grassengrum appellatum aggredi placuit, in quo plus fuit difficultatis. A Prædicantibus enim animati incolæ, & conspiratione mutua colligati, cum post conciones aliquot factas, viritim, vt supra, conuocarentur, comparere renuerunt, tandem tamen familiaritate, & comitate P. Nostri permoti, sese stiterunt: singulorum vox erat illa: nolle se primos esse facturos, quod alij fecerint; Inter agendum deprehendit Pater fœderum auctores; quos grauiter redarguit, quod non tantum suæ, sed alienæ quoque saluti obsisterent. Intellecta hoc modo, dierum aliquot labore, singulorum sententia, conuocat Senatum Pater: constare sibi ait, de omnium animis, singulos nosse quid cum vnoquoque egerit, ruptam esse fœderis catenam: propediem fore ex consularibus iuxta & plebeis, qui communicarent, deinde iussit omnes in conclaue secedere, & solum apud se remanere Iudicem, qui præ cæteris refractarius erat. Hunc post multam disceptationem eo tandem adduxit, vt promitteret proxime se catholico more confessurum, & communicaturum; illo per obuersum ostium abire iusso, sic vt ceteri quid actum esset cognoscere non possent, aduocatur alter Consul, cum quo fere per horam est laboratum, qui tamen & ipse tandem consensit, sicque consequenter Senatus vniuersus. Nec multis post diebus conuocata ciuium omnis multitudo, stipulata manu fidem dedit catholicæ religionis, communionisque suscipiendæ. Dum hæc aguntur venit Praga Pater quidam Societatis

tatis, qui Herbipolenſi ſuccedat; coram eo, & Domini Procancellarij filio in arce Hertenberg, omnes qui confeſſi nondum fuerant, proximis id diebus ſe facturos ſpoponderunt; neque viri ſolum, ſed etiam feminæ, & filij, filiæque familias Catholicam religionem promiſerunt, in omnibus viginti ſex pagis, & duobus oppidis, præter ſexdecim circiter rebelles, quos meliora quoque conſilia breui capturos, ſpes eſt. Noſter itaque diſpoſitis rebus, & cum ſucceſſore communicatis, priuſquam abiret, ſingulis parœcijs inter valedicendum ſalubria mandata reliquit, de pulſu veſpertino, & meridiano, de ieiunijs, feſtis, aqua benedicta, ceteriſque cæremonijs. Item qua ſit pœna multandus Paterfamilias, ſi quis ex eius domo ad hæreticos excurrat. Præterea nemini, qui in infirmitate Parochum non vocarit, & Catholicè mortuus fuerit, campanas eſſe pulſandas. Demum exhibuit litteras Domini Cancellarij Praga datas Schompachenſibus, quibus eorum ille obedientiam magnopere collaudat, tum ad conſtantiam hortatur, & denique munificum ſe, & ipſis & vicinis pagis oſtendit, remittendo magnam illis ſoluendorum redituum illius anni portionem. Idem Dominus noſtro Patre rogante reo cuidam vitam, alteri nonaginta florenorum debitum condonauit. Prædicantibus illam Clementiam exhibuit, vt manere, & reditibus ſuis cuique frui, ad illum vſque anni diem, quo parœciam iniit, liceat. Itaque tres aliqui menſes, aliqui amplius habent, quibus euolutis, in alias ſedes emigrandum erit. Vnus tamen quod ſeditionis, & coniurationis author fuiſſet, ſtatim

eſt

Digitized by Google

est expulsus, alius qui senior & præcipuus erat, diem suum obijt, cui mox sequenti die Catholicus parochus, Theologiæ Doctor est suffectus. Hæc ferme sunt, quæ in Missione hac sex circiter hebdomadarum spatio, cum diuina gratia sunt peracta; quibus tamen duo Coronidis loco adijciam, quæ vt magni non sint momenti, attamen & illorum meminisse iuuat. Primum est, cum fructificandi caussa ad locum quendam aliquando proficisceretur noster, accidit vt in quosdam incideret, à quibus cum scisciteretur; quid esset quod in Catholica religione suscipienda, difficiles se præberent, triplicem huius rei caussam potissimum esse, ab ijsdem didicit. Prima, quod ipsis persuasum esset fore, vt à salute abducerentur. Altera, quod nos frequenter loquereremur græcè, vel latine. Tertia, quod futurum esset, vt aliena lingua malè baptizemus pueros. At oppositum se facturum omnino Pater promisit. Se enim & saluti ipsorum optime consulturum, & pro concione nullam vel latinam, vel græcam vocem prolaturum: denique pueros ita baptizaturum, vt ipsi intelligerent recte baptizari: idque re ipsa paullo post, in infantis cuiusdam baptismate ostendit, in quo pleraque, quæ ad baptismum, eiusdemque cæremonias pertinent, germanica lingua explanauit, quod ipsis mirifice placuit, eaque re effectum vt promptiores, & frequentiores deinceps ad Conciones audiendas confluerent. Alterum sic se habet: Ipso illo die quo nostri Hertenburgum primum venerunt, cum sacris ibidem operaretur P. Gerardus, accidit, vt tintinnabulum, quod in sacræ hostiæ eleuatione recte sonuerat, in calicis eleuatione

tione repente obmutesceret, excideratenim ministro non aduertente ferrea lingua, qua ex re piam hanc cogitationem Illustrissimus Dominus Procancellarius concepit, vt postea narrauit, signum illud nimirum esse, exterminandi ibidem calicis, & vtriusque speciei in Laica communione. Quod quidem ita factum esse merito & gaudemus, & authori bonorum omnium Deo & laudes, & grates dicimus sempiternas.

COLLEGIVM SPIRENSE.

AVCTVS est personarum numerus postquam ex Superiorum mandato, Patribus qui tertium Probationis annum peragunt, Collegij pars est attributa. Et nonnullorum sanitas, circa ieiunium verni temporis, periculose tentata. Vnum mors nobis eripuit P. Ioannem Mackium Augustanum, Professum quatuor votorum, & casuum in hoc Collegio Professorem, annis triginta vna in Societate decursis. Vir erat in tractandis hominum animis, & confessionum munere obeundo industria singulari, vt moriens perpetuam sui memoriam, ac desiderium in hominum animis reliquerit. In eius locum submisit diuina bonitas alium, cathedralis olim Capituli alumnum, ad Curionis munus in hac ipsa vrbe designatū. Septemdecim commentationibus pijs exerciti. Vnus eorum Catholicæ fidei veritatem, alter religiosi status perfectionem, reliqui officij sui, & vitæ Christianæ debitum agnouerunt. Ex varijs hæresibus extracti ducenti tredecim: atque

Digitized by Google

atque in nonnullis acciderunt, quæ Dei benignitatem testarentur: vnum alterumue apponam gratia exempli. Adolescens fuit maturæ iam ætatis ac iudicij, cui, cum varias variorum hæreticorum, & Catholicorum conciones audisset, scrupulus iniectus est, verane esset quam à primis annis imbiberat fides. Videbat nimirum Concionatorem quemlibet, suam alteri non præferre tantùm, sed damnare cæteras omnino. Diu, multumque fluctuanti, cum sibi vnam solummodo ex tot pugnantibus, veram esse posse persuaderet, hoc consilium à diuina mente incidit, ardentibus precibus vt opem flagitaret, numenque cœlesto ad veram religionem dignoscendam. Paruit diuino monito, paratus, vel centũ milliarium iter, veritatis inquirendæ caussa emetiri; cumque expansis in cœlum brachijs nocte quadam diutius precaretur, in somnum incidit salutis initium, in quo sibi videre videbatur concionatores tres, cum suis quemque Auditoribus (vt olim viderat) sed Catholicos solos auratis redimitos sertis, quibus reliqui carerent: somno excitus, somniumque identidem reputans, Catholicorũ doctrinam ceteris veriorem inde monstratam non male colligebat. Itaque cum non ita multo post in nostrum Sacerdotem in itinere incidisset, isque de religione interrogasset, subiecit hic, lutheranam sese hactenus sectatum, sed hoc tempore animi plane dubium pendere, adeo vt annum ipsum, ab ipsorum cæna abstinuerit, nihilque in votis habere potius, quam vt Deus aliquando tandem fidum sibi hominem mittat, à quo volens, libensque de vera fide doceatur. Hanc noster occasionem nactus, hominem accepit, eumque de præcipuis

cipuis fidei noſtræ capitibus in itinere, & oppido vicino inſtituit, vt exemptis iam dubijs, Profeſſionem fidei coram domeſticis in genua prouolutus, & ad interrogata reſpondens fecerit. Mulier nobilis Lutherana hæreſi infecta, quæ decennio integro ad Eccleſiam redire cogitarat, ſed Confeſſionis faciendæ timore retinebatur: tandem vnius de Societate concionatoris vehementi concuſſa ſpiritu, non diutius conſcientiæ vim ferens, hæreſin deponit, & confeſſionem, quam ante reformidarat, lætitiæ & quietis officinam inuenit. Inuentus item alter qui *poſt ſeptimum*, ac decimum annum, quibus *reluctatus* eſt, tandem victas dedit manus. Egerat hic olim cum quodam ex noſtris Herbipoli, cuius etſi nomen exciderat, incenſa tamen charitas altè inſculpta animo ſæpius obuerſabatur. Ab eo ſecum actum non ſine lacrymis referebat, quin & libellum de fidei controuerſijs, quem ab eodem acceperit, legiſſe quidem, ſed perfunctorie, tandemque poſt annos ſedecim tractaſſe diligentius: Quod tum facit, pœnitere eum Lutheranæ hæreſis cœpit, donec paulatim diuina luce colluſtratus, mentem maior quædam vis inclinauit, vt Catholicæ iam doctrinæ amantior factus, oblata alterius negotij occaſione, longo itinere ad nos venerit, vbi confeſſus & Eccleſiæ redditus abijt, ſpe plenus fore, vt in eundem ſalutis portum, plures adduceret. Neque vero inter hanc curam reliqua officia neglecta. Inuiſi ægroti interdiu, & noctu. Inopia preſſis, piorum liberalitate, noſtris laborantibus ſubuentum: Ingens roſariorum vis pietati promouendæ, maxime in ſolenni quadam ſupplicatione, à viro quodam

Digitized by Google

dam è præcipua Nobilitate comparata, ac eiusdem subditis per nostros distributa. Puella quædam hæretico inseruiẽs, nulla ratione induci potuit ad esum carnium, diebus ab Ecclesia prohibitis, quamuis non tantùm cibi alij negarentur, sed etiam à familia reliqua vehementer vrgeretur, & vero etiam quotidiè irrideretur. Alia decem integros annos minis, promissisque sollicitata est ab hero, Domina, multisque alijs, vt à fide Catholica desciscereț; constans permansit,& tandem Catholicum herum Confessario suadente quæsiuit. Reuerendissimo Wormatiensi Episcopo, S. Romani Imperij Principi, in extrema illa lucta adfuimus, ad quam pius Princeps sese iam pridem ita parauerat nostrorum monitis, vt in eo nihil desiderari posset. Iam vero è scholis nostris quorundam spectata constantia. Adolescens quidam tenuioris conditionis, sollicitatus à parentibus, cognatisque, vt scholam Lutheranam spe liberalioris sustentationis iniret, quo firmior fieret in Catholica religione, frequentatione Sacramentorum, & aliorum tum exemplis, tum meritis in Sodalium numerum aggregari petijt, Et iam annum integrum frequentibus amicorum, & honoratorum etiam petitionibus restitit. Nec suo fructu angelica Sodalitas caruit. Certe ipso Natiuitatis Domini peruigilio, duo ex hoc numero Sodales plateas vrbis obeuntes, quos nanciscì potuerũt pauperes, ad Confessionem impulerunt, vt ex Confessarijs quidã sex, aut septem audierit. Alius item dum Eleemosynæ præ foribus distribuuntur, hoc ipsum præstitit : idemque alio tempore hæreticum hominem, vt dedoceretur, ad Collegium adduxit. In excursionibus,

Digitized by Google

sionibus, quæ multæ ad multa loca fuerunt, fructus item extiterunt multi. Testimonio sit, quod in sola Wormatiana hæretici duodecim, vt alia omittam, in ouile ecclesiæ sint aggregati. Introducta in summi templi sacellum, S. Nicolao sacrum, Lectio catechetica, nunquam hac in vrbe Catholicis celebrata, & omnium concursu & gratulatione excepta. Continuabitur ea deinceps à primario vrbis Parocho, altera quoq; à summæ ædis Vicario, ab ipso principe ad hoc munus delectis, idque more & modo Societatis. In eam rē Illustrissimus Princeps Catechismos, cantiuncularum catholicarum libellos, rosaria, *imagines*, & si quæ alia animis parvulorum excitandis apta sunt, liberaliter curaturum recepit. Denique omnium in Societatem amorem, ita sunt inclinati animi, vt nihil ardentius expetere, quam nostrorum reditum, aut sedem stabilem passim homines audias. Ipse Illustrissimus Princeps, adeo nostram probauit operam, vt non contentus amplissimis verbis gratias sæpius egisse, rhedamque tertio etiam recusantibus obtrusisse, etiam in proximam Quadragesimam eandem operam obnixè precatus sit. In alio vero oppido, item Imperiali, (cui Landauo, seu Landoiæ nomen) studio vnius ex diœcesis huius Satrapis, qui exercitationes spirituales aliâs apud nos peregit, tentatum nonnihil. Venerat in illud pridie Natalis Domini, Satrapa Nobilis cum coniuge, alijsque non paucis Nobilibus, ignobilibusque, euocatis insuper ad se ex gemino pago honestioribus vitis, & feminis catholicis, vt ibidē duobus ex Societate Sacerdotibus, qui ad locum ex condicto conuenerant, confiterentur. Quod factum: &

pie

Digitized by Google

pie communicarunt circiter sexaginta. Atque hæc eorum pietas, hæreticis aliquibus non parum placuit; quod si qui fuerint qui minus probarent, signis certe externis prodere non sunt ausi, quod iam ante Magistratus licet hæreticus omnes monuerant vt abessent, aut modestos se spectatores præberent. Ex incolis permoti tres, vt fidem Catholicam susciperent. Virgines duæ, vnaque Matrona Nobiles è mundo suo muliebri, vestes tres in ornatum templi contulerunt, quarum precium centum aureis æstimatur. Aliæ vestes Sacerdotales duæ, à viro nobili dono datæ. Res familiaris auctior facta quinque plaustris vini, piorum benignitate submissis. Item centum & decem aureis, qui nobis ex legatis vita functorum obuenerunt.

COLLEGIVM FVLDENSE.

VALETVDC constitit omnium: nisi quod P. Henricum Hauerum, tertianis Præfectum Patribus, mors abstulit. Cuius viri vita multarum virtutum exemplis abundauit. Quare iam olim, cum Coloniæ Poëtices, Rhetoricesque scholas regeret, sancti viri famam obtinebat; & post Rector Collegij Herbipolensis, tanta apud Iulium Episcopum authoritate valuit, vt eum pro sancto coleret, & obseruaret. Zelus is fuit in viro, vt sæpe ipsemet diuque verba pro concione non solum faceret, sed ad semibarbaros viros inops cibi, & rerum necessariarum, parochis subsidio excurreret, & doctrinæ Christianæ rudes imbueret:

Digitized by Google

bueret: Sæpe cum hæreticis disputatione vtiliter concertaret: Iacentes mores alacri spiritu in aliquot monasterijs, præsertim virginum, ita excitaret, vt vel hodie se late diffundat sparsus olim ab illo virtutum odor; Quin Saxoniam ipse totam vasto complectebatur animo, ingentes, quibus illam ab errore liberaret, animo voluens curas. Hinc, vt Eisfildiæ in meliorem faciem enitescentis, sic Halbestadiensis Missionis olim exordia, & Hildesheimensis quoque Collegij principia ipsi debentur. Magni & feruentissimi spiritus exemplum Heiligenstadij, in *Apostatam* Societatis scholasticum, qui ad nuptias *profiliera*t, statuit, cum ipse in concionem ascendens, eum publice excommunicatum grauissima oratione pronunciauit. Sæpe quoque Herbipoli; in publicis Academicorum congressibus, magna libertate spiritus Societatis institutum propugnauit. Abstinentiæ, ac modestiæ, paupertatis, suique contemptus, quanto studio teneretur, longum esset enarrare per singula. Deuotio in eo erat assidua; horas itaque Canonicas, ad extremum vsque spiritum exoluebat. Omnia instituti nostri spiritus exercitamenta in cœlum ferebat, & commendabat alijs. Genua ab orationis frequentia callo indurauerant. Cilicij vsus perdomando corpusculo, tam familiaris erat, vt ne difficillimis quidem itineribus vti eo desineret, attrituque sanguinem eliceret. Ingemiscere se aiebat, quoties Sacerdotem sine singulari præparatione, & oratione videret ad sacrificandum accedere. Verecundiæ & honestatis cultor fuit, ad aliorum pæne stuporem. Quamobrem vestitus inunctus, vestitus mortuus est. Sacerdos de nostris,

Digitized by Google

noſtris, ipſo teſtificante cui accidit, Herbipoli cum febribus moleſtis conflictaretur, petijſſetque manum Patris, tum Superioris, capiti ſuo imponi, attactu illius ſanatus eſt. Epitome virtutum continetur litteris admodum R. P. N. ex vrbe, ad Collegij Fuldenſis Rectorem, ſcriptis. Ereptus eſt, inquit, Prouinciæ vir Religioſus, magnæque ædificationis, & quem multis in ea laboribus magna fide, & zelo perfunctũ meminimus. Vixit annis quatuor ſupra quinquaginta in Societate triginta duobus Conſolamur nos poſt mortem fructu, progreſſuque diœceſis, cui Dei bonitas, diuturnos hominum miſerata errores, auitæ fidei lumen obtulit, quam in rem Reuerendiſſimi Principis, ac Fundatoris zelus, maiorem in modum ſeſe incitauit, quando remediis aliis fruſtra tentatis, propinquo iam Paſchatis die, propoſitis palam edictis cœpit vrgere ad officium ciues. Vnde nobis, in infelicibus animabus ſacramentis luſtrandis, laborandum fuit. Id quod tanto hominum concurſu perfectum eſt, vt exoptaſſe hanc retũ conuerſionem incolas diceres. Hinc ſacerdotu noſtrorum alii ſexcentos, alii quadringentos, & quod excurrit, plures audierũt: ducentos cum Eccleſia in gratiam reſtituerunt; ita vt circiter quater mille, centum, & amplius homines, noſtrorum ſtudio ab erroribus, & vitæ noxis nunquam antea expiatis, abſoluti ſint. Memorabile, quod qui obſtinati exilium elegerunt, variis, ſpectatiſque pœnis à Deo puniti ſunt. Nam & maleficiorum indiciis manifeſti profugerunt non pauci, ne ferali flamma perderentur; quique exceſſerunt, etſi magnificis Principum hæreticorum litteris, & promiſſis publice inui-

Digitized by Google

tati erant, ingrati tamen, inuisique aduenæ, vix recepti sunt, ne dum ostentata promissa exolui senserunt. Inde casibus improuisis, pars atroci morte sublati, pars grauibus conflictati morbis, pars denique ob maleficia cum probro, iterato exilio deportati. Pupugit restitutæ fidei, & amplificatæ Dei gloriæ caussa tam vehementer Marburgensem Academiam, vt ex primoribus Doctor vnus, idemque concionator præcipuus, librum sparserit plenum maledictis, verborumque minis, quibus, & exules nostros in spem erigere, nouam Principis nostri gloriam obscurare, & Societatis nomẽ inprimis in inuidiam vocare studuit. Auxerat vulneris dolorem Doctoris Iuris-consulti conuersio, qui vna cum familia Marburgo se proripiens, non contentus totius vitæ præteritæ peccata confessum esse, publice quoque constare voluit, cur relicto Marburgo, Fuldę salutis suæ portum quæsierit. Itaque palam in Gymnasij nostri schola, coram omnis generis iuuentute, etiam Hassiaca, in magno honoratorum consessu, præsente cum aliquot Consiliarijs Principis Maresschalco, aduentus sui caussas exposuit: Doctoris Pistorii, cui affinitate iunctus, librum de religionis controuersia scriptum, methodo accurata retexuit, argumentorum momenta de nouo expendit, & eius libri lectioni agnitam fidem acceptam tulit. Actionem totam ipse, pronunciato non sine lachrymis D. Ambrosii Cantico, concluſit; viuitque iam constantiæ, & integritatis laude spectatus. Ipsius, ciuiumque conuersionem seriam fuisse, ostendit Venerabilis Sacramenti supplicatio, in qua retinenda tot iam annis Societas laborarat: prodiit tota pæne ciuitas:

Digitized by Google

uitas : vmbellam sustentabant recens conuersi Senatores, Scabini; Secuta cohors aulica, Senatus, ciues tributim vniuersi cum cereis, tanta veneratione & silentio, vt oratione tacita omnes suspensos esse crederes; viæ omnibus floribus; parietes aulæis, & peripetasmatis ridebant. Quæ omnia pleraque à ciuitate sponte suscepta. Multorum sententia fuit, pompam hanc omnem præteritam memoriam superasse. Deiparæ Matris congregatio antiquum obtinet: hoc peculiare; Magistratus illius ad externos transisse; Præfecturam ad Nobilem D. Fuldensem Præpositum, reliqua officia ad eos, qui in aula Principis, consilio, Nobilitateque sunt clari. Locis aliquot pestiferi concionatores exacti, in quorum vno, cui nomen Fregenstenium, postquam armata manu bis introductus, atque excussus Sacerdos Catholicus, ab hæretico Domino, templi fores etiam vallo, & aggere obiecto præclusæ sunt. Quare dum sacra sub ferias Paschales poscerent coloni, iussus conscendere rudis ædituus, qui Euangelio è suggestu lecto, venientes ad se inde confessionis caussa rusticos, globatim absoluere, & panem prophanum distribuere ausus est. Adde, institutoribus nostris, fortes Christiana fide, & constantia isse ad rogum septuaginta quatuor maleficas. Obstetricem in his sexaginta duarum cædium rea memorabili fortitudine flammantes forcipes sine gemitu excepisse, & augeri sibi supplicia poposcisse, attonitis spectantium animis. Item hoc anno primum in æde nostra Reuerendissimum Fundatorem nostrum, post tot annorum exilium, de manu Rectoris Collegij, solenne munus cerei excepisse, honorificisque verbis latinè palam So-

cietati operam, studiaque detulisse. Iam ad excursiones. Binbachium pagus est primarij Monasterij Decano subiectus, cuius Parochus olim monachus, & auitę fidei desertor; in quo edomando, & ouibus ad securiora flectendis, diuturnus susceptus labor. Exitus tandē Deo dante contigit is, vt ferijs Paschatis, atque deinceps, ad quadringentos in ouile Christi concesserint. Inter quos Pastor ipse primus, qui vt senex annosus, & thalamo assuetus illicito, longum nostris negotium texuit, donec post anni fere laborem, *frænum* denique accepit. Ptæcipuo gaudio *Resurrectio* Domini, veteri crucis, & vexillorum *gestatione* celebrata, & mos reuocatus lustrandi cœmeterium, precesque pro defunctis exoluendi. Neque fuit, quod incolarum animis plus placuerit. Adducta, ex eodem pago, femina non vulgaris ad Catholicæ veritatis lucem, quæ in hæresi à teneris instituta, ab omni consuetudine Orthodoxorum abhorrebat, vt à marito Catholico, iam quadriennum omnia agente, flecti nullo modo posset; ad accessum nostrorum se abderet, & omne sermonis commercium sperneret: tandem à Sacerdote nostro euicta, ex promisso Fuldam veniens, per Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta Ecclesiæ est restituta, testataque Sacerdoti, eam se animi iam tunc cepisse tranquillitatem, & tam inexpectata solatia, vt eloqui verbis non posset: nec sua salute contenta, familiam ilico permouit, vt exemplum sequeretur suum. Duo alij vici frequentes, qui superiori anno alacres religionem susceperant, aditi non sine fructu; quinque adhuc hæresi immersi supererant, facile quinquaginta Deo reconciliati sunt. Cęremonias

Ecclesiæ

Ecclesiæ probe docti, eas tanto studio sunt amplexi, vt è templo digressi omnes turmatim ad aquæ benedictæ respersionem confluerent, eam, præter morem, domum vna deferrent, cruces frontibus alacriter imprimerent; ad hostiæ eleuationem genua submitterent. Huinsfeldensis oppidi Parocho vtiliter quoque noster Sacerdos adfuit, in subiacentes tres oppido pagos impigre laborem proferens; hic omnes ad vnum pœnitentia lustrati; infirmi sedulo visitati: venerabile Sacramentum (quod insolitum in illis locis) ad eosdem palam, sub oculis omnium, non sine reuerentia comitantium, vicatim delatum: ipsique oppidani, quoties sub noctem Sacerdos ad eos deflecteret, tametsi labore fessum, è vestigio occupabant; quibus ille præcipua ciuium vtilitate in noctem vsque libenter aures dabat. Audijt, adiitque leprosos omnes, quos cum fere Lutherana hæresi infectos reperisset, eadem opera in gremium Ecclesiæ restituit. In pagos etiam quatuor, vbi hæresis late dominatur, Præfecturæ Steinaniæ nobili Satrapa fauente, via patefacta; datis eidem quoque litteris à Principe, qua fieret rei gerendæ authoritas. Pauci in iis reperti Catholici, atque ij fere Sacramentorum expertes. Primo per iteratas Catecheses condocefacti agrestium animi, atque vbi veritatis prima apparuere vestigia, quæ Prædicantes iam dudum obliterarant, statim in veriora lubentibus animis inclinarunt. De peccatis apud Sacerdotem deponendis admoniti, exposuerunt; de Corpore Christi participando edocti, pari religione paruerunt. Non reticendum hostias etiam consecratas ab iniuria hominum & temporum, in hic-

Digitized by Google

rotheca fuisse, quas annorum quadraginta hæresis abolere non potuit. Memorabile etiam Prædicantem, magicis artibus tota diœcesi infamem, eo loco deiectum; quem vt S. Bonifacius olim S. Michaëlis honori, sic ille quadringentis annis Cacodæmonis cultui manciparat. Præclara fuit Energumeni vindicatio in pago Kirchaesell: vbi cum maritus, ob nouæ nuptæ parum secundam formam, se mœrori dat impensius, obuios habuit duos in via, senecta venerandos, cætera tamen atros; qui doloris caussam scisciti, ilico spondent opem, modo sequi se ad notum hariolum non sit molestum. Annuit ille, sed moram tamen rogat tantisper, dum Patrem hac de re certiorem faciat. Itaque cum huius rei gratia domum Patris venit, ilico furore insolenter exultim ferri, eosque motus dare, vt ne viciniæ quidem concursu reprimi posset. Accersuntur ergo nostri, quos vbi appropinquare sensit, Cacodæmon immanius ferocire, atque tanto impetu agitare hospitem suum cœpit, vtris reuinctus licet, a quatuor tamen robustis compesci non posset. Nostri Sacerdotes explorata re, mox ad templum concedere, statum Energumeni Deo commendare, atque consilia in medium conferre: Post hæc ingressi domum Energumeni, partiti familiam, alter viros, alter feminas ad Confessionis & Eucharistiæ legitimum vsum, cuius ipsi ignari, erudire. Hinc aquam, thus, panem, salem solemni precatione benedicere, & dæmoniacum, vt ea sumeret, etiam innitum cogere. Consuetis inde Exorcismis miserum aggressi, ex vocum, quæuis animalia imitantium, multiplici specie, & latini sermonis vsurpatione intelli-

Digitized by Google

intelligunt dæmonis præsentiam, cuius petulantiam Exorcismos ridentis, noster Sacerdos non semel infracta alapa fregit, ac discussit. Denique post non longi temporis interuallum, pulsus infessor dæmon: Energumenus autem velut corpore fracto sponte assurrexit, atque deinde memor omniū quæ secum acta fuissent, professus est rationem semper sibi inter corporis iactationes constitisse; sed vti illa, vt voluisset, non potuisse. Mane ipse cæterique omnes, qui spectaculo interfuerant, ad sacramenta percipienda compositi, expiatis rite criminibus, Agni cœlestis epulum inierunt, & laudes, grateſque Deo pro tanto beneficio dixerunt. Complures remedia salutaria in morbis hinc expetierunt. Puerpera, grauissima post partum dæmonis infestatione sic agitabatur, vt obsessionis sat manifesta indicia proderet: cui cum frater Germanici Collegij alumnus, Ecclesiastica omnia subsidia adhibuisset, morbique vis ita se intenderet, vt puerpera & absentia, & arcana panderet, & Sathanam adesse sibi ipsa sentiret; Accersitus noster in oppidum, quod hinc nouem millibus abest, quamprimum Pœnitentiæ sacramento ægram lustrauit, vnumque tantum Exorcismum protulit, mulier intra viginti quatuor horas, quæ pharmacis antea pænè deiecta erat, corpore, animoque reualuit: Eodem articulo temporis puella septennis dæmoni obnoxia per varios corporis cruciatus, ab eodem Sacerdote, per Ecclesiastica remedia continuo curata est. Pluseulum in alia muliere operæ positum, quæ quatuor hinc milliaribus in Pago, cui nomen, ab alto fonte est, multiplici dæmonis carnificina vexata, vbi de-

Digitized by Google

nique ad Magorum operam confugisset, in apertam lapsa fuerat mentis insaniam. Huc adijt Sacerdos nostet, atque ad solita precationum carmina conuersus, salem & panem benedictum esui præscripsit, quibus ita sumptis per aliquot dies, quæ paullo ante nullis catenis satis coërceri poterat, melius habere, & ad solita sponte redire munia cœpit Auriga quoque hâc in Thuringiam transiens, & fama tam diuinæ opitulationis permotus, ærumnas suas, & dæmonis impetus remedij causſa Sacerdoti exposuit, & opem submisse popoſcit. Is iussus è templo aquam promere lustralem, eaque vna cum pane *benedicto* quotidie vti ad cibum; vbi morem gessit, octiduo post ad nostrum reuersus, hoc se remedio adiutum lætus narrauit.

MISSIO HAMMELBVRGENSIS.

EDICTVM quod Imperator, & Princeps, cũ pœnæ & exilij metu ciuibus proposuerat, variè incolas affecit. Pars morem gerendum, pars cunctatione tempus extrahendum censuit. Postquam vero templum adire, & conciones Sacertis nostri frequentare cœperunt, spiritus paulatim ponere, orthodoxam veritatem eminus intueri; votum reluctantium id vltimum esse, vt adultis saltem, & in Euangelio, vr aiebant, educaris, induciæ essent, ipsos se iuuentuti fore authores, vt ad Catholicos transitum sponte faciãt; sed à proposito dimoueri se Princeps passus non est; quin crebro per litteras, & legatos inculcauit vigilan-

Digitized by Google

vigilantiam Pastoris, & curam in eos suam: audirent æquis animis, quos è Societate illis informandis misisset Sacerdotes; hos orbe toto exaudiri, & approbari. Hanc inter luctam cum hyems, initiumque æstatis fere abijsset, paucique salutaria complecterentur, denique exemplo Fuldensium, seorsim per viros primarios, viritim singulorum visum est explorare voluntates. Et primo quidem accessu feroces fuere; inde molliores abiere in alia atque alia. Alij se facturos quod æquum, bonumque: Alij se staturos à maiori parte; alij denique deliberationi inducias petere. Nec defuerunt qui libris, & ingenio freti, ac oblatis ceruicibus, pro Lutheri dogmate se pugnaturos profiterentur. Verum vbi aut cedendum, aut bene credendum audierunt, cesserunt supra centum capita; Plerique tamen malæ rei, & nominis non probi, nec à magiæ suspicionibus prorsus intacti. Ceteros & Principis authoritas, & sensim adlubescens catholica veritas, ipsaque demum patria permouit. Nec desinebant è vicinis locis Catholici cognatos suos, aut affines per Epistolas, precibus, & monitis impellere in partem meliorem. Accedebat & lectio diligens librorum optimorum, cuius cum rarior esset copia, obseruatum est, vnum aliquando libellum, magno cum fructu, per manus iuisse plurimorum. Profuit quoque non parum Nostrorum cum ijs familiaris congressus, & collatio de rebus ad credendum necessarijs; dedit & vexatio nonnullis intellectum. Notæ non vulgaris ciuis foris circumuolitabat eques, locum migrationi commodum requirens, iamque spes honorificæ conditionis alluxerat, cum ad suos reuertens, improuiso morbo

morbo coxendicis arripitur, sterniturque; hunc ille morbum ad se Hammelburgi detinendum, cælitus sibi Deum immisisse lætus iam gratulabatur: hoc iucundius, quod ex quo die Sacramentis Catholicis se obstrinxit, vsum pedum & coxendicis recuperauit, multis antea in irritum magno sumptu, tentatis remedijs. Illud etiam singulare: quod Lutheri Minister ex pago præcipuo pulsus à Principe, receptusque à suis, per litteras monuit notos, ne cunctarentur dare nomen fidei suitæ: sibi à Luthero ad Caluinum abeundum, aut exeundum rursus ministerio. Erant *in oculis* multorum exitus quoque tristes, & incommoda, quibus exules multifariam conflictabantur, qui quocunque diuerterent, salutabantur contumaces, & in Principem suum rebelles, absque ipsis potuisse vrbes coli, fruges absumi: venisse in alia loca, vt annonam accenderent; si probi viri extitissent, perstituros in patria fuisse. Itaque qui fidem Catholicam recens amplexi sunt, gratulantur sibi de excussis tenebris, rident extorrium amentiam, reditumque suadent; In quo præclarum viri primarij, & magistratu gesto non obscuri exemplum, qui publico quoque Cæsaris edicto notatus, filij precibus, consilijsque sic emollitus est, vt ab exilio redux imbuendum se iam nostris tradiderit, & veritati cesserit. Pagi omnino nonem, incolis frequentes, ad Ecclesiam accessere: licet alicubi diu, multumque cum pertinacibus animis luctandum fuerit. Inuentus hic non obtusi ingenij rusticus, qui ita secum ratiocinabatur: Lutheranismus omni loco pellitur, vel ad Caluini senticeta digrediendũ, vel ad Ecclesiam antiquam; Caluiniani autem supercilioſi sunt, &

vel

Digitized by Google

vel Decalogo ipsi manus inferunt. Referebat audisse se, cum agricola tardioris ingenij ægrius illum addisceret, & Prædicans in templo docendi caussa inculcaret: Ego Dominus Deus tuus, qui eduxit te de terra Ægypti: Respondisse Idiotam; Nec posse, nec velle ea edisscere; se natum, & educatum esse in pago illo, nec oculis suis vnquam Ægyptum vidisse, multo minus eductum esse. Atque hæc foris. Communis autem conditio omnium hæc est, vt quemadmodum plerique omnes, in hæresi fuerunt incensi, ita sperandum sit in fide orthodoxa fore in posterum præferuidos. Argumento sunt, auidi Catholicæ religionis, & institutionis animi, frequens concio & lectio piorum librorum, numerosus ad Catechesin confluens populus, & æstimatio nostri, quin & mutua excitatio, cum ciuis ciuem, maritus vxorem, parentes liberos ad religionis concordiam inuitant: quodque vertit feliciſſime Deus, mille quingentæ circiter hoc anno exceptæ errrantium exomologeses, expiatique pagi omnes. Diuturna quoque Parochi infirmitas, occasionem charitati & industriæ ampliorem dedit.

COLLEGIVM HEILIGENSTADIANVM.

ANNVS hic luctuosus fuit inopinata morte Reuerendissimi & Illustrissimi Principis, Ioannis Adami, Collegij huius Benefactoris eximij. Parentatum illi à nobis nostro in templo, tum die à morte trigesimo, in summa æde, nostro sacerdote ad populum laudante. Ab hæreticis

Digitized by Google

cis ad Ecclesiam transiuerunt ducenti, duobus minus, in quibus sexagenarij septuagenarijq; senes. Erat in his vir iuris non ignarus, qui perscrutatis omnibus nouis, antiquisque sectis, Turcica etiam alcorano, & Iudaico Talmud, non inuenit tamen extra arcam Ecclesiæ, vbi pes quiesceret; ad hanc ergo rediit ipse, & vxorem inducit. Honesti ciuis Lutherani filia, ob religionem sæpius ad septimanas aliquot domo pulsa, adduci non potuit, vt quicquam de animi fortitudine remitteret: Eam vbi nuper in cubiculo solam parens offendit, ita percitus, stricto, quem manu tenebat, cultro petiit, & propius nihil quam confeciſſet, nisi talium assueta filia intra manus vltrò incurrens, ferrum excussisset: & licet odium paternum maneat, persistit tamen in fidé, secura etiá mori. Confessionis & communionis plurimus vsus. Pascha omnes Sacerdotes ita occupauit, vt ab hora duodecima diei, ad primá noctis vix satisfecerint; qui totius vitæ peccata retegerét fuere plurimi. In eorú numero vir in re medica perquá expertus & felix, missa aula Principis sui hæretici, longo itinere ad nos profectus, pijs exercitijs mentem in quietem reposuit, & ad constantiam firmauit. Perosus nunc vitam aulicam, & ciuilium negotiorum turbas fugiens, post Italiæ, Germaniæ, & aliarum nationum voluptates, coëmpta in vicino pago villa, vitam cœlibem agit, nec Collegio benefaciendi occasiones omittit. Odia, quæ in hoc populo mirum quam pertinatia, extincta, in paribus hominum minimum viginti. Certa mulier, cùm in D. Magdalenæ festo noster pro concione, de caussis inducentibus in Castitatis naufragium disputaret, post annos quadraginta

quadraginta, quos turpi quæstu corporis transegerat, serio se respexit. Quare non diu factum, cum ad sacerdotis pedes accidens, confessionibus perpurgata est, & iam omnium rerum inops, reliquam vitam in pœnitentiæ operibus consumere amat. Hoc illi initio sceleris mirabile accidit; cum à secundo partu mœrore plena, vna cũ prole profuga syluam vicinam transiret, nec conscientiam, nec egestatem patiens, desperabunda dæmonem inuocauit: Et ecce momento ipso tota sylua vento horrisono ita concussa est, vt propius nihil, quam vt arbores, & nemus omne vnâ eradicaretur. Agnouit mox mulier suum scelus, mutataque voce, ac mente Deum contestata est, & pacem orauit, & motus, tempestasque conquieuit. Reuerendissimus & Illustrissimus Princeps noster, ducentis coronatis rem Collegij adiuuit.

COLLEGIVM MOLSHEIMENSE.

ADeo celebrantur apud nos conciones, vt cum in D. Virginis sacello nostro Altbionniano, à meridie concio esset habenda, ipsa multitudine vrgente, cathedra transferenda in locum subdialem fuerit, ex quo ipso multi excluſi sunt. Eodem conuenere tertia feria Rogationum sex vicini pagi: quorum duo desitam à quinquaginta tribus annis consuetudinẽ reuocauerunt. Habita etiam ad illos sub dio concio, religionis studium confirmauit & auxit. Hinc confessionis studium natum: fuerunt mille triginta factæ,

quæ

quæ totam vitam complecterentur. Libros hæreticos, & superstitionum Doctores multi volentes reliquerunt. Qui vero abiurauerunt hæresin, viginti septem fuerunt. Puer è disciplina nostra sororem, & aliam puellam, ancillas ambas Dominorum hæreticorum, apud quos hæresin imbiberant, suorum inuisendorum gratia domum reuersas, ad Sacerdotem nostrum pertraxit, à quo absolutæ sunt. Excursum persæpe in auxilium Parochorum. Tanto numero sacramenta frequentata, vt sacerdos vnus tribus in oppidis sub Pascha, mille septuaginta confessiones exceperit, occupatis interea Parocho, & altero Sacerdote socio. Iidem duo Sacerdotes nostri, ante diem Natalem Domini Obernhemij, mille prope hominibus aures præbuerunt. Æque vtiliter in aliquot Religiosorum cœnobijs nostrorum industria posita. In quodam Nobilium virginum monasterio, Antlau nomine, cui paret oppidum cognomine, tum virgines omnes Antistita, quæ Princeps Imperij est, præeunte, tum tota Monasterij familia, alijque multi sæpius hoc anno, nostros Sacramentorum causſa euocarunt. Priuatus ciuis templi cultum auxit, statua argentea pectorali trecentorum aureorum D. Materni capitis reliquiis includendis, & exhibendis. Addidit quindecim coronatorum cingulum, tandem ex semisse nos hæredes instituit. Argentinensis Canonicus, & custos D. Petri, vt vocant iunioris, D. Ioannes Schnosbach in vita transeuntibus hospes, moriens bibliothecã auxit libris, quorum pretium trecentis sexaginta aureis æstimatur, Templum nonnullis imaginibus, & calice argenteo non leuis precij. Vt grati

essemus

Digitized by Google

essemus decumbentem, & mortuum, quibuscunque potuimus officijs prosequuti sumus. Alius Iuris Doctor, & ciuis Tabernensis, nauim argenteam magni ponderis, & elegantis operis templo dedit. Iam Illustrissimi Cardinalis Episcopi nostri, & Generosorum Dominorum Canonicorum, is est animus, vt quicquid aut vsui nobis, aut ad functiones nostras commodum putant, id omne præstent libenter, & prolixe. Dederunt hi septuaginta coronatos ornandis reliquiis, ille spem fecit recuperandi Prioratus S. Valentini, quem Reuerendissimi, piæ memoriæ Fundatoris nostri rogatu, summus Pontifex olim Collegio concesserat.

COLLEGIVM CONFLVENTINVM.

FVNEBRES magnis familiis negari non potuerunt. Is honos habitus nobili feminæ, quæ tetinens hæresis aliâs filio responderat; Paratam se in die Iudicii de fide sua rationem reddere. Ea morti propinqua, de nostrorum manibus parata fuit Sacramenta suscipere, adeoque flagitauit. At priusquam nostri ad illam peruenirent, Parochi vsa est opera, & extincta. Præstitum idem officium cuidam ex Aulicis Nobili, præsente maxima Nobilitate, Motas iam mentes ex miserabili casu facile erat permouere: Adegerat enim illo cultrum sibi ipsi in fauces, sed Deo volente alius nobilis, quicum illi magna necessitudo, interueniens facinus animaduertit, exhorrens mox, frater exclamat, frater quid moliris? Desiste, amabo te,

te, à crudeli facinore: sed iam propius illo accedente, cruore suo madentem conspicit, & ferrum hærere sub vestibus. Illico intempesta nocte Chirurgum acciri iubet; tum Sacerdotem nostrum. Erexit hominem Sacerdos, dolere cœpit de peccatis, & fidem minus sincerâ, meliore commutare, & intermortua voce de noxis confiteri. Alius sibi tantummodo horam vnam superesse ad vitam lamentabatur (erat illa vndecima noctis) ea præterita, tum se in auras à Cacodæmone rapiendum; Is ab hero & domesticis inductus est, vt Sacerdotem nostrum accederet. Ea nocte igitur facibus & sociis instructus, ad Collegiũ nostrum venit, & dũ agit cũ Sacerdote omnes nostri horologij quadrantes numerat, donec audiretur duodecima, quam ipse horã sibi postremã rebatur: sed eadem illi salutem attulit. De tota siquidem vita, tum, & sequenti luce confessus, ab omnibus terrificis opinionibus, & vero etiam morbo corporis liberatus est. Alij à laqueo & aquis, aliisque grauibus facinoribus auocati. Emerserunt ex hæreticorum lacunis supra triginta, ex quibus, verbi minister Caluinianus, & Geneuæ in Gallijs, & in Germania pluribus locis notus, præmissis ad dies aliquot sacris exercitationibus, magno animi sensu, hæresin eiurauit. Filium similibus erroribus imbutum, mox à Caluinianorum scholis ad nostras transtulit. Alius Lutheri placita fuerat sequutus pertinaciter: Actum cum illo sæpius, sed irrito conatu: afflixit eum lecto Deus, Tum morte, & amicis, & nostris instantibus dedit manus. Et vero Deus dedit sanitatem, quamuis Medici vitam eius desperassent: vt qui extremæ vnctionis Sacramento iam munitus

Digitized by Google

tus esset. E viuis abiit nobilis femina, triduo postquam ad fidem esset inducta, Fassa est ipsamet suis, pridie quam conueniretur, se de aduentu nostrorum, per duos albicantes iuuenes esse admonitam. Enituit quoque multarum virginum, viduarumque in seruanda castitate virtus. Cilicia & flagella, à coniugibus quoque terentur. Fuerunt noui coniuges, qui in ipsis nuptiarum solemniis, sub vestibus holoseriois indusia ferrent cilicina. Ex Canonissarũ ordine duę nobiles, cum sacramenta apud nos obissent, amore Christi mundum muliebrem deposuerunt, & lenodia sua in altaris instrumentum conuerterunt. Effectum in Ciuibus ne Pistores, vt consueuerant, die Dominica pinsant, constituta præuaricatoribus duorum coronatorum pœna; Ne lanionum etiam officinæ, tempore concionis, & sub sacro, cementibus parcant. Ex dissidio, quod multis annis steterat, à duabus nobilibus feminis, prouocatio facta est ad supremum iudicem Deum, & iam altera videbatur sistenda: ita grauiter cepisset infirmari; suasum, vt coram confessario Iudice causam dicerent, paruit vtraque, & pax est constituta. Vinctus attinebatur in carcere ob crimina non magna, reus nihilominus adiudicatus, cui laqueo vita adimeretur; iam ad patibulum cum alio erat educendus, & ecce Sacerdos noster intercedit, & huic initius supplicium impetratur, illi differtur quidem, verum perstat Iudex in sententia. Itaque reus vbi humanis præsidiis nihil proficit, confugit ad diuina. Forte Sacerdos ei explicarat, quantum in B. Maria Lauretana præsidij ponendum esset; eius ope aliquot è laqueo esse liberatos, teste P. Horatij Tursellini

historia. Hic ille explicare frontem, ac rogare historiæ huius vt sibi fiat copia: obtinet, legit, magnis incedit gaudijs, præsertim cum exemplum inuenisset cuiusdam Francisci, quo nomine & ipse appellabatur, qui a reste, Virginis ope, fuisset seruatus. Itaque facto voto Lauretanæ virgini, funem nectit e stramine in quo cubabat, iam postera dies instabat, dies illi suprema, neque huius ipse nescius. Nocte ergo reserato carcere, per custodias impune transit, mox alligato fune ad fenestram, per murum inusitatæ magnitudinis se demittit, lapsantem audiunt milites (*fefellerat enim imprudentem restionem summitas*) subito per arcem dant turbamenta, effunduntur-que portis, verum à statione longe recedere vetitum. Pauci igitur sagacibus secum assumptis canibus, miserum insequuntur: Is recto cursu in proximam se coniicit syluam, hic præcipuus metus à canibus, sed propinquantes mulsit pane triticeo, quem ex hesterna cœnula seruauerat. Inibi ne deprehenderetur triduo hærens, tandem nocte intempesta domum paternam, quæ non longe aberat, petiit, deditque litteras ad confessarium, quibus iter sibi describi desiderabat Lauretum versus. Interea res emanauit, mittuntur custodes, diu, noctuque cingitur domus; crescit periculum, Reo fiducia crescit, & audacem facit. Cum octo iam diebus cinctus esset, intrepide foras prodit (quis putet falli custodes posse?) scapha Rhenum traiecit, Moguntinam diœcesin petijt, & vt viaticum ad iter conficeret, palam messis tempore operam elocauit; frustra hortantibus amicis vt periculo se eriperet, nec periculum fuit, protegente eo, qui non confundit sperantes

in

Digitized by Google

in se. Ciuibus vulgare est, vt cum vel matrimonia ineunt, vel incipiunt nouas inhabitare ædes, à duodecim pauperum conuiuio auspicentur, quibus expiatis confessione, & celesti cibo pastis solenne epulum præbent. Quod nuper adeo laudabile visum præcipuo Lutherano ciui, cùm forte interueniret, vt vix à lachrymis temperans & factum commendarit, & accumbens mensæ eleemosynam ipsis dederit, & suis ministrarit manibus. Transeo ad scholas; Parthenij conuiuium pro Pauperibus, die Iouis sancto, in maiorem aulam transtulerunt: erecta mensa in amplo theatro, ministrarunt nobiles quattuor quidem grandiores, octo autem pueri, spectaculum fuit dignum visu, iucundum omni multitudini quæ magna vi sese infuderat. Videtur hoc imitatus ciuis Andernacensis, ante biennium in Sodalitatem ascriptus. In cum in Scabinũ nuper esset electus, & pro more epulum dedisset, alterum pro pauperibus postea instruxit, conuocatis ad id vndequaque quotquot habere potuit; ipse vna cum coniuge, & fratre seruiuit.

COLLEGIVM PADERBORNENSE.

POSTQVAM anno ineunte potestas publica in ciuem quendam ingenio, ausisque promptum concessit, secuta sunt, quæ nisi diuina bonitas repressisset, non nobis tantum, sed & religioni Catholicæ his in locis exitium non dubium minabantur. Nam qui se Consulem ferebat, rudem populi animũ spe libertatis, & rapinę delini-

Digitized by Google

tum, facile impellebat, quo sponte sua propendebant. Itaque proiecta Principis sui authoritate, in clerum omnem, ac inprimis aduersus nohostilia moliri; in bona nostra inuasionem meditari clam, palamque in Senatu, foro, compitis agere de exilio, imo de nece nostra: Iesuitæ dum vna secum commorentur, Lutherum in vrbe & patria tota, quod portendebat, ægre sedem firmam, stabilemque habiturum. Quid multa? Magna vbique hinc improborum spes, inde proborum trepidatio gliscebat, præsertim cum diræ, pestilentesque ciuium dissensiones, incrementa caperent, nec deessent portenta mali imminentis nuncia, nunc aëre terrifica belli simulachra exhibente, nunc spectris nocturnis, equitum discursantium, ciuitatemque vi occupantium formam, sonumque repræsentantibus. Consul nihilo secius incœpti pertinax, pestilentia vrget consilia, veterem Reipublicæ statum prorsus immutandi, nec quicquam longius censet, quam aptam huic rei occasionem dari. Et vero dedit aliquam aduentus Hispanorum militum, qui licet placati certa pecuniæ summa, abitum parārent, famæ tamen datum est, veteri in nos odio, à Iesuitis eos accersiri, & fraudem vrbi comparari. Lustratur igitur horreum noui Collegij iuxta mœnia, suspectum insidiarum, & proditionis. Litteræ ad nos aliunde allatæ intercipiuntur, misso à Senatu Secretario ciuitatis, malorum omnium incentore, cum sex Eparchis, vt cognoscant, quid contineretur. Ille insolenter minas spargere, ac lectis litteris rubore suffusus, cū canibus suis abscessit, cum nihil reperisset, nisi de ieiunio, confessione, communione, aliisue quadragesi-

quadragesimæ fructibus. Sæpius apparitores ad nos ab Senatu missi, quæsitum, quid animi erga ciuitatẽ gereremus. Responsum, eo nos in ciuitatem esse animo, quo deceat religiosos, ciuiũ, illorum quæ liberorũ nostris in scholis versantium amantes, quẽ re, quam verbis in necessitate magis comperturi sint. Quia incredulis verba hæc videbantur, postulantur ciuiũ filij, etiã clerici, è gymnasio ad arma sumenda: his, vt se status prætextu excusarent, illis, vt obedirent, ediximus. Mox totã iuuentutẽ fatigãt, confecto in tempus ingenti periculo; efflagitant à Reuerendo & Nobili D. Decano cathedralis Ecclesiæ, vt studiosi, quotquot essẽt ferendis armis, vrbi laboranti subuenirent: furori cedendo, iubentur sub primam noctem conuocare studiosos ad excubias; intutas obijcimus tenebras, parentumque externorum contrariam voluntatem; nolentes cogi non posse, nullo præsenti periculo vrgente; sed frustra obnitebamur, itaque coguntur. Tandem semihoræ spacio armati in scholam, intra summæ ædis ambitum, lustrantur à Præfecto, in ordinem componuntur. Profunda nocte præfecti vigiliarum nostrum exploraturi animũ, & fidem, Gymnasium petunt, excubias examinant, abscedunt, nihilo plus ansæ indepti nos calumniandi, quàm ante. Non hic consistit audacia, turbandi percupida. Sequenti die in vesperum flexo, denunciant voce, ac tympano Ecclesiasticis, & D. Benedicti Religiosis publicas ad forum, murosque stationes. Clerici viritim sine ordine, quisque suo arbitratu, in destinatam pergere stationem sinuntur, Monachos autem, & Abbatem maxime, longa hasta oneratum, in primo agmine petulantium iuuenum a-

Digitized by Google

gunt, mane abcessuros, amplo circumductu velut in triumphum ducunt, bombardas supra capita eorum pro deridiculo, explodunt. Restabamus nos huic Dramati, coniuratum simili modo Iesuitas ad excubandum euocandos; Præcipiti ergo in occasum sole, iteratò omnes ad vnum vsque Ecclesiasticos, & iam Reuerendos & Nobiles Dominos Canonicos, Dominos suos, inaudito exemplo, iniecto mortis metu, ad excubias nocturnas popoſcerunt. Nobis autẽ tanto constantius resistentibus, quanto omnium animi, oculique suspensi hærebant, non tantũ tympano, *voce*, sed etiam vltra ciuilem modum, *scriptis litteris* mandatum, ni pareamus Collegij direptionem, & Collegarum internecionem, vt expectemus. Euntibus Canonicis, Monachis, Clero, visum est tandem duos Patres mittere, cum totidem coadiutoribus in forum, vt rem omnibus barbaris insuetam deprecentur: vox acclamantium Eparchorum: Enimuero totum Collegium, monachorum instar adesse oportere. Responsum, sine dubio totum Collegium in tanta rerum perturbatione vigilare, sed partim in noua, partim in veteri domo: Ceterum omnes in forum nec posse, nec debere venire. Vrgent illi, vt in Curiam conscendant, abnuunt nostri. Tandem post altercationem mutuam illud impetrauimus, vt statio inter Clericos permissa sit, repulsa procacium hominum importunitate, qui nos ludibrijs iuuentutis vrbanæ exponere satagebant. Deferat iam magna ex parte externi periculi metus, Hispano ad suos reuerso, Consul tamen cum suis non definit institutum vrgere. Ad scholam quassandam intendit animũ. Decernitur scilicet

dies

dies certa qua eijciãtur omnes ſtudioſi, ſub pœna quinquaginta aureorum; ciuibus interdictum, ne filios ſuos noſtræ diſciplinæ ſubiectos patiantur: prohibitum, ne quis ciuis ſtudioſum domi detineat; nouus Gymnaſij Rector, noui profeſſores iam deſignati, Pauperes noſtri ſcholares ab omni eleemoſyna excluſi, male multati. Suſcitabulum huius incendij fuit inter cætera, libellus ſeditioſus à vicino Lutherano rabula Senatui inſcriptus, & Senatoribus viritim diſtributus, in quo Ieſuitarum proſcriptio ſuadebatur, & vero facile perſuadebatur furioſis Lutheri mancipijs. Deſtituti itaque omni humano auxilio, in his turbis, vni innixi Deo conſtantes perſiſtimus; quem quiſque pro virili, oratione, pœniſque voluntarijs placare ſtuduit, non intermiſſo interim conſueto munere concionandi, docendique. Affuit tandem diuina bonitas, & quando in neruum res iam iam erat abitura, & iugulis plurimorum per ſeditioſorum greges intentabatur ferrum; per Generoſum, reique Catholicæ amantiſſimum Ritbergenſem Comitem, ſubuenit ruenti ciuitati; qui cum poſtridie clam oppidanis, qui de oppugnatione incerti, præſidium foris collectum necdum receperant, ciuitatem adorturus eſſet, & ad Principis obedientiam coacturus, pridie inumbrante veſpera, vigeſimo tertio Aprilis præmonuit nos, vti animo eſſemus bono, ſe ea nocte ciuitatem oppugnaturum: tertia noctis hora portis aſſultatum: durauit oppugnatio ad horam fere nonam diei: cumque prima conſiliorum fruſtra cecidiſſent, ſuaderentque cœptis deſiſtendum, Generoſus Comes primus in acie, licet illo ipſo in tempore paroxyſmo febrium concuteretur, firmatus ta-

men animo, noſtrique magis quam ſui anxius, ne quaquam, inquit, hoc expedit, ne bonos Patres præſentiſſimo vitæ periculo exponamus: itaque pauore effuſum militem, retroque concedentem, ſtrictoque monet, adigitque gladio inſiſtere labori. Tertio demum die occupata ciuitate, quamprimum in Collegium properauit, viſurus quid nobis actum, ſimulque gratulaturus; rei diuinæ interfuit, gratiaſque Deo egit pro vita mirabiliter diuina virtute conſeruata, cum ipſe circa ſe cadentibus multis, famam de nece ſua vulgatam viuus refelleret. Peractis diuinis myſterijs, P. Rectorem cum ſocio prandio excipere voluit. Inſigniter comi aduerſus nos animo, ligna ſylueæ Reuerendiſſimi atque capituli, quam infano furore vrbi muniendæ Conſul exciderat, à Reuerendiſſimo Principe nobis impetrauit, ſuoque belli vicario mandauit, vt ad Collegium perueheri curaret. Vaſe vini Collegium donauit, quadrigas, quibus aſſeres in noui Collegij veſtitum, à quatuor longis miliaribus adueherentur, dedit. Auxit bonorum lætitiam, & cordolium hæreticorum, Liberij Wigart Conſulis ſeditioſi, & capitis factionis, ad Catholicam religionem acceſſio; quæ, quia noſtrorum opera accidit, Catholicorum amorem, hoſtium inuidiam, in nos non parum exacuit. Cum primum ad ſe in carcere accedentem vidit Patrem noſtrum, motus hac noſtra charitate, Itane, inquit, ſolandi mei cauſſa, vos huc venire, quos ego hactenus modis omnibus vexare non deſij? Vos officia, pro maleficijs rependitis. Actum dein de errore deferendo, & peracta res feliciter, venenum omne expuit, & ad pœnam ſubeundam obfirmauit animum.

Digitized by Google

num. Concitauit ea res Cerberos Luthericos, vicinis in oppidis, itaque certatim adlatrare, & in factum illud factique authores Iesuitas, declamitare non segniter; donec edito libello, quo rei gestæ series continebatur, os illis obstructum. Alij quoque de hoc factiosorum grege, à nostris in carceribus sunt inuisi, quod ipsis eò gratius fuit, quod suum Pastorem, vel Lupum potius (qui annos amplius viginti fide Catholica flagitiosè abiecta, hæresin Lutheranam cum ingenti vrbis, & prouinciæ huius perturbatione palam docuerat) profugisse ad Caluinistas intelligerent. Preter Consulem, nouem sunt Ecclesiæ redditi. Ciues, quia Habellis illis odij, & dissensionum carent, habemus multo quam antea addictiores; veterani milites Christianis rudimentis imbuti, & ad Sacramenta suscipenda inducti: Reis consultum. Tristibus succedunt læta. Reuerendissimi Principis nostri beneuolentia in nos hoc anno prolixa fuit: Nam ineunte Ianuario, strenæ loco misit Collegio bibliothecam suam magni precij. Confectum hoc anno feliciter de Fundatione negotium; allata tandem vnionis Bulla hactenus expectata. Itaque octauo Septembris nascenti Deiparæ sacro, Collegij domum insigni magnificentia elatam, præsente Reuerendo P. Prouinciali, coram quibusdam Capitularibus, & Nobilibus possidendam tradidit: quo die templi altaria expiata per Reuerendissimum D. Suffraganeum Monasterienſem, parietes carminum, Emblematumque instructu ornati. Dum autem Reuerendissimus D. Suffraganeus sacris operaretur, concinentibus symphoniacorum choris, Illustrissimus Princeps ipse in altari Fundationem

nem obtulit. Longo sacro breue successit prandium, sub quo oratione vincta, & libera, Princeps cum hospitibus exceptus. De prandio in scenam prodijt Zelans Israëlem Elias. Confirmationis Sacramento tam in nouo templo, quàm Diui nostri Bartholomæi sacello, plurimi communiti. Sacra supellex ex Falckenhagiensis cœnobij reliquijs aucta.

COLLEGIVM MONASTERIENSE.

VARIIS artibus labores nostros interturbare conatus est hostis humani generis per fidos sibi satellites hæreticos, quorum prima in nos incursio facta, occasione ciuis cuiusdam, qui in Caluiniana hæresi decesserat. Hunc inuito Parocho, Reuerendissimo suffraganeo, in æde vrbis præcipua per vim, contra ius fasque sepelierant factiosi ciues. Itum obuiam huic audaciæ infracto animo. Cessatum illico ab omni sacro munere illa in æde, intermissæ conciones, sanctimonialibus, quæ funus de more duxerant, inflicta excommunicatio; iussæ ab earum consuetudine abstinere aliæ. Perculit ea res animos quidem Catholicorum, qui aut ignari, aut nimium securi talium, funeri adfuerant, salutari timore; hæreticorum porro magis efferauit, quod ab hominum memoria, nil simile contigisse dicerent. Et quamuis hæc per Reuerendissimum Suffraganeum gererentur, in nos tamen deriuata inuidia. Enimuero Iesuitarum hæc esse machinamenta, quibus solemne omnia innouare, pacem

Digitized by Google

cem Rerumpublicarũ turbare, & euertere, noua religione imbuere animos. Verum optime vertit res. Lex à Magiſtratu lata, vt qui in Paſchate à ſacra ſynaxi abſtinuerit, ſolum mutet: templum ſolenni ritu expiatum: authores impiæ coniurationis ad pœnam poſtulati. Ita quæ exularat iam diu ſacris Canonibus authoritas, velut poſtliminio reſtituta. Valuit hæc res ad exemplum. Auſi etiam Curiones alijs in oppidis præſcribere, ne cadauera hæreticorum, quantumuis è nobili proſapia, locis ſacris inferrentur. Quia hæc velitatio minus pro voto ſucceſſit, alia nos aggreſſi ſunt via. Exciderat forte Magiſtrorum vni, homicidij nomen, cum diſcipulos hortaretur, ne tam auide miſerorum hominum ſupplicia ſpectarent. Id vero arreptum illico, & calide ad Magiſtratum delatum, Læſam authoritatem Senatus proclamatur, Iam ſi vſquam cauſſam eſſe iuſtam eliminandi nos ex vrbe: decretas publica authoritate in ſceleratos pœnas, homicidia appellari, eo id ſpectare, vt animaduertendi ius in reos (de quo vrbem inter, & Epiſcopum lis eſt) adimatur Senatui. Inquiſitum etiam in litteraria exercitia, ſi quid forte iſthinc calumniarum contexi poſſit. Senatus vt ſatisfaceret turbulentis, ablegat aliquot è primoribus ad nos, Quibus reſponſum, Voce latina vſum eſſe Magiſtrum, qua cædem, aut necem hominum exprimeret, quæ iuſtane, an iniuſta foret nihil additum. Et vero ſatis hactenus conſtare, quam non miſcere ſe ſoleat Societas ciuilibus controuerſijs, ita diſcuſſa hæc calumniarum nubes; cum & ipſi diſcipuli, quorum teſtimonio nitebatur hæc accuſatio, negarent ſe probe intellectos eſſe. Inter hæc

aggre-

aggregari Ecclesiæ, quindecim confirmati; qui propter commercia cum circumfusis hæreticis vacillabant, plurimi. Libri noxij magno numero è manibus euulsi, qua in re egregie enituit iuuentutis nobis commissæ feruor, vti & in instruendis Parentibus, ac domesticis in mysterijs religionis nostræ. Puer duodennis crebris cohortationibus à Parente Nobili extorsit, vt in quadragesima ab ouis, contra quam solitum erat, familia tota abstineret: alter, Parentem vtrumque, cum familia octo capitum, ad nos Confessionis, Communionisque gratia, triumpho *glorioso* deduxit. Fuere qui nec verbis, nec *verberibus* à religione deduci potuerint, quos inter eximius vnus, annos natus plus minus quatuordecim; quem abstractũ à nobis ad Mercatorẽ hæreticum, in vrbe Caluiniana amandarat, qui semestri integro, blanditijs, minis, ficto etiam terrore frustra oppugnatus fuit: mandatum siquidem vt famula quæpiam, recenti bouis tergori inuoluta, bouem fingeret, aut dæmonem potius, & puerum in loco solo, ob Papisticam scilicet superstitionem, aggrederetur. Qua re etsi tantus illi terror incussus, vt cum præsenti vitæ periculo è sublimi loco se dimitteret, non excussa tamen constantia, imó aucta, vbi artem Caluinianam intellexit; Itaque reditum ad nos extorsit tandem. Nihilo hoc inferior alter, qui cum fratre, oblatam à Lutherano Principe in schola Lutherana liberalem sustentationem, ad quam acceptandam etiam à Parente hæretico vrgebatur, spreuit excelso animo, malle se mendicato vitam tranſigere inquiens, quam in tam præsens discrimen se dare. Dictum factum. Et quia hic minus

tutum

tutum erat, alio ad Catholicam academiam concessit, sola spe diues in Christo. Non puerilis pueri alterius ad parentem vox, qui hinc auulsus, cum vapularet in itinere, Catholicæ religionis ergo; Percutere, ait, Pater filium potes, agnitæ veritatis amorem excutere non potes, ne si animam quidem ex corpore, quod solum à te habeo, excusseris. Par pænè virtus in segniori sexu. Puella, quam Catechesi edocta erat pietatem, adeo pertinaciter tenuit, vt nobilem matronam, cui famulabatur expugnarit; ne diebus vetitis prohibiti cibi ingetantur, sed suo arbitratu ipsi viuere liceat: Tantum lachrymæ potuere, quibus carnes sibi propositas, cum voce non auderet, reiecerat. Sunt & alia hoc in genere, quæ prætereo. Exemplo nostro, nitor templis, & feruor multis redire tandem cœpit. In templis parochialibus, sedes confessionibus excipiendis, cancelli circa aras, picturæ elegantiores passim curantur. Templum cruci miraculis claræ sacrum, pænè collapsum per nos restitutum, & adlaboratum, vt pietas, contagione hæresum imminuta, accenderetur denuo. Altare aureorum amplius centum Sodalitatj accessit.

COLLEGIVM HILDESHEIMENSE.

AD Conciones consuetas, & quæ frequenter diuersis in pagis magno auditorum bono sunt habitæ; accessit hoc anno noua, in arce capituli: quæ rogatu Dominorum cœpta nuper est, cum ab hominum memoria nullus Sacerdos ibidem

Ibidem, aut sacris operatus fuisset, aut sementem diuini verbi feciſſet, hæreticis omnia occupantibus. Mentes teneræ ætatis, & grandiorum natu, cum domi, tum foris Christianæ doctrinæ rudimentis, non sine magna nostrorum patientia imbutæ, Etenim inter exeundum ad pagos, à Lutheristis frequenter magna verborum contumelia affecti, lapidibus nonnunquam appetiti, percussique sunt; quod & in publicis supplicationibus non sine Catholicorum dolore factum est. Parochus quidam nostros redeuntes ex pagis comitabatur, cum ventū ad vrbis ingressum, monent, ni lapidum iactus experiri velit, seorsum incedat. Quibus ille, communem fortunam non recuso: quæ vos pati potestis, & ego pati possum, maluitque esse meriti particeps, quam conuitiorum & lapidationis expers. Incolæ pagorum in hac hæreticorum sylua, hortatu nostrorum, decorem Domus Dei rursus amare didicerunt. Itaque templa sua more maiorum, vel proprijs sumptibus exornant, pannos sericos, & linteos pro calicibus velandis, & extergendis offerunt, altaria instaurant, imagines sacras pia liberalitate renouant, erga cœlites vel ab infantia quàm maxime afficiuntur. Hinc puella vix septem vel octo annos nata, post factam exomologesin, vltro sibi Patronum illo mense venerandum, à Confessario dari petiuit. Supplicationes annuæ, diebus Rogationum, longo temporis interuallo per plures pagos reductæ sunt. Quod conspicati accolæ Hæretici irriserunt, sed non impune, Nam mox tempestas cœlo demissa, agros irrisorum ita diluit, vt nisi altero semine superiniecto, sperari eo quidem anno fructus nul-

lus

lus potuerit, Catholicorum interim agris innoxijs. Ea præterea religio agricolis iniecta, vt non prius semina terræ credant; quam tota familia sacramenta Confessionis, & Eucharistiæ obierit. Pro argumento vere Catholici hominis hoc est, abstinere sextis & septimis ferijs à carnibus; quocirca pueris hoc inculcatum serio: Apud seniores effectum, ne ab hæreticis mercede conducti, diebus interdictis ijs vescantur. Et fuit ex discipulis, qui ea de caussa varias contumelias perferret, tandem Paterfamilias pia eius constantia victus, diebus istis familiæ carnes proponere penitus intermisit. Hæresin deseruerunt duodequinquaginta; ex ijs vnus fuit verbi minister, qui ex Austria pulsus, libros Catholicorum diligentius legere cœpit, nec difficulter veritatem fidei agnouit, eamque publice in sacello S. Antonij, in quo nostri sacris operantur, coram toto populo clara voce professus, etiam rationibus aliquot è scripto recitatis confirmauit. Tandem animo per Confessionem expiato, & sacra communione percepta, ad loca Catholica alio se recepit. Alter adolescens hæreticis ortus parentibus, & in hæreticorum ludis eductus à puero, & iam etiam in academijs aliquot annos versatus, mediocrem in litteris & philosophiæ profectum fecerat, quem Pater animo, & voluntate ministerio verbi deuouerat, qui adductus ad seductorem Ministrum, cum eum varium admodum Prothei instar, aduertisset in explicandis primarijs capitibus suæ hæreseos, vt fidem modo in corde, modo in voluntate, mox in intellectu, tandem in vtroque sedem fixisse nugaretur; conuitijs tandem exceptus, quod tanti viri authoritati reluctari auderet, ad

Digitized by Google

ad nos aduolauit, & per dies aliquot exercitijs spiritualibus excultus, fidem Catholicam professus est, & hinc ad scholas Societatis alio profectus. Non patum dignitatis, & ornamenti restitutum est religioni catholicæ in hac vrbe, quando nuper Reuerendissimus, & Serenissimus Archiepiscopus Colonienſis Ernestus, suum huc ablegauit in Spiritualibus vicarium, qui pro se Pontificias quasdam functiones obiret: Censebant multi primarij viri omnia, clausis templi foribus, peragenda esse, ne qua turbandi præberetur occasio hæreticis, quando simile nihil ab hominum memoria factum esset: aliorum erat *sententia* palam omnem cultum, ritumque administrandum esse, quæ & honestior, & potior fuit. Itaque primum solenni ritu tres initiauit Abbates. Deinde virgines despondit Christo. In diuersis templis altaria ad triginta, vel de nouo dedicauit, vel prophanata expiauit: bis in Ecclesia Cathedrali Sacramentum Confirmationis solenniter administrauit, & semel in Sacello nostro, quo tempore illud fuit iucundum, videre homines omnis ætatis etiam grandæuos, singulari cum pietatis significatione, Sacramentum Chrismatis suscipere; tum quoque fuit fructus laboris nostri apud vicarios. Ex ijs enim pagis, quos Nostri superioribus annis concionibus & Catechesi formarunt, magnis agminibus ad Confirmationem accurrerunt. Denique omnia magno Catholicorum gaudio, hæreticorum vero dolore, & pudore facta sunt. Neque hoc quod nunc dicam, leue fuit ad religionis Catholicæ stabilimentum. Iuuenis erat in vico, à pueritia in religione auita institutus, qui spe diuitiarum illectus, Parentes induxit,

vt

vt sibi potestatem facerent Matrimonij cum hæretica ineundi, à qua méte cum neq; illâ, neq; parentes, quisquam reuocare posset; Parochus tandem in proximo Paschate diuinis mysterijs parentibus interdixit; vnde mater mœrore primum, deinde morbo cruciari cœpit, peccati interim magnitudinem agnoscere, & acerbe flere, neque tamen inde melius habuit, sed nuptiarum gaudia alijs relinquens, ipsa se pœnitentiæ lamentis dedit, & per nostrum Sacerdotem rite expiata, è viuis discessit. Nec sponsus impune perfidiam tulit, altero enim nuptiarum die, repentino correptus morbo, octiduum postea non vixit; Pater orbatus coniuge & liberis, in luctu & squalore vitam infelicissimam trahit. Scholæ, hoc anno accessu vnius classis auctæ. Fama vulgata fuit, non sine culpa quorundam, esse in scholis nostris pueros, qui magicis vterentur artibus, quod cum auide aduersarij artiperent, mox incredibili cum augmento, non per vrbem tantum, sed per totam Prouinciam disseminauerunt. Magistri hæretici in scholis apud discipulos, & Prædicantes in cathedris, nos magicarum artium Doctores proclamarunt, Senatum etiam perurserunt, vt in nos inquireret, & ciues suos de filijs, & filios de Magistris percunctaretur, Ecquid aliquando inaudissent, aut vidissent apud nos magicis affine præstigijs. Verum cum nihil, vel in speciem reperire possent, neque tamen sectarum Magistri vociferari, & calumniari desissent, Senatus à diuersis hæreticorum Academijs consilium expetijt, quomodo nos vel ciuitate pelleret, vel ignominia notaret: sed Academiarum vnum responsum fuit, nihil causæ esse cur aduersum

Digitized by Google

nos quicquam molirentur: ni multari velint, abstineant ab omni nostrorum iniuria. Interea vero cum fama omnino obrui non posset, ne quo modo tantis sceleribus fauere putaremur, & Senatus etiã quorundã nomina descripta haberet, Visum est superioribus nostris omnes illos, quibus hæc nota adhæsisset, à scholis amandare: quæ res etsi in præsens multorum à nobis animos alienauerit, necessaria tamen fuit, ad Societatis nomen contra aduersariorum calumnias tuendum, neque à quoquam viro prudenti potuit reprehendi: quin ipsi etiam ciues hæretici *factum* hoc nostrum collaudarunt, & discipuli *hæreticarum* scholarum, quæ binæ hic sunt, magno nostrarum exercitationum desiderio ardere cœperunt. Itaque quoties à suis scholis vacant, ad nostras accurrunt, Magistros docentes, & discipulos concertantes libenter, ac modeste audiunt, nihilque optant magis, quàm vt in disciplinam nostram bona cum voluntate parentum dare se possint. Adolescentes, qui fidem Catholicam amplectuntur, constantes manent. Duo fratres germani, cum circiter sesquiannum nobis operam dedissent, & hæreseos venenũ euomuissent, à Parente hæretico spe illis facta alio ad nostros abeundi, domum reducti sunt magno illorum dolore, cum propter religionem, tum quod institutum studiorum cursum tenere non possent; ad gymnasium deinde hæreticum amandati sunt. Quid agerent adolescentes? parentis imperio refragari fas esse non putabant, scholas mutarunt, sed non religionem: post biennium namque Sacerdotem quendam è nostris, isthac iter cum haberet, agnitum in diuersorio adierunt, & cum alibi

Digitized by Google

alibi non possent, vel in stabulo, ne [illegible] innotesceret, animos per sacram confessionem expiarunt, magnumque desiderium redeundi ad scholas Societatis nostræ declararunt. Centũ daleris inopiam Collegij Religiosus quidam Prælatus subleuauit. Virgo deuota, ex hac vita discedẽs omnia sua bona, etsi non magna re, magna tamen charitate Collegio reliquit. Sorores duæ germanæ, è mundo suo muliebri duas ex auro catenas Collegio donarunt, vt ex iis turricula fiat corpori Christi in supplicatione solenniter deferendo.

COLLEGIVM EMBRICENSE.

QVIDAM Matrimonium initurus, noluit vxori coniungi, antequam Catholica facta esset, quæ postquam rectè institua dedit manus, non contenta sua salute, statim patrem, qui plurimis annis inter hæreticos sacramenta neglexerat, ad confitendum induxit, eodemque fratrem postea perpulit, & nunc ipsa pietati diligenter vacat. Fuit mulier, quæ cum quatuor Prædicantibus commissa, victrix euaserit. Vicinum Monasterium, quod à discipulis nostris restitutum in antiquam est disciplinam, & quotidie nouis copiis repletur, religiosorum rogatu adijt Sacerdos noster, ibique omnium Virginum & Monachorum distinctis cœnobijs, ex regula S. Brigittæ, commorantium confessiones accepit, singulari à superioribus charitate tractatus, qui ad nos tanquam parentes referre difficultatis suas, eorumque consilio plurimum solent confidere. Sere-

Digitized by Google

ia suam propensam in Societatem
ntiam, multis eximijs signis hoc anno
rarauit; nam primum beneficij fructus, quos Canonici vt nobis concederent, nulla ratione perpelli poterant, vt obtineremus effecit. Deinde omni ope adnisa est, vt locum Collegio laxiorem consequeremur, quam rem vbi ab æmulis turbari intellexit, nihil studij sui desiderari passa est, quo conatus eorum disijcerentur. Aliorum etiam procerum & officia, & merita in nos clarissima extiterunt. Societatis existimatio incrementa capit quotidie, vt præcipui quique rerum suarum consilia cum nostris communicent.

COLLEGIVM AQVISGRANENSE.

LABORATVM, vti ferè initio solet, maiore conatu, quam successu, in euellendis prauarum opinionum spinis, neque tamen nihil effectum. Sex educti ex hæresum sentinetis. Centum & amplius ita concionibus emolliti, vt spem non falsam messis præbeant, sed obstat adhuc frigus ab humano metu, & Batauo aquilone afflatum. Curatum vt vrbe pellerentur duo errorum fatores pestilentes. Magicis artibus, & sceleribus infamis mulier, ad supplicium pie tolerandum per nos instructa, vt in admirationem & commiserationem rapuerit spectantes. Sereniſſimi Electoris Colonienſis, & Illustris comitis à Bronckhorst magna, & singularis beneuolentia in nos eluxit. Sed & beneficentiam tum illorum, tum aliorum experti sumus. Sereniſſimus Archi-

dux

Digitized by Google

dux Belgij ducentos coronatos, Sereniſſima idem Imperiales; quinquaginta minus, nobilis Princeps Iuliæ Lotharingica domo tot-onicus huius Eccleſiæ inopiæ noſtræ ſubleuandæ obtulit.

RESIDENTIA ERFVRTENSIS.

ERFVRTI concionibus, catecheſi, alijſque muneribus Societatis vacatum à duobus Sacerdotibus; ad Eccleſiam aggregati vndeuiginti: Peregrè è media Saxonia vir venit plebeius quidem, zelo tamen religionis Catholicæ inter ſuos illuſtris. Is abhinc annis ſexdecim, ex diſcordia ſuorum prædicantium in dubium incidit: contendit proinde Erfurtum, vbi à noſtris inſtructus, & ab hæreſi abſolutus eſt. Plurima fanda, & infanda interim paſſus ab hæreticis, cum hoc anno finem vitæ inſtare putaret, Chriſtum cum Simeone ſumpturus in vlnas animæ ſuæ, redijt, triduoque iucundis, ac ſpiritualibus colloquijs peracto, catholicis vltimum dixit vale, paratus infami funere efferri pro Chriſto, quod euenturũ ſciebat ob fidei Catholicæ profeſſionem. Alius par pietate fortuna, & nobilitate maior Oſtofriſius, cum Societatem ſedem Erfurti habere fama percepiſſet, Collegium eſſe arbitratus, filium vnicum ſtudiorum, & auitæ pietatis hauriendæ cauſſa, ad nos ablegauit anno ſuperiore. Poſtea de ſtatu noſtrarum rerum edoctus, hoc anno filium, noſque inuiſit, & licet triduum ſatis eſſet expediendis negotijs, adeo tamen fuit delecta-

Digitized by Google

tus publico exercitio, quo diu caruerat, & consuetudine nostrorum, vt supra tres hebdomadas subsistiterit, sæpius Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta etiam cũ lacrymis obiuit, filiumque, cui priuatos Magistros constituit, curæ nostræ commissum reliquit. Vsurpata Sacramenta sanitatem etiam corporibus attulerunt. Puella duodennis nostris confiteri assueta, cum lectulo affixa esset, parentibus prædixit, nullo se nisi diuino pharmaco sanandam, quod cum instanter petijsset, simul cum salutis authore corporis sanitatem obtinuit. Adolescens Lutheranus viduæ Catholicæ seruierat, qui concionibus, & consuetudine nostrorum persuasus, ad religionem Catholicam adiecit animum. Is cum postea in infirmitatẽ incidisset, à parentibus reductus est in patriam, iamque, omnium opinione, longa tabe conficiendus existimabatur. Ne igitur tam bonum propositum dimitteret adolescens; noster ementito habitu eo profectus est, & adolescentem licet ægre, è parentis vtriusque conspectu abductum, in rheda, qua vsus fuerat, confitentem audiuit: & illo ipso die cœpit habere melius, breuique restitutus reuertit ad heram, iamque publico sacramentorum vsu se profitetur Catholicum. Etiã ipsi Senatores & consules, Lutherani iuxta ac Caluiniani, humanitatis & beneuolentiæ signa exhibent. Plebs honore nos prosequitur nunc maiore, postquam voluntate R. P. Visitatoris, vestitu in hisce Prouincijs vsitato vti cœpimus.

RESI-

Digitized by Google

RESIDENTIA ALTENENSIS ET BONNENSIS.

FRVCTVS ſpiritualis parce ſatis hoc anno prouenit, iacuit enim fere omnis nauigatio, ob onus nouum vectigalium, his Balticis oris impoſitum. Vnde, & peregrinorum ſumma raritas, quam etiam plurimum auxit peſtilitas acerbior, quæ præſentes hinc abegit, atque in varia loca diſſipauit, qui tamen perſtitere ex illis, experti ſunt operam noſtram in neceſſitate: Infirmis ſiquidem Sacramento Pœnitentiæ vires ſubminiſtratæ ad ſubeundum periculoſum cum morte agonem, & viaticum corporis Domini præbitum è vita migrantibus.

IN Reſidentia Bonnenſi: Euitiorum cœna educti aliquot; ab erroribus abſoluti duo tertius nobilis, quia obſtinabat animum, à Sereniſſimo Principe pietatis amantiſſimo ab Aula dimiſſus eſt.

RESIDENTIA HAGENOENSIS.

HAGENOA vrbs inter decem Imperij tributarias prima in Diœceſi Argentinenſi eſt, condita olim à Friderico primo Imperatore circa annum milleſimum centeſimũ ſexageſimũ quarti quæ etſi arenoſo ſolo ſita eſt, iam inde tamen ſtatim ab initio, & incolarum frequentia, & mercimonijs

Digitized by Google

monijs claruit; & vero etiam religione, quam accendebant istic à Friderico depositæ nobilissimæ reliquiæ, quas inter clauus cum lancea, itemque spineæ coronæ, ac sactæ crucis pars magna, ad quas annuus magno numero concursus. Infecit hanc vrbẽ Schmidlinus, cum circa annũ sexagesimũ sextũ superioris seculi Tubinga euocatus, & demẽtato Senatu, virisq; aliquot primariis, honorifice magno comitatu ad templum Francisca-norum deductus est, quod ab eo tempore insiderunt errorum Magistri; cum tamen multi in vrbe fidei auitæ tenaces perstiterint, quos à nouem decemue annis, nostri è Molshemiensi Collegio crebris excursionibus firmarunt in fide: donec hoc anno adnitentibus, qui in Senatu erant. Catholicis, conniuentibus hæreticis, quo facilius & ipsi in demortui Prædicantis locum substituere possent, quem vellent, quod à Catholicis, qui pæne numero ipsis pares sunt, impediri posse videbant, à R. P. Prouinciali magnis precibus impetrarunt, vt colonia istuc deduceretur, & à duobus Patribus totidemq; coadiutoribus, Residentiæ initium daretur. Excepti sumus summa beneuolentia, & gratulatione Catholicorum, qui certant beneficiis in nos conferendis, & cœpimus quantum licuit munia Societatis obire, concionari festis, Dominicisq; diebus, crebro item in funeribus ad hæreticos auditores, subterfugientes alioquin nos, nostrasque conciones. Expiati plurimi, & facta accessio magna ad numerum communicantium. Actum cum pluribus de errore deserendo, sed ob vanum pudorem, & ministrorum crebras, & aculeatas in nos conciones, expugnari non nisi nouem potuere. Vnus ante

annos

annos complures, pecunia conductus ad Lutheranos transierat, iniectus est homini velut stupor quidam mentis pariter ac corporis, vti immobilis ad horas aliquot staret, eaque profunderet, quorum non meminisset, postea à dæmone hominem obsideri suspicabantur; accersitus noster ab vxore catholica, vbi hominem eo perduxit, vt de reditu ad Ecclesiam cogitaret seriò, rediit quoque pristinus mentis, corporisq; vigor, & posteaquam confessione hæresin & peccata diluit, sanus perstat hactenus. Redacti velut postliminio festi dies duo, Visitationis, & Conceptionis B. Virginis, ipsis etiam Lutheranis, ni multari velint, inposterum seruandi. Sublatum dissidium graue, & periculosum inter duos viros primarios. Data etiam opera, vt lis inter Magistratum, & Dominos Austriaci regiminis, cuius hic sedes est, componeretur, donec authoritate Imperatoria tollatur penitus, qua in re nobis laborandum admodum, cum successus rei catholicæ ea discordia plurimum impediatur. Eluxit in nos beneuolentia Nobilium ex Austriaco Senatu, seu regimine Dominorum, à quibus centum floreni annui, & quantum opus erit lignorum, aliaque nonnulla nobis præstita, & spes facta maiorum beneficiorum. Visus est DEVS initia hæc Residentiæ huius, ornare voluisse pace diu expetita, & tranquillitate Diœcesis Argentinensis, tot hactenus turbis iactatæ, quæ tandem feliciter hoc anno Hagenoę inter Illustrissimum Cardinalem Lotharingum Episcopum Argentinensem, & Brandemburgicum Marchionem constituta, licet non sine iactura pecuniarum, magno tamen animarum, & religionis bono, dum tota Diœcesis

ad

ad veterem Dominũ, & religionem redijt; Cum hac de re ageretur, & ad dies quindecim hic ob eã causam sustisterent Illustres, Reuerendi ac Generosi Domini, crebro ad rem diuinam audiendã ad nos venere, crebro nos mensæ suæ adhibuere, deduxere etiã honorifice per vrbem videntibus, & indignantibus hæreticis. Accessit ad sacram supellectilem præter varia variorum donaria, pars exigua S. Crucis, ex testamento Virginis cuiusdam defunctæ.

MISSIO RITBERGENSIS.

Effecit Illustrium Comitum Ritbergensium conspicua virtus, studiumq; mirificum Religionis catholicæ, hoc tractu amplificandæ, vt ne hoc quidem anno, missionem hanc interrumpendam æstimarint Superiores. Nam satis est animaduersum, profuisse non paucis Sacerdotis nostri præsentiam, & hęreticorum compressos haud modice animos. In gratiam rediere cum Ecclesia catholica viginti, in quibus fuere insignes Nobiles, suntq; ex finitima Nobilitate plures in procinctu, expectantes Patris adeundi opportunitatem, quod exire è ditione hæretica, & obire sacramenta satis tuto nequeant. Est vero pergratũ Illustribus Dominis, suum Ritbergi sacellum, optabili errantiũ transfugio, peregrinorumque pœnitentium receptu, in medio nationis prauæ quaquauersus, celebrari. Erat sub Dynasta Caluiniano Nobilis collegij moderatrix, à teneris imbuta Lutheri opinionibus, quam proximo

mo superiore anno conuenerat Sacerdos noster, perpuleratque ad complectendam fidem, sed differebat profectionem, quod iras Domini, gregaliumq; virginum nobilium hęreticarum offensiones nimium formidabat. Ea vero nunc tandem Patris impulsu, cum Nobili socia longo circuitu, ad euitandas hostium insidias, profecta in arcem cognati Satrapæ, propalam confessionem, communionemque obiit, tanta viri nobilis propinqui, ab hæresi quoque emersi lætitia, vt manantibus lacrymis gratularetur conuersionem, sed vix abierat domo cum fuit res vulgata; significatumque per celeres emissarios, cauerent in reditu periculum, nî ab hostibus fidei vellent intercipi, quare equitibus in defensionem additis reduci illas oportuit. Vt autem reuerterunt, exercita conuersionis exordia graui tempestate fuere. Comes enim Archisatrapam cum superintendente allegauit, minâciterque interrogandam curauit, cuius impulsu catholicam esset complexa fidem? Ac respondit animosè Virgo, conscientiam perpulisse. Tum Legatus, Atqui gemellam religionem ferre hoc loco neutiquam vult Dynasta. Id vero mirum, nouumque mihi est, subiecit illa, cum satis constet Lutheranas Caluinianis mistas fuisse virgines, neque vocabulo vnico ob eam causam increpitas. Hæc igitur vbi non succesſit oppugnatio, interuenit superintendens, quem cum animaduertêre, dixerunt æquum esse, vt quando Legatus Oratorem adduxisset, qui pro ipso disceptaret de religione, liceret sibi quoque peritum suæ fidei Patronum accersere. Id vero pupugit aduersarios, vt succlamarent extemplo; Itanę huc Iesuitam introducere cogitabis? nihil prorsus

prorſus commercij nobis cum Ieſuitis. Et tamen adeo obtuſa protulit arma Prędicans, vt pudefactus luculenta virginum apologia denique obmutuerit. Ex eo creuere animi piis animis, iëruntque Paderbornam, atque in cœtu Nobilium Conuenarum, ritè ſunt ab Epiſcopo confirmatæ, & vt ſuæ felicitatis compotes facerent plures, operam accuratam dedêre. Ad Natalitia quoque ſanctius peragenda, Comitum inuitatu Ritbergam venêre, ac ne vacuæ ad Chriſti paruuli apparerent cunabulum, virginem nobilem magnis laboribus ægre peruictam, abſtractamq; à Lutheranis, ad pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramenta ritu catholico participanda, adduxerunt; iamque habent Nobiles quinque parturientes ſalutis ſpiritum, quas vitæ melioris exemplo, piiſq; ac feruidis illexere cohortationibus, etſi ob fidem ardoremque hunc inuſitatum, conuitia ferre grauia, & ludificationes impiorum cogantur. Femina natu grandis, cum filio ſat prouecto baptizata, & ab hæreſi abſoluta vnà cum filio. Excurrerat huc Illuſtris Baro à Liechtenſtein cum noua nupta Oſtfriſiæ Comitiſſa, qui vt familiæ ſuæ bonum præiret exemplum, Sacerdotis noſtri operam confeſtim popoſcit, ſeque per confeſſionem, communionemq; inſtaurauit, quem imitati deinde ſunt impulſu Patris, frequentes aulici, habuitque aſſeclam Morauum è Baronum ſtirpe, qui omni comitate à Sacerdote deuinctus, Lutheraniſmum ſeriò abdicauit, obitis cum admirabili Dominorum voluptate Sacramentis. Neque generoſam coniugem innutritam erroribus neglexit, vt gauderet magnopere potuiſſe illam permoueri ad inſtructionem à Patre, cum gynæceo percipien-

percipiendam, spemq; non paruulam præciperet, breui futuram ex animo catholicam. Alter item inclytæ familiæ comes Ritbergam, cognatorum visendorum causa adierat, qui etsi apparebat Lutheranus, tamen sacerdotem Societatis miris officiis amanter coluit, eiusque audiit conciones, & præstare doctrinam fidei, quam audisset è suggestu traditam à Patre, Prædicantium suorum ineptiis, ingenue est confessus: curauit etiam libros catholicos afferendos, quos adeo lectitat libenter, bene vt speretur de immutando prorsus heroë, si crebrius reguſtare hospitium Ritbergense pergat. Impeditum quoque, ne ad copulandos coniuges hæretico more conueniretur à catholicis, qui per ignorationem, flagitiosis amuletis se curatum iri male credebant: Semel cum per æstatem subductum subito lac vaccis fuisset in villatica pastione, & pecudum strages fieret, apparerentq; in extis haud leuia incantationis argumenta; rogantibus Dominis, coacto armento, ritè expiauit stabulum noster, ex eoque conualescere animalia, morteſque inhiberi cœperunt. Duas admorderat feminas rabiosus canis, periculumque erat, nî mature prouideretur, ne furerent; quare expetitam ferream clauem, quæ S. Huberti reliquiarum contactu erat sacrata, cum in potum misceri curasset Pater, vtraque fuit seruata. Baptismo aliquot expiati, in quibus Turca fuit è manubiis Hungaricis, qui exploratus bene diu, informatusque de religione, cum sine fine regenerationis mysterium popoſciſſet, salutari est lauacro in præclaro Nobilium, ignobiliumq; conuentu, festo S. Ioannis Euangelistæ expiatus. Illustris Comes, cum ad Paderbornensem oppugnationem

gnationem, de qua fusius in annuis Collegij, se pararet, generali confessione, & sacra communione prius animam, quam armis corpus munire voluit, qua pietate impetrasse videtur, vt inter densam missilium nubem illæsus permanserit.

PROVINCIA BELGICA.

IN Belgica Prouincia Societas omnino frequens; Collegia præcipuis vrbibus vndeuiginti, Socij numerantur supra quingentos sexaginta octo. Louanij quinquaginta vnus. Tornaci simul in Collegio, simul in domo Probationis, centum duo.. Audomari in Collegio quidem nostro, quinque & triginta; in Seminario vero Anglorum, quod in eadem vrbe iuxta Collegium est, vndecim. Duaci, tres & quadraginta. Leodij vno minus. Traiecti, vt Ipris, vndeuiginti. Antuerpiæ, triginta quatuor. Brugis duo & viginti. Totidem Cortraci, & Gandaui. Vallencenis vno plus. Insulis duo & triginta. Montibus sex & viginti. Sancti Winoci Bergis quatuordecim. Atrebati duodeuiginti; vno minus Cameraci. Luxemburgi, sexdecim Bruxellæ, si Sacerdotes numeres, qui in castris militum salutem curant, duo & quadraginta. In Hollandia tres. Superis, quod speramus, additi duodecim; ad Nouitios accessere duo & quadraginta.

COLLE-

Digitized by Google

COLLEGIVM LOVANIENSE.

SODALITIA B. Mariæ numero sunt aucta & pietate. Clarissimus vir Iustus Lipsius quantum eius frequentatione profecerit, libris ipse editis liberè testatur. Hallas profectus nuper (sedes hîc in Belgio religione Deiparæ clara est) calamum argento cusum aræ suspendit, carmine signata res, ob libros editos virgini Matri votum, cui scilicet virgini, secundum Deum, studia, vires, ingenium, omnia refert accepta: itaque & libros ei suos dicat, & animo certo decretum est, nihil vt scribere libentius in posterum velit, quàm quo diuam suam ornare possit. Sanè tunc illam ipsam celebrauit Hallensem virginem; nunc etiam altera propè à Louanio, (aspricollinam indigitant) ac tertia Louanij in ipsa ciuitate nota, lucem vident. Commemorat ipsam varijs locis & prædicat, magno sibi ad omnem vitæ partem, atque ad hæc ipsa quæ scribit, adiumento fuisse. Certe quidem & ipse ornamento est, dum nullam officij partem prætermittit; cui abesse vel semel à congregatione Sodalium magna religio, etiamsi è medijs quandoque mensis surgendum sit. Pari solicitudine ad Sacramenta diuina, ad preces communes, ad reliquos Sodalium cœtus accedit, vt non scriptis modo & eruditione, sed etiam factis (quæ potior laus est) litteratis viris, doctisque omnibus ad cultum virginis facem præluceat.

EST & alterum viri cuiusdam nobilis exemplum

Digitized by Google

plum non vulgare; is ad annum vſque ſexageſimum ætatis, celibem caſtamque vitam exegerat, rarus virginis cultor, qui vrgente morbo ad extrema cùm ventum eſſet, Benè, inquit, habet Sodales, quæ duo ſemper mihi fuere maxima vitæ præſidia, nunc ſentio quàm vera ſint, quàm ſolida morienti ſolatia: vnum quod Sodalis (ſcio quàm indignus) Dominam tamen ac patronam meam ſupplex coluerim: Alterum, quod pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta, diebus dominicis omnibus & ſanctorum feſtis frequentarim. Denique fiduciæ plenus, ita diem ſuum obiit, vt multos ad æmulationem virtutis, & crebram dominicæ menſæ communionem excitarit.

FELIX iuxta cuiuſdã adoleſcentis exitus, licet vita longè diſſimilis, fuit: à congregatione Parthenia ad ſocios, moreſq; improbos cum defeciſſet, præceps abire decreuerat in omne nefas; noluit infelicem perire Deus. Nam quem nihil preces, nihil monita flectere quiuerant, vltio cœleſtis iræ ſæuiens flexit ac fregit. Subito correptus morbo, velut à numine monitus, ſenſit ſibi moriendum eſſe: tum vero gemere, tum dolere. Quid multa? negauit ſe vel confiteri peccata, vel bene beateq; mori poſſe, niſi à toto ſodalitio petitâ ſummiſſe veniâ, nomen ſuum tabulæ redderetur, vnde paulo ante fuerat expunctum. Factum id quidem, ſed propè ſerius ad confeſſionem peccatorum ventum eſt. Febris calore ſuo cerebrum occupauerat, rationemque euerterat. Deſperantibus ergo medicis, ſodales ad vota preceſque confugere; quibus lux tanta menti impetrata eſt, vt æger toto vitæ curſu, nunquam animo perſpicatiore ad ſui, ſcelerumq; ſuorum notitiam fuiſſe

Digitized by Google

fuisse videretur. Diarium illi erat, in quod ex more, diei cuiusque acta, fœda etiam & improba referre consueuerat, magnum iam confessuro auxilium. Quoties vero, id cum promptum fuit, ingemuit alto pectore? quoties fleuit? à quo veniam nō petiuit? Maximè tamen hoc inter alia angebat animum, quod à Sodalitate B. Virginis, itemque ab exercitationibus B.P.N. Ignatij, quibus domi nostræ fuerat eruditus, ad vomitum rediisset, in deteriora prolapsus; denique ritè confessus nihil repetebat frequentius, quam vnam hanc ingratitudinem, omnium sibi malorum causam extitisse. Variis insuper grauibusque agitatus diaboli tentationibs, repetitæ identidem confessionis subsidio, tranquillitatem victor inuenit, tandemque mente semper ad extremum serena, inter lachrymas precesq; suorum placidè obiit. Ex ijs, qui apud nos spiritualibus exculti sunt B. Ignatij exercitijs, complures ad alias religiosorum familias, ad nostram accessere sedecim. Guardianus Franciscanorum vir insigni prudentia & pietate, cognito horum exercitiorum fructu, neminem se, deinceps in familiam suam admissurum dixit, qui non prius, (quoad eius fieri poterit) B.P. Ignatij diuinis meditationibus fuerit instructus. Rarius enim, aliis, inquit, & ægrè video rem ex voto succedere; hos autem & faciliores experior in omnem virtutem, & animo constantiores. De excursione in Asperum collem, suadent miracula inibi, crebro Virginis ope patrari solita, vt paulo altius res tota repetatur. Locus est horrenti & inuio nemore, quinque à Louanio miliaribus dissitus; latrociniis olim infamis, nunc religione Deiparę, & miraculis nobilis: ab asperitudine ter-

Digitized by Google

ræ & edito colle, Aſpricollinæ Virgini nomen inditum. Statuam poſuere veteres in quercu annoſa, notum vicinis circumquaq; ſolatium, quoties aut mala febris, aut alia quæcunque lues ægros habebat, & ſanitatem plurimi referebant. Factum iniuria temporum, ſub annum circiter milleſimum quingenteſimum octogeſimum, cum hæretici prędones ſcelerum ſuorum ſacrarium eo in loco poſuiſſent, furto an incendio non ſatis conſtat, certe ſtatua perdita ſit. Nihilominus frequentabatur locus ab accolis infirmis, & eodem quo prius beneficio, hauſtis è puteo vicino aquis, inuocato Mariæ nomine ſalutem bibebant. Mouit ea res virum quendam pium, Sichemenſem ciuem, qui & ipſe ſanitatem fuerat miraculo conſecutus, aliam priſtino loco ſtatuam, à ſe emptam, vt reponeret: fecit vero & lubens, vel vt gratus eſſe videretur, ope recepta, beneficio; vel vt religioni hominum, pietatiq; in Dei matrem ſeruiret. Paulo poſt (nondum enim biennium eſt) Sichemis (oppidum eſt medio tantum milliario à colle remotum) præſidium Hibernicorum militum; in hibernis collocatum eſt, aderat è caſtrenſibus noſtris P. Gualterus Talbotus, is, quod ſæpè ipſe inſolito quodam animi ſenſu (vt referebat) preces recitans ibi, magis quam alibi afficeretur, milites eò ſuos miſit, & ægrotos ſæpè, quos manifeſtè videbat incolumitatem referre. Miratus loci ſanctitatem, monuit accolas Virgini Matri electum eſſe collem iſtum, notarent porro, locum totius Belgij celeberrimum fore; Oraculi loco vocem accepere ruſtici; & verè fuit; editis ſcilicet infinitis iam propè miraculis, ijſq; certiſſimis, quę multa ipſi Louanij oculis noſtris adſpeximus.

Hæc

Hæc & alia cum essent edita vernaculè, clarissimus vir iustus Lipsius, quo fidem suam pietatemque Virgini probaret, multum licet obgannientibus hæreticis, latina fecit. Vnum tantum & alterum hic ascribam, quod ad nos pertinere videtur. E Patribus nostris vnus ardentissima febri æstuans, cum iudicio medicorum non procul abesset periculo, aqua tantum epota, in qua lignum ex quercu B. Virginis (quercus ea est in qua primum imago stetit, quæ nunc in sacello reposita est) erat maceratum, subito ipsis emirantibus medicis convaluit. Alterum, idque fere omnium celeberrimum. Adolescens erat natione Heluetius, ciuitate Lucernensi, annos natus circiter viginti duos, Bruxellæ pauper, & omnibus notus, cæsar ex vtero matris, monstro similis, prodierat in lucem; vix teretis atque exilis admodum longuriolæ, seu iunci crassitudine pedes, & illi media carne, velut cartilagine quadam, pectori increuerant alligati, sic vt sub mento essent proximè genua, pedes non vltra hates porrecti, ita puluinari substrato, supposita velut largiore patina, per vrbem Bruxellensem reptabat. Bruxella vectus in aspectum collem, cum vespere, solito officio litaniæ Virginis & laudes canerentur, mirum dictu, solutis vinculis in nodis omnibus, nudus, vt erat, sine femoralibus, quæ nunquam vestiuerat, rectus stetit & potuit ambulare; cum vix tamen pedes exiles, tibiæ, vt dixi, iunceæ ferre hominem possent: quibus paulatim firmatis, solidatisque nihilo iam valet, vaditque minus, quàm si claudus contractusq; nunquam fuisset. Hæretici miraculum spectauere præsentes, & cum multi alij, tum ipse adolescens ad meliora conuersus est: qui se

Digitized by Google

vitamque suam B. Mariæ Virgini consecrans, Bruxellæ scholas nostras iam frequentat, altaris sacrosancta mysteria init octauo quoq; die: ac quo melius Virgini Dominæ suæ clementissimæ seruire possit, habere se dicit aliquam in votis religionem. Ferebant obtrectatores maleuoli initio Iesuitas non adire locum, miracula quæ fierent non probare, ergo non adeo properè istò esse currendum. Quare vno vacationis die, Louanio simul viginti quinque Societatis homines profecti, re ipsa docuerunt, quis sensus noster, quæ pietas, quæ religio in Dei Matrem esset. Mirum quam exinde fama increbrescente, collis ille cœptus sit frequentari. tota nobilitas aulæ Bruxellensis vario tempore, pro opportunitate quisque sua, imo & Principes ipsi Serenissimi, eodem profecti sunt. Quotidianum est totum collem, quam latè patet area, vbi nunc excisa sylua, rhedis nobilium, curribus, & equis peregrinorum, coopertum videre. Ex Anglia ipsa, Germania, Francia, Zelandia, Hollandia, Frisia, ferè quotidie sunt peregrini, & hæretici quidem, qui testes miraculorum oculati, non conuertuntur modò, sed alios complures ad fidem adducunt. Vno die, vt numerus aliquo modo constet peregrinorum (dies erat B. Virginis in æstate visitationi sacer) dicuntur supra viginti hominum millia eo in loco numerata fuisse. Duo sunt tantum hactenus Sacerdotes, nobis addictissimi, & voto nostri. Die, qui B. Virgini assumptæ solennis est, totaq; octaua, qua frequentissimus semper erat concursus, duo è nostris fuêre, promulgatis iussu Archiepiscopi Mechlinienſis indulgentiis, quas Pontifex Sanctissimus missionibus nostris concessit. Mirum quæ fiducia

sit

Digitized by Google

sit hominibus, magis ibi quam alibi peccata quę-que grauissima confitendi. Hæresim eiurare, castitatem vouere, magnas multasque opes donariis paratis Virgini dicare, prodere diu nefario silentio pressa peccata, compungi intus animo, quotidiana ibi & vulgaria sunt. Hæreticus hostis, multa iam ferente fama de loci huius celebritate, inaudierat: collocatis tot amplissimis donis nihil putabat eius opulentiæ & diuitiis comparari posse: quod sciret nihil obstare conatibus suis posse, nostro milite etiam tunc in Flandria occupato, decem equitum turmis vndique è præsidiis, vt fieri poterat, euocatis, armatus venit. Aderant cum Reuerendo Patre Prouinciale tres è nostris, cetera tam nobilium, quam ciuium bonorum vndique, sexus vtriusque plurima multitudo: sacellum, pretiosissimis quibusque thesauris expositis, ad festum paratum: nullum in vicinia præsidium: quis non merito timeret omnia, plurimis captiuis ductis ex ditioribus, hosti cessura? Beata Virgo malum auertit. Media nocte, qui pridie dubius fuerat, certus venit nuntius, hostem omnino proximum citatissimis equis, vt auferat omnia, aduolare. Reuerendus Pater Prouincialis, quod rogatus esset vt sacrum seruaret loci pignus, statuam inquam B. Virginis, magis omnino pro illa, quam pro se sollicitus, primus subduxit sese in vicinam quandam nobilis amici domum, & socio Sacerdoti, si qua posset, imaginem ferendam seruandamque commendauit. Alij nostri cum reliqua multitudine hæsêre tantisper, donec propius adesse periculum, & certius videretur: quod cum in proximo fuit, vnam quę reliqua erat Hierothecam, cum sacris hostiis Sacerdos noster festinus

ſtinus exportauit. Breui poſt cum decem turmis armati Hæretici & auidi prædæ, ſed omnibus prius elatis, in rem vacuam venerunt: Templum quidem, quod impoſito ligneo tecto recens erat exſtructum, iniecto ſæpius igni tentarunt adurere, ſed nullo, quod mirum, ſucceſſu: tantum altaris tabulas diſſecuere gladijs, reliquum vix æſtimari pauculis florenis potuit, quod abſtulere. Ex iis velociores aliquot equites inſecuti pios fugientes, pauculos tantum, & pauperculos duxere. Pater qui Hierothecam ferebat, quod ſine Dei Virginiſque certo præſidio fieri non potuit, etiam cum ex veſte Societatis noſci poſſet, captis à proximo latere ſociis, poſt ſepem aliquam voto nuncupato ſe proiecit, ſicque cum ſacro Chriſti corpore illeſus euaſit; Reuerendus Pater Prouincialis cum ſociis duobus, domum nobilis intutam ratus, in ſiluæ latebras ſe immiſit, perque inuia, deuia domum reuertit. Ita quatuor è noſtris certo Dei Virginiſque Matris auxilio ſeruati. Ceterum ad ſuos reuerſi hoſtes non impunè tulere iniuriam. Nam in ipſo itinere, ex præcipuis ductoribus aliquot ſubita morte exſtincti ſunt; non diu poſtea clade alibi accepta, turmæ iſtæ præ reliquis, multis interfectis, fuſæ fugatæque dicuntur. Bredanus item gubernator hæreticus, quod nihil de præda ſibi aduehenda dubitaret, per ſummum nefas, B. Virginis ſtatuam venalem Catholicis ibi agentibus propoſuerat: ſed hoc illi pretium à B. Virgine perſolutum, quod male multato milite, ne tantum quidem recepiſſe ſe dixerit, quantum equorum ſoleis reparandis opus eſſet.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM TORNACENSE.

GRASSATA hoc anno pestis, aliquos ex omnibus aliorum Religiosorum familiis abstulit: è nostris, licet ob ægrorum visitationes periculo vicinioribus (quæ Dei est gratia) neminem. Pro antidoto fuere, indictæ nostris ad malum auertendum preces. In templo nostro, decembri mense ad fastigium perducto, prima dominica aduentus, diuina officia celebrari cœpta.

COLLEGIVM AVDOMARENSE ET SEMINARIVM ANGLORVM.

ADMODVM hic floret catechesis & numero, & fructu, fuerunt senes octogenarij, qui propositis inibi præmiis inuitati, interrogando, respondendo, palmam retulerint victores.

SEMINARIVM Anglorum Audomari, iuxta collegium est. Iuuentutis numerus solito est auctior, &, si famulos annumeres, centenario maior. Missi Romam duo, Vallisoletum octodecim; ingenio pollent omnes, & recta indole, vt idoneos liceat operarios Anglicanæ vineæ sperare. Luxit domus obitum Rodulphi Emersoni fratris nostri, qui post viginti annorum carcerem, ex Anglia tandem in exilium pulsus, mortis hic locum inuenit; decem tantum vel vndecim mensibus inter nos fuit, & ita æger, vt nec ingredi, nec

Digitized by Google

ad vllum prorsus officium corporis sese mouere posset: cuius magna interim patientia, sed præcipua in Dei Matrem pietas eluxit, cui horarias preces quotidie persoluebat. Heroicâ item obedientiâ vitam, libertatemque infrà superioris imperium æstimabat. Hic enim ille est, qui B. Martyrem Edmundum Campianum in Angliam dnxit, periculi perinde omnis, atque vitæ viæque socius, quem martyr ob staturam corporis breuiorem, in epistolâ quadam suâ homulum suum appellauit. Præcipuum ei solatium tot ærumnis, laboribusque pro Anglia sua exhaustis, hoc extremum fuit: quod idem ille, qui magno Anglorum Apostolo Gregorio festus est dies, dies illi vitæ supremus esset.

OBIIT & alius adolescens Thomas Pen, ingenuus & nobilis, in hæresi quidem educatus, sed animam sortitus bonam, & facili negotio Catholicæ militiæ adscriptus: qui Bononiæ in Gallia, cum illic stipendia mereret, Anglo cuidam opifici, viro Catholico obuiam factus, qui ad eadem nostram sacrum initurus conuiuium paschalibus feriis adit, eum officij causa comitatus, concionantem nostrum audiuit: & semel audiuisse satis fuit. Continuo captus Euangelicæ veritatis retibus manus dedit. Mirum exinde quam succensus illi animus fuerit, vt militia relicta & sæculo, studiis se potioribus daret. Cui tandem, ipso Deiparæ sacro die, ex animi sententia, cecidit, vt inter studiosos Anglos reciperetur. Quo tum feruore sericas vestes, annulos gemmatos, fuluam comam, auratum ensem cum toto veteri homine facessere iussit, vt nouum lætus ac beatus induere! nullus erat osculis vesti impressis, piisque lachrymis

chrymis finis. Atque vt initia, ſic progreſſus in ſtudiis & virtutibus erant: & exitus ſane haud impar exſpectandus erat, ni phthiſis conſumptioniſque metu remittendus in patriam fuiſſet. In qua pericula quidem non defuerunt: ſed vicit omnia conſtans animus. Cum vero ſpem ſalutis nullam, nec in aëre quidem natiuo, medici facerent, tum ne viſâ quidem hereticâ matre, vt ne in Anglia inter fidei hoſtes moreretur, ad Patres ſuos amantiſſimos reuerſus eſt, tam felici per mare & terram curſu, vt qui die in Anglia ientaculum ſumpſerat, eodem in Belgio hîc Audomaropoli cænam, in ſeminario noſtro caperet: ſed tam æger; vt vix paucis diebus interiectis, lectulo compoſitus animam agere cœperit. Votum indicauerat P. Rectori, quo vehementer ardebat in Societatem recipi, & in ea mori: cui voro fauebant quidem omnes maxime, ſed longius tum agente R.P. Prouinciale, dum ſcribitur ad R.P. Viſitatorem, qui propius aberat, & reſcribitur, periculum pæne fuit in mora: angi tum ille miſerè, & precibus importunis agere, ne literæ exſpectarentur. Sed P. Rector neſcio quid præſagiens animo boni, imo verò, inquit, fili exſpectabimus; ſi ſocietatem cogitas, quæ prima hominum ſocietatis nota eſt, ab obedientia incipe. Mando tibi quantum poſſum, vt exſpectes, nec antequam reſponſum tibi fuerit à R.P. Viſitatore, ex hac vita diſcedas. Paret enimuero iuuenis, & lætus inpoſterum tanquam voti ſecurus, certuſque agit: nec vana ſecuritas, nec obedientiæ inanis fructus fuit. Nam dum ritè ſacramentis omnibus, quæ benè moriturum comitantur, adhibitis, velut flammula ſupererrans anima trepidat

pidat, ecce tibi noua lætaque res, nunciatur R. P. Visitatorem in vrbem venisse, ad eum curritur, admittitur in societatem adolescens, vota distinctè nuncupat: extendit, vt potest, brachia; socios omnes amplectitur: nec multò post magno suo gaudio vita defungitur. Funus ab vtroque collegio honestatum, in templo nostro depositum est. Iungatur huic alterius item militis Angli, genere pariter & animi magnitudine nobilis, conuersio. Is impetum hostium suis omnibus vel interfectis, vel in fugam versis, solus cum sustineret, Ostendæ à nostris captus fuerat; cuius miratus virtutem peritiamque bellicam Marchio Spinola, primus Archiducis Alberti hoc in bello dux, serio in castris laborarat, vt errore deposito, Catholicam potius militiam sequeretur. Nihil admodum quidem tunc effectum, sed profuit hominem ad nos mitti. Spatio namque dato, cum multa per animi quietem, quę ipse sibi olim ex sacris literis collegerat, proposuisset; paucorum dierum velitatione ita demum victus est, vt omnino concesserit veritati. Catholicus factus, magno animi sensu confessionem omnium, à prima infantia commissorum repetijt, & sacrosancta Eucharistiæ mysteria piè participauit. Denique ita conuersus, bello relicto in Angliam rediit, vnde non ita pridem multa se pro fide Catholica pati, eaque lubentissimè, ad nos perscripsit. Sæuit etiamnum in Anglia persecutio, atque in studia nostra, scholasque, partim leges veteres confirmatæ, partim nouæ multæ sancitæ: sed nihil omnes diaboli machinę aduersus bene munitam pietatem possunt. Tanto desiderium ardentius Anglis, ad literarum virtutisque velut mercatum, vt

magna

Digitized by Google

magna multitudine ſuos huc certatim mittant. Vno die nuper & importune ſatis, quod imparati eſſemus, duodecim ſuperuenêre, omnes honeſto loco nati. Alij crebris contendunt literis, & nobiliſſimi quique primi, locum vt ſperare promiſſum poſſint: neque peſtis timetur, neque principium curantur minæ, ſed quaſi vitæ, periculorum, fortunarumque omnium obliti, ita pro vna Dei gloria, fideique inſtauratione contendunt. Adeo verum eſt virtutem, & palmam, quo plus præmantur, magis in alta niti. Ceterum omnino magna apud ſummos viros de Seminario exiſtimatio: quorum fere nemo vrbem prætergreditur, qui non ædes noſtras humaniſsime inuiſat. Caſtellæ Comeſtabilis cum nuper templum adiiſſet, mirum quam vocum fidiumque concentu, itemque verſibus tam græcis, quam latinis fuerit recreatus. Viceadmirallius Angliæ, cum duceret re, duceretque pacis fœderandæ cauſa Comeſtabilem, eouſque progreſſus humanitate eſt, vt cum noſtris familiariter pranſus, ſumpta in manus patera (qui mos eſt Patriæ) omnibus ſalutem Regis ſui commendarit. Super menſam edito dramate, nihilo minus eo, quam epulis eſt oblectatus. Placuit & linguæ græcæ prompta inter iuuenes exercitatio: ante omnia tamen quod ea in ætate, tantoque in numero, tam continuum animaduerteret ordinem, tantumque ſilentium; denique ſinceri amoris multis editis argumentis ita diſceſſit, vt ſanctè affirmaret, omnia quæ viderat ſe Regi narraturum.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM DVACENSE, CAMERACENSE, INSVLENSE.

DVACI nihil admodum est noui, quod non alibi notatum. Insolita tamen iuuentutis frequentia. Centum septuaginta laurea magisterij donati: nunquam ante vel ab ipsa vniuersitate condita plures. Quæ nuper inter ciues erecta Sodalitas, viget eximiè & exemplo profuit. Longe solito frequentiores (duo quandoq; hominũ millia) ad epulum cæleste conueniunt. Fecit liberalitas fratrum nostrorum quatuor, dum certa Superiorum voluntate, quæ in bonis habebant vtiliter erogant, res domestica vt aucta sit octingentis annuè florenis.

CAMERACI, Quæ temporum iniuria, multis annis intermissæ fuerant lectiones, & scholæ, hoc primum anno restitutæ sunt. Magna Illustrissimi Domini Archiepiscopi, in nostris alendis beneficientia; Ordines tamen patriæ ad scholas, domicilia, supellectilem collegio necessariam conferunt. Felici studiorum initio, datus in scenam S. Ioannes Damascenus, magna omnium applausu, atque approbatione acceptus est. Conciones habitæ, catechismus explicatus, vtrobique respondit fructus: crescente in dies pœnitentium numero, confessariorum numerus augendus fuit. Præsidiarius subinde miles adiutus; quinque ab hæresis errore Germani, in viam veritatis reducti sunt. Insulis nihil præter solita Societatis officia, peculiare hoc anno ab aliis diuersum occurrit.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM LEODIENSE, TRAIECTENSE, LVXEMBVRGENSE.

LEODII frater noster Ioannes Herbinus, postquam Domino solidos quadraginta annos in Societatis obsequio domestico seruiuisset, meritis ætateque grauis, è viuis excessit. Quæ in vrbe gesta, fere cum aliis annis sunt communia: quæ foris autem, præsertim in duobus oppidis Leodinæ diœcesis, Masæca & Tungris, nonnihil habent, cum fructu, nouitatis. Nam Masecæ quidem præter concionem & catechesim, accessit lectio de quæstionibus conscientiæ, ad quam Canonici, Religiosi, alijque Ecclesiæ ministri, concurrunt. Ita expulsa est nonnullorum simul cum inertia vitiorum materie, ignoratio: & sacramenta ritè, & maiori cum auctoritate & religione, quam antehac, vsurpari cœpta. Pastor nec verbo, nec exemplo gregi vtilis, ad hoc saltem à nostris inductus est, vt collegam sibi adsciscceret. Is porro consuetudine nostrorum vsus, non sibi modo, sed aliis quoque intantum profecit, vt cum vix pauci antea, in præcipuis festis etiam Paschalibus, ad Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramenta accederent, iam postremo Paschate, tribus è nostris vna cum Pastore occupatis, dies audiendæ multitudini satis non esset; immo vix ad cibum necessarium dato spatio, in horam vsque tertiam post mediam noctem peruigilio laborandum fuerit. Hæc Masecæ. Tungris curatum vt die Sanctissimi Sacramenti diu intermissa solem-

Digitized by Google

solemnitas instauraretur, iretque more *maiorum* cum Christi sacrosancto corpore per vrbem supplicatio; Celebritas noua plebem permouit, conciuitque insolitam multitudinem, cui instruendæ conciones, per septem ferias proximas, habitæ latinæ iuxta & vernaculæ, haud parum commodarunt. Mulier anteactæ vitæ pertæsa, quod videret inueterata mala, difficile sanari, prope ad desperationem accesserat; ad hanc, dum in templo Beatissimæ Virginis, loco subobscuro semotoque plus satis dolori indulget, fortè concionatoris nostri vox vna allapsa, iacentem erexit, ac melius imposterum, sperare docuit. Quare confestim à concione (adeo efficax est verbum Dei opportunè auditum) totius ante actæ vitæ maculas confessione detersit.

TRAIECTI, miseris licet temporibus, tamen frequentes fuerunt scholæ; discipuli omnino sexcenti numerati. Plerique in superioribus classibus, qui vel ingenio pollent, vel excellunt diligentia, religionem cogitant. Peregrini ad S. Seruatium duplo plures hoc anno, quam superiore venerunt; omnes à nostris, vt rite sacra perciperent, adiuti. Magnus hic mendicorum ex agris vicinis numerus; item eorum, qui mechanici sartibus dant operam; Quare ne vagi incertique, sacris potissimum diebus, per vrbem cursitent: Senatus, ex consilio nostrorum, scholas instituit, vbi honestis exercitationibus legere literas discant, & scribere. Sed quæ ad pietatem valet, eam ludimagistro præcipue cura imposita: ante meridiem simul omnes ad rem diuinam audiendam, à meridie ad lectionem catechisticam ducit. Hoc institutum & ciuibus probatur, & prodest pauperibus

Digitized by Google

ribus: inter quos vt diligentior quisque, modestiorque videtur, ita sentit optimum quemque in se liberaliorem.

LVXEMBVRGI, qui præcipuus noster erat cum magno animorum lucro concionator, morte subito interueniente, concionibus simul & vita defunctus est. Rara in homine vis eloquentiæ erat, sed animarum zelus, quo feruebat, longe maior. In scholis, contagionis metu, minor aliquanto numerus, trecenti tantũ sunt adolescentuli, sed ingenui & ingenioſi: quibus abcedente lue, & nouis excitatis classibus, magna expectatur vndiquaque accessio. Festo assumptionis proximo inchoata Deiparæ Sodalitas: oratio latina ab vno è nostris habita: conuenere quamplurimi viri graues, qui statim initio nomina sua dedere futuræ Sodalitati. Magna sacello nostro, & rara munera à duobus Abbatibus data: reliquiæ scilicet Sanctorum, S. Willebrordi & S. Barbaræ, ab Epternensi Abbate; S. Simonis autem Apostoli, & spongiæ, qua Christo patienti acetum porrectum, à Munsterienſi.

COLLEGIVM ANTVERPIENSE.

ANTVERPIÆ, quo vicinior est rebellibus ager, messis eo lætior & vberior fuit. Quinque minimum & triginta ab hæresis peſto sanati; plures longè à corruptis moribus & libidine, ad honestiorem vitam reuocati sunt. Annis quinque, impura consuetudine cum adolescente vsa puella, quod matrimonij spem videret nullam,

Digitized by Google

nullam, simul salute desperata orco se deuouerat, & laqueum sibi misera parabat, melius auctore nostro sacerdote consilium fuit: voto concepto ad B. Virginem Aspricollinam iter vertit: salutem ab ea certam, & quam non sperabat ab adolescente, matrimonij stabilem fidem impetrauit. Mulier coniugata, quod opinaretur merito se contemptam, despicatamque, diabolo sæpe per visum impellente, eo denique venerat, vt in aquis ærumnas omnes, simul cum vita sepeliendas putaret: adeoque iam furens in puteum abiecerat sese, & vndis altissimis, iugulo vt erat *læsò* cruenta, propè iam mergebatur; adfuit *extremis* periculis Deus, extrahi potuit vix semiuiua, continuo adiutà à nostris, pessimi mutatione consilij, exin, cum per valetudinem potuit, exhomologesi facta, Deo, marito, sibi conciliata est. Quæ sacerdotem, mendaciis sacrilegis diu in confessione luserat, furore atque infamia pœnas dedit. Dicebat identidem videre sese Tartarum; vastis virgentem faucibus, immanique hiatu, quem si maxime vellet, nec ipsa morte quidem posset vnquam effugere: propinquis suis, ob nota quædam sibi flagitia, mortem æternaque incendia denunciabat: actum cum illa: spes proposita veniæ, arripuit, ad se rediit, rite pœnitentiæ sacramentis expiata, mutauit omnia: quæque prius oderat, Eucharistiæ, confessionisque medicamina: nunc tenerè amat, & cum suauissimo animi sensu frequentat. Adolescès è scholis nostris hæretici filius, sed ipse Catholicus, adiecto ad religionem animo, nullis precibus minisue retineri, aut deterreri potuit, quin nudus nudum Christum, spreta, quæ eum alioqui manebat, ampliſsima hereditate sequeretur.

Digitized by Google

tur. Inuicta æque virginis pro castitate constantia. Christo se deuouerat ætate prima, parentes ad alias nuprias vrgebant; vbi præmiis metuque proposito, verberibus quandoque additis, ægrè vident rem ex voto procedere; maioribus accensi furiis, carcerem, nisi pariat, mortemque minantur: sed hæc minas contempsit, parentes superauit, Christo nupsit. Æris alieni restitutio legitimis dominis facta est: trecentos vnus aureos: alij duo, florenos reddidere circiter octingentos.

PACE composita inter primarios viros, quæ exasperata erant vtrimque iurgiis, & contentionibus odia, deposita sunt. Concio supra fidem frequens. Apostatæ ad suos remissi duo.

COLLEGIVM BRVGENSE.

EX viginti qui Brugis de societate versabantur, duos mors eripuit. Alter oratoriæ facultatis professor, medio studiorum vitæque cursu, lento intercutis malo contabuit: Coadiutor alter morbo, ætateque fessus, cum triginta ab inita Societate, domesticis in ministeriis annos laborando compleuisset, hoc vltimum addidit difficillimo familiæ consecrandæ casu, Patrem vt contagione in Castris Oostendanis mortuum sepeliret. Gratum Deo visum obsequium: paucis post diebus ipse sociorum inter manus agens animam, cum cœlo maturus esset, & mori non recusaret, simul impensæ charitatis, simul obedientiæ promptissimæ præmium, vt speramus accepit. Hæretici duo ad fidem Catholicam conuersi.

Digitized by Google

Brugis pro felici exitu belli Ooſtendani, ob vicinitatem præcipuè ſupplicatum eſt. Omni feria quinta, poſt concionem tempori accommodam, litanias cantari, preces, compoſita ad pietatem muſica, produci ordinarium fuit. Si quando extraordinaria poſtulare neceſſitas videretur, in quinque ſexue dies, imo nuper capta ab Hæreticis Sluſa, cum exitum imminere vltimum patriæ, rebuſq; Catholicis videretur, in quindecim perpetuos dies noctesq; oratio producta eſt. Centurio nobilis amicus noſter, capitis damnatus, cum traheretur ad ſupplicium, fidem collegij noſtri, & veterem cum Societate amicitiam conteſtans, implorauit. Valuit apud Principem P. Rectoris interceſſio; cognita melius cauſa, quanquam commemoratis offenſionibus parebat reus, conceſſit tamen precibus, vt vel ab ipſo theatro liber abſolutuſque dimitteretur. Secuta eſt grata populi admurmuratio. Quippe intellexit Societatem amicis ſuis extremo periculo non deeſſe.

COLLEGIVM GANDENSE, ET CORTRACENSE.

GANDAVVM, ciuitas iam olim infecta hæreſis contagio, præcipuè contra hæreticos induſtriam noſtram exercuit. Valuere plus ſolito conciones: plures hoc anno, quam alias, ad ſanam fidem reuocati ſunt. Anabaptiſtæ baptiſmate fuere abluti ſeptem, ceteri multo plures de Caluini, aut de Lutheri ſecta. Scholæ pietatis ſtudio floruere & litteris. Decem ſæculi ſpretis illecebris

Digitized by Google

religionis institutum amplexi sunt. Æque inter catholicos ciues laboratum est. E sordido libidinum cœno, ad mores castos, honestamque vitam erecti plures. Adde B. P. N. Ignatij reliquias, morbis religiosè adhibitas, extremo mortis discrimine, medicis desperantibus, octo hominibus saluti fuisse.

CORTRACI perinde vt Gandaui strenue pro munere nostro, pro Dei gloria laboratum est. Populi beneuolentia, magistratus liberalitas crescit indies; si vtilitatem operæ nostræ liceat ex eo æstimare, nunquam antea copiosior fuit: solito maior est in concionibus, in vsu Sacramentorum frequentia. Oculis notari potest pietas in Deum, caritas in proximum quemque, quantum incrementis aucta quotidianis profecerit. Puella quædam vitium aliquando passa, quod aperire peccati turpitudinem Sacerdoti non auderet, vastante mentem perturbatam conscientia, quinque perpetuis annis meditata secum fuerat, laqueo melius, an flumine, an ferro vitam perderet; tandem deliberata per summum nefas morte, propius tum periculo ad aquas accessit, & ne qua religio animum à concepto facinore reuocaret, auctore diabolo, rosarium B. Mariæ Virginis, ceream cœlestis agni imaginem, sacra omnia à se longè in fluctus abiecit, certa iam præcipitem se dare & mori: quando ecce specie quadam, supra humanam venerabilis, velut lapsa de cælo matrona apparet: quid agat misera, cur se perditum eat, requirit: denique persuadet, vt reduci se ad amici proximi domum patiatur, & dutit ipsa; sed media de via cũ in tuto essent omnia, vt visa repente fuerat, ita euanescit subito ex ocu-

Digitized by Google

is, & medius per auras abit. Adeo illi profuit, etiã in tantis sceleribus, nunquam Beatissimę virginis Mariæ, cui addictissima erat, cultum honoremq; neglexisse. Viro cuidam, qui sobrius vix vllum diem vixerat, Virginis idem præsidium saluti fuit: solitus ille fuerat nullo intermisso die, quotidie ad ædiculam B. Mariæ concedere, salutem illi suam, & ne subito moreretur, commendare: aliquanto igitur ante mortem, cum debiliorem eum fecisset vsu longo perpetua ventris ingluuies, acrioribus stimulis rationis Deo reddendæ admoneri se sensit. Oderat ante nostros, *sed vbi* saniora consilia meditari cœpit, primos euocauit: accessimus, profuimus: audita confessione, vltro ipse, tactus videlicet insigni quodam penitoque cordis dolore, non prius mori se posse dixit, quam publice pro concione, à ciuibus, quos toties improba vitæ consuetudine offenderat, veniam petiisset: quod cum à concionatore nostro, ipsius nomine factum esset, expirauit.

COLLEGIVM IPRENSE, ET BERGENSE.

BEATI P. N. Ignatij reliquiæ, parientibus compluribus magno adiumento fuerunt. In vna femina species est miraculi manifesta; impatiens ob mariti ignauiam, vitamque semper ebriam, proli, quam gestabat vtero, sibique exitium fuerat imprecata, (impia quandoque & male concepta vota Deus audit, vt puniat) *venit* pariendi tempus, longis multisque doloribus cruciata non potuit eniti; desperat obstetrix, domum redeunt

Digitized by Google

redeunt, quæ aderant matronæ, fruſtra tentari omnia, actum de vita matris & pueri mœſtæ conclamant: vellet iam, nihil vt temere mala imprecatione peccaſſet, miſera. Bene tum euenit, vt vna adhuc reliqua femina, de B. P. Ignatij reliquiis cœperit loqui, dicereque, multis deſparata re puerperis auxilio, eas fuiſſe; atque ipſa quidem neſcio quid ſimile experta, adhuc domi ſuæ, quas à fratre ſuo Societatis homine receperat particulas, magna cum veneratione ſeruabat. Feruntur illico quęcunque illæ erant, collo parientis appenduntur, inclamatur fide recta nomen B. P. Ignatij: & ecce ſubito, meritis haud dubiè ſancti viri, læta & ſine dolore enititur, & viuus valenſq; partus effunditur. Inceſſit homines admiratio, & gratiæ per vrbem ſolemniter Deo actæ. Cui rei vt fides ad poſteritatem certa conſtet, Poperingæ, vbi id accidit (vicinum Ipris eſt oppidulum) publicis vtriuſque Senatus tabulis, res hoc ipſo anno conſignata eſt. Quod ſequitur, ad commendationem Sodalitatis Deiparæ facit. Ipris Senator erat vir antiquæ pietatis, ſed vt fit, à nouis pietatis ſtudiis, & incitamentis alienus, etiam à Sodalitate B. Mariæ abhorrebat; mira res, ſubita correptus ægritudine, cum propè ante oculos vitæ finem ſpectaret, ita mutatus eſt, vt in ſodalitium B. Mariæ Virginis adſcribi, maiorem in modum expoſceret. Miratur enimuero Præfectus Sodalium: ſed ille non prius à petendo vrgendoque deſiſtit, quam voti compos, congregatis ad lectulum eius, qui ſodalitatem regunt, votiuam Virgini orationem reciter; & conſueto illis amplexu, ſodalis ab omnibus ſalutetur. Viſa res omnibus noua; ſed illi profecto læta plurimum

mum & salutaris fuit: Vidimus enim dum orationem illam legeret, manantes illi ex oculis lachrymas, vix vt præ nimia suauitatis dulcedine proloqui posset. Insequenti porro nocte, cum forte qui obsequij causa aderant, fabulis tædium noctis fallerent, silentium tantisper expetit, rogauit vt secum audirent suauissimos Angelorum concentus, qui ob initam à se sodalitatem venerant gratulatum. Pristinæ iam restitutus valetudini, sodalibus omnibus exemplo diligentiæ,& propensissimæ in virginem Matrem pietatis egregiè prælucet.

BERGIS S. Winochi nonnulla cum *hæreticis* fuit contentio, duo ad saniorem fidem conuersi, quorum alter in vltima prope senectute, primùm baptismatis sacramẽto initiatus est. Alter è castris Oostendanis elapsus miles, mentiebatur Catholici nomen, hic in valetudinario fidem ritè professus, Sacramentis omnibus munitus vitam finiit. Itum à nostris Dunkerkam, maritimum est oppidũ Bergis propinquum. Tam ingratus initio aduentus noster Sacerdotibus vrbanis fuit, vt nobis templa & monasteria clauderent: sed haud multo post, auctoritate Episcopi Iprensis interueniente, magno plausu fructuque recepti sumus. Hic iuuenis quidam cum matrem saxo petijsset, subito totius brachij manusque tremore multatus est: vt iam ad nullum vitæ vsum videretur aptus esse: postquam autem peccatum rite est confessus, parte aliqua mali, non toto malo est absolutus: nempe vt exemplum sit ceteris, parentes non impune contemni. Vnus è nostris in ipso Collegio pestilentia exstinctus est. Vnde magnus timor, ne iuuentus in ipso studiorum initio diffl-

flueret

Digitized by Google

flueret. Quod ne fieret, euocati continuò alij Magistri è vicino Audomarensi collegio, scholas sustinueruut, Quæ res Magistratui pergrata accidit, qui in huius adhuc nascentis Collegij ædificationem totus insistit.

COLLEGIVM VALENCENENSE, ET MONTENSE.

HÆRETICI duo Ecclesiæ Matri restituti sunt. Vnus à Germania superiore profectus, virus quod ibi hauserat, latissimè hic effundere decreuerat; qui nostrorum opera conuersus, & omnibus vitæ maculis expurgatus, ad limina Beatorum Apostolorum Petri & Pauli iter ex voto suscepit. Vnius pueri, qui scholas nostras frequentat, insignis extitit constantia. Is defuncto hæretico Patre, cum sola egestate diues esset, virum inuenit Catholicum, qui sumptu suo nostris eum tradidit imbuendum, bono quidem certoque salutis ipsius, & vitæ præsidio: sed mater hæretica, pestes animorum nostros clamitans, id animo æquo non tulit: quæ nî fugeret puer & ad se rediret, omnia dira minabatur. Nec frustra minæ contemnenti puero fuerunt. Domum per vias publicas rapitur, male verberibus multatur, incænatus nuda super humo noctes tolerare cogitur, multaque huiusmodi crudelitatis ferre argumenta: omnia fert puer, superatque, vt Christo, quem in scholis nostris hauserat, seruire posset. Vix iam ereptus malis, virtutum insigne ceteris exemplar est,

Digitized by Google

MONTIBVS Hannoniæ, vsitata domi omnia; foris promulgatæ Missionum indulgentiæ, fructum attulere non pœnitendum. Vno in oppido auditæ confessiones de tota vita trecentæ. Et tam multiplex è concionibus, & consuetudine nostrorum, vtilitas publicè emersit: vt cum sperare de obtinendo Collegio non liceret, ad Residentiam saltem, si impetrari posset, florenos, de ærario suo, annuos obtulerint octingentos. Lectis publice, quas Pontifex summus missionibus nostris cõcesserat indulgentijs, fructus is fuit vno in oppido, totius quod anteactæ vitæ treçentæ confessiones auditæ sint. Sodalitas B. Mariæ Virginis, quæ ciuium est, dum eximie optimatum nobiliumque virorum concessu floret, quæ diaboli inuidia est, repente hoc anno, excitata tempestate, tota turbata est. Venère in suspicionem sodales, imo accusati sunt, quod ceteris contumaciores, dum nihil probant eorum admittuntque, quę ad rectam vrbis gubernationem pertinent, nescio qua sua religione, rebus pro arbitrio nouatis omnibus, totum pæne reipublicæ statum inuertant. Venit in iudicium causa: legitime vt opportuit, & seuere de re tota quæsitum est: Inueniri nihil nisi virtus potuit. Eo tamen res deducta est, vt vel hoc nomine, quod sodalis quis esset, arceretur magistratibus, publicisque muneribus prohiberetur. Ea tamen Sodalium virtus & animi constantia fuit, vt quantumcumque calumnijs publice, priuatimque proscinderentur, nemo tamen iuuentus sit, qui non omnia potius, quam nomen meritumque Sodalitij perditum vellet. Viri vnius primarij, ex equestri ordine, (vt ab vno discere reliquos liceat) exemplum animi

magni-

Digitized by Google

magnitudinis notabitur. Certus erat in annum sequentem, magno suo honore & commodo, de principe in senatu loco; proinde nobilis quidam ex amicis, cui Sodalitas haud placebat, machinis omnibus contendit, vt ne Sodalitatis respectu magistratum sibi pateretur præripi: sed dissimularet, atque ad tempus sodalitio careret. Cui ille, Egone, inquit, vt dissimulem, vt patiar deleri nomen è sodalitij tabulis? Quanti vero id facis, se ad tempus patrocinio Magnæ Virginis subducere? An non ego primus, qui nomen huic sodalitio? Qui reliquos velut princeps duco? Quale id exemplum, si primus deficiam? si ob annuum magistratum, nomen, quod æternum esse volo, deseram? ciuicos honores non tanti æstimo: Vitam, si ponenda sit, ponam potius, quam vt Deiparæ cultum videar neglexisse. Valuit ad reliquorum constantiam id exemplum. Clementius nunc agitur, postquam vnius magnanimitas ea, quæ grauia putabantur, fecit videri puerorum terriculamenta. Aucta Collegij dos trecentis florenis annuis. Mille item quingentis templi suppellex. Obiit Frater noster Ioannes Lespine, magno sui relicto desiderio.

COLLEGIVM ATREBATENSE.

ATREBATI nouum Collegium successibus nouis & lætis, quâ virtute domi, quâ fructu vtilitateque foris augetur, & crescit in dies. In scholis quadringenti numerantur. Cœnobita quidam discipulus noster cum

Digitized by Google

cum festo die ante vesperarum officium, preces inambulans recitaret, præcipiti lapsu in saxi fodinam incidit, foueam immanem, horrenti hiatu, facile quinquaginta pedes altam: Euasit tamen viuus nullo accepto vulnere, tametsi decennio ante, cum simili lapsu decidisset alius, casu ipso exstinctus fuerit. Sed adolescens hic noster beneficium diuinitus sibi impensum, precibus quas forte vicinum templum prætergrediens dixerat, & eleemosynæ ibidem erogatæ attribuit. Ædes fundo Collegij necessariæ, quas vendere possessores tergiuersabantur, Principum Belgij *iussu*, æquo precio nobis vænierunt. Platea *quoque* vna, nostris vsibus publica auctoritate cessit. His in spacijs construere nobis Collegium Abbas Vedastinus iam feliciter auspicatus est. Nam scholæ, ipsius vrbis extructæ sunt impensis, quibus supremum nunc imponitur fastigium.

COLLEGIVM BRVXELLENSE.

RESIDENTIA Bruxellensis, Collegium hoc anno facta est: & scholæ pridie idus Iulias apertæ; & Deiparæ Virginis sodalitium inter discipulos haud multo post institui cœptum. Virgo nobilis terrenam aulam diu secuta, & Archiducis Isabellæ honoraria, ex spe magnorum honorum & nuptiarum, gustato per nostrorum colloquia & monita contemptu mundi, despectiorem vitam, sed tutiorem & quietiorem elegit. Gandaui Coletarum monasterium est, quod summum sectatur asperatæ vitæ rigorem, ibi se repugnantibus

bus quidem consanguineis, sed adiuuante Serenissima Archiduce, & nostris succurrentibus, ipso die Diuæ Claræ sacro se abdidit, supremo Domino expeditè seruitura. Simili conatu & voluntate, licet conditione non plane simili, septem aliæ diuersis virginum sacrarijs, Deo sese cum spirituali nostrorum auxilio per vota desponsarunt. Eadem in viris industria, idem secutus est fructus. Quippe complures genere & ingenio præstantes, à mundi fluctibus in portum religionis se receperunt. Mulier, lecto diu affixa, cum stomacho refugiente cibi nihil admitteret, atrocissimis interim doloribus adeo cruciaretur, vt sæpissime animo linqui videretur: tandem cœlesti medela & S. Nicolai meritis, nostro hæc suggerente curata est. Lagunculam enim ei misit sacri liquoris, quem Diui Nicolai manna vocant: quo degustato, simulque inuocato Diui Nicolai patrocinio, initia præsentiscere cœpit sanitatis, nec diu post firmam integramque valetudinem adepta est.

MISSIO CASTRENSIS.

IN locum eorum, qui prioribus annis in obsidione Ostendana è nostris interierunt, submissi sacerdotes sex, Coadiutor vnus. Tribus antequam deditio fieret mensibus, (quibus incrudescente in dies pugna, plures quam vllo antehac tempore cecidere) satis constat censu habito, qua peste, qua clade ab hostibus illata, plusquam tria & octoginta perijsse hominum millia bellatorum, vnde æstimari facile potest, cum soli fere essent

Digitized by Google

essent nostri, quorum tam necessario tempore peteretur auxilium, quantum periculi adeundū, quantum laboris exhauriendum fuerit. Percellebant animos omnium, quotidiana funera: quæ quo plura erant, hoc maiorem superstitibus mœstum, & ponendæ in tuto conscientiæ curam ingerebant. Hinc multa nostris seges. Plurimi à flagitiosa libidine ad legitimos thalamos, à turpitudine, transiere ad honestatem. Hæretici non pauci, qui sub nostris merebant signis, Catholicam fidem amplexi sunt. Qui segniores erant Christiani, velut additis nouis flammis, ad studium feruoremque pietatis excitati. Solemne fuit militibus inter se omnibus, quotquot erant Catholici, quoties ad aggeres subeundum, vnde plus periculi, ad ædiculam nostram accurrere, crebrò preces concipere, ad Dei Matris effigiem genibus accidere. Non raro integræ cohortes, positis ad valuas armis, rei sacræ intererant, aut si non fieret, curuato genu precem faciebant, aut referebant pro sospitate gratiam. Quidam cum hostilis tormenti fulmine, pars vna sclopi fracta desilijsset, quod euasisset illæsus & cetera indemnis, partem illam, quæ remanserat in humeris, Deiparæ ad postem fixit. Puteus erat sacello nostro continguus, qui propterea quod imago B. Mariæ Virginis aræ proximæ insisteret, puteus Mariæ vulgo dictus est: satis compertum, probatumque est, ægros complures qui ex aqua biberant, sanatos miraculo, bona fide salutem Diuę retulisse acceptam. Ædicula nostra, cum fortuitò de proximo loco tacta daflagraret incendio, videre fuit qua pietate, quo studio, miles vndique totis è castris accurrit. Vere Catholicos licebat agnos-

Digitized by Google

agnoscere, ita pro sacris aris, pro focis agebant. Sed illud mirum, tanta vbique rerum & pecuniæ inopia, cum tota suppellex sacra, per eos ipsos esset elata milites ad hierothecam vsque sacram; quod omnia sartatecta reposita sint, neque quicquam omnino perierit iniuria, aut furto minutum sit. Mortis reus quidam cum suspendio esset addictus, vno è nostris euocato, per secretum aperuit religiosum se esse, & Sacerdotem quidem; Vix impetrari mora potuit ab Illustrissimo Marchione Spinola, dum capitalibus causis Iudex, qui tum Brugis erat, interpellaretur: interea noster, ordinis, vnde Apostata fugerat, superiores admonuit; facile quidem illi & docere potuerunt quod res erat, & liberum absolutumque hominem ad monasterium reducere; sed inedia vt erat, morboque in carcere publico confectus, ita non multos post dies mutato in melius animo, cum præclara quædam edidisset pœnitentiæ signa, inter fratres, & in habitu suo vitam posuit.

CVM Oostenda partim gladio, partim morbo, superioribus annis decem è Societate eripuisset, alios duos hoc anno eripuit. E quibus P. Bartholomæus Bollaert mense Aprili, lue, quæ statiua nostra vastabat, infectus; paucis diebus exstinctus est. Erat vir præcipuo quodam animi candore, spiritus feruore prorsus eximio, gratus omnibus, facile octodecim annis inter signa, & armorum strepitus versatus. Alter autem Pater Vincentius Paulinus, ex Italia huc in Belgium cum Marchione Spinola venerat; rara eius pietas in Deum, & zelus feruens in proximum, vna cum modestia & eruditione coniunctus: faciebat vt carus omnibus, & præcipuè Marchioni esset, cui

à Con

Digitized by Google

à Confessionibus erat. Hic in expeditione omnium difficillima atque periculosissima, (Sluſas obsidione soluendas Marchio susceperat) die vno nec integro, quadringentos cum obligasset saucios, reliquos & multo plures sepeliuisset, viribus exhaustis domum relatus est: cumque inualescente continua febris accessione, iuuari medicina nulla posset, intra triduum expirauit. Diui Rochi effigies, sicut olim in Constantiensi vrbe à Patribus Concilij contagionem auertisse dicitur, ita & nobis certo præsidio fuit: quamdiu quidem illa stetit, vbi semel in æde sacra posita erat, quantumuis obsessi vndique malo, sæpe in discrimen vocaremur, certum est sociorum periisse neminem. Addidit ea res animos nostris, & fiduciam propensius eos iuuandi, qui ab omnibus deserebantur.

MISSIO HOLLANDICA.

MIssio Hollandica, quàm late rebelles hæretici ditionem tenent per Zelandiam, Hollandiam, Geldriam, Frisiam vtramque peruagata est. Hæretici quindecim tantum, sed vere & solide conuersi sunt. Catholicis præcipuum solatium est; quod sacramenta percipere, concionem audire, rei diuinæ interesse, vel furtim possint. Mille ducenti quadraginta, eoque amplius cœlesti pane refecti sunt. Ex quibus erant quinquaginta prorsus rudes, & qui nunquam ante vel ad confessionem sacram, vel ad mensam Dominici corporis accesserant. Qui viginti triginta

ginta quadraginta annos abstinuerant sacris, sex & triginta numerati sunt. Duo de quadraginta partim infantes, partim adulti baptizati sunt. Plurimi turpitudine relicta, & intestis moribus, ad meliorem honestioremque vitam conuersi. Ceterum quod magna cautione, & circumspecte admodum hic agendum sit, nihil magnopere occurrit quod non vsitatum: Sed illa quidem quæ vsitata sunt, dum crescunt indies augenturque fructus, plures operarios requirunt.

PROVINCIA POLONIÆ.

NVMERAVIT hæc prouincia locis tredecim, socios nonaginta quinque supra ducentos, è quibus Sacerdotes centum & vnus, Magistri Sacerdotes viginti duo; non Sacerdotes vndeuiginti; Scholastici vnus & sexaginta; Coadiutores sexaginta octo; Nouitij triginta sex. Omnes vna domo Professa, quatuor Collegiis, vna domo Probationis, quatuor Residentiis, ac totidem Missionibus continentur. In Cracouiensi domo Professa numerantur viginti vnus: In Collegio Posnanensi quinquaginta duo; In Calisiensi duo supra sexaginta; In Lublinensi triginta sex; In Iaroslauiensi triginta & vnus; In Residentia Leopolensi tredecim; In Gedanensi sex: in Torunensi octo: In Sendomirensi vno minus; in Missione in Aula quatuor; In Volsinia duo:

in

Digitized by Google

in Moschouia totidem: per Prouinciam tres. In domo Probationis Cracouiensi versantur quadraginta & octo. Admissi in Societatem viginti duo, mortui tres.

DOMVS PROFESSA CRACOVIÆ.

NVNQVAM hic deest de proximis bene merendi occasio, aulâ regiâ, totoque territorio auxilia à nostris auide expetente. Nec defecit opera feruorque nostrorum: nimirum sexaginta octo ab hæresi ad Ecclesiæ gremium adducti sunt, in quorum numero fuit magnus Dux Moschouiæ Demetrius, qui olim pæne adhuc infans, patre simul & regno orbatus, vt Tyranni, necem sibi meditantis, manus effugeret, in religioso quodam Græcorum domicilio inclusus, clam à suis nutritus, & ad iustam vsque ætatem seruatus est. Interim vnus è proceribus, pridem regno inhians, sublatum è viuis heredem omnino ratus, rerum potitus est. Princeps porro, iam pæne vigesimum & amplius annum agens, de omnibus à suis nutritiis probe, pleneque instructus, clanculum ad quosdam Regni Poloniæ Proceres, auxilia petiturus, se recepit: apud quos, Deo negotium promouente, auxiliares copias haud difficulter obtinuit. Ergo cum simul iter & prælium pararet, antiquius nihil habuit, quàm vt sibi, in tam arduo negotio, Deum faceret propitium. Quocirca de suscipienda religione Catholica serio cœpit cogitare, & ne in eiusmodi actu à suis Moscis aliquo modo notaretur, & Catholicus

tholicus in suo Regno, Schismatis alioqui tenacissimo, temerè diffamaretur; obtecto vultu, & immutato habitu, vno è proceribus Polonis nouæ pœnitentiæ socio adscito, mendicum simulat, & per domos stipem rogans, ad nostram vsque domum perducitur; vbi detectus, magno cum dolore coram vno è nostris, quem sibi delegerat, peccata totius vitæ deposuit, schisma abiurauit, Romanæque Ecclesiæ, magno cum affectu, & animi alacritate sese adiunxit. Nec vero his contentus, postmodum ab Illustrissimo nuntio Apostolico, hic in eadem vrbe, clanculum & sacramento Eucharistię pastus, & simul sacro Chrismate, in suscepta Religione confirmatus est. Magnam sane Princeps hic spondet cum ætate virtutem, & in suscepto proposito constantiam, atque ad propagandam Catholicam religionem mirificè videtur animatus. In exteros ista Charitatis impensa officia. In domesticos non minora. Occasionem præbuerunt hæretici complures. In his femina quædam, media pæne ætate in Arrianismo transacta, Baptismum aliquando expetiit; quem, cum hic Cracouiæ in quodam templo, à nostris directa, susciperet, à Dæmone se vi retrahi, catenisque ipsius quasi sensibiliter, ingenuè fatebatur: susceptoque Baptismo, quasi in lucta cum dæmone defessa, in terram semimortua concidit, & postmodum velut è somno euigilans, Deo supplices preces pro gratia Baptismi palam obtulit.

QVIDAM dum Ministrum hæreticum energumeno nullam opem adferre voluisse, nec potuisse, ipsius confessione cerneret, & facilè à Catholico Sacerdote adiutum videret, abiecta hæ-

Digitized by Google

resi quam à pueritia imbiberat, Catholicæ religioni vltro manus dedit. Alius quidam in sua secta obstinatissimus, dum ad cænam Sacramentalem suorum se præpararet, noctu per quietem vidit Christum è cruce pendentem, & protensa vna manu in cælos, pro se precesad Deum Patrem fundentem, seque serio monentem, vt ad priora, si sapere velit, redeat: Euigilans ille mutatus totus, & lachrymis madens, recolligensque se, recordatus est aliquando se Catholicum fuisse, suspicansque illud Christum intimasse, nostros conuenit, & Christo monēti se auidissime aggregauit. Neque Catholicis hoc anno Nostrorum insignis opera defuit. Multorū animi discordes conciliati, in his multi Magnates, exquorū discordia vti multorum timebatur cædes; ita ex conciliata amicitia, multorum salus, & bona non pauca sperāda. Quidam confessionis causa sexaginta leucarum iter suscepit, & quadraginta annorum peccata accurata confessione expiauit. Femina per scelus grauida, vt infamiam effugeret, mortem meditata, ex loco prealto se proiicit, sed illæsa seruata, subito ad Confessarium vnum ex nostris accurrit, cuius opera, & à scelere soluta, & à mœrore & anxietate omnino liberata, & ad infamiam patienter ferendam est animata. Fuit altera lethali laborans partu; hæc dolorum impatiens, laqueo remedium sibi quæsiuit (suasu vt fatebatur diaboli, sensibiliter sibi apparentis, & laqueum offerentis) in quo adhuc viua reperta, viribus nonnihil collectis, scelus detestata, sacramentis per nostros munita, è faucibus inferni ad paradisi ianuam reducta est.

VIR quidam nobilis à nostra Societate alie-

niſſimus,

Digitized by Google

nissimus, cum in morbo quodam vsum linguæ penitus amitteret, per signa vnum è nostris pro Confessione obnixe expetit: nutibus confitetur, absolutus (mira res) lingua in verba soluitur: itaque nonnihil collectus, magno cum doloris sensu confitetur. Vsurarij aliquot insignes ad fugam reuocati, ex quibus vnus multos centenos pauperibus libenter restituit. Fuerunt & missiones aliquot ex hac domo, non infructuosæ, institutæ. Itum est ad quoddam Monasterium Monialium, vbi præter Confessiones & exhortationes quotidianas, septem Monialibus Exercitia spiritualia cum fructu sunt exhibita. Nec in externos modo, verumetiam in nostræ Societatis homines, huius domus charitas hoc anno enituit. Cum enim circa finem huius anni, quidam seditiosi Hæreticorum tumultus in Vngaria fuissent exorti, & nostri Patres inde in vicina loca dilapsi, Cassouia (quæ est viginti sex leucis ciuitas à nobis sita) huc ad nos aliquot confugerunt, qui non tantum ab hac domo cum Religiosa charitate per multos dies habiti, verumetiam cum magna compassione à proceribus excepti & recreati, insuper à Serenissimo Poloniæ Rege, & aliis Nobilibus Regni, bene viaticis instructi ad instantiam R. P. Prouincialis Austriæ, Olomucium remissi sunt. Ipsi quoque fluctuanti Vngariæ, interea aliquo non defuimus præsidio. Illustrissimo enim Cardinali ipso præsente, & negotium sanctum strenuè promouente, oratio quadraginta horarũ in nostra æde pro salute illius Regni, magno cum populi concursu & deuotione instituta, & transacta fuit. Est etiam hoc anno Domus hæc vno Sacerdote P. Ioanne Matthiæ, diminuta: qui pæne

Digitized by Google

togenarius; vitam hanc morbo leui, & non diuturno finiuit, homo alioquin virtutis & exempli singularis, indefessus in seruiendo proximis operarius, totis diebus, etiam gelante cælo, confessionali affixus, in nulla re sibi parcens, vt tantummodo necessitati proximi succurreret. In peruigilio omnium Sanctorũ cum ad noctem vsque in templo aures pœnitentibus præberet, domum rediens, iuxta suum officium, etiam post examen domesticis nostris audiendis operam non denegauit. Qua ipsa nocte plenus ætate & meritis, ex hac vita ad illam beatorum fœlicitatem æternam commigrauit.

DOMVS PROBATIONIS CRACOVIENSIS.

EX ijs qui à sæculi vanitatibus in Religionis portum se receperunt, vnius insignior vocatio fuit. Is in Germania, hæreseos peste infecta, natus educatusque, post studium Philosophiæ, in qua Magister ab eis creatus est, & iurisprudentiæ per biennium ibidem traductum; cum in Cardinalis Bellarmini Controuersiarũ libros incidisset, nostrorum Patrum, propter miram eruditionem captus amore ac desiderio, in Prusciam vsque venit, & post aliquantam ibi consuetudinem cum nostris, mox Ecclesiæ Catholicæ nomen dedit, & sacris initiatus biennio curã gessit animarum. Et vero ratus se perangustã zelo suo prouinciam obtinuisse, in Societatem IESV admitti ardens expetiit; admissus, magno cum animi sui gaudio in ea versatur, Patrum Vetetanorum labor fuit, in excipiendis

cipiendis confessionibus, in adeundis infirmis, & morientibus adiuuandis; potissimum autem in tradendis Exercitiis, quæ hoc anno intra nostros parietes, plusquam sexdecim externis illa petentibus sunt communicata. In his Regulares S. Augustini, à Reuerendissimo suo Præposito huc directi, egregiè exculti. Vnus item sæcularis Prælatus, cui Abbatia à Sereniſsimo Rege offerebatur, vltra duas hebdomadas, in hac domo se colligens, illi tandem Abbatiæ renuntiauit: & opulentum quidem, sed onerosum munus generosè detrectauit. Verum inter hos præcipuum locum tenuit Reuerendisſimus Luceorienſis D. Martinus Szyskowski, recens in Episcopum illius diœcesis electus. Is, vt humeros vireſque melius oneri aptaret illi, ipsis Bacchanaliorum diebus ad nostram domum commigrauit: in qua vltra mediam quadragenarij ieiunij partem, spiritualibus commentationibus, optato fructu vacauit. Peſſamiliare huic Reuerendisſimo est, cum Nouitiis nostris magis intime conuersari, illos in templo communicare, & subinde in Refectorio vna cum illis prandere.

SINGVLARIS, Dei beneficio, Nobilium Ciuiumque in nos fauor; præsertim cum videant in templo nostro rem diuinam crescere. Studio siquidem parochi noui, & liberalitate proborum, horæ B.V. Mariæ in sacra nostra æde à Paschate decantari cœptæ, vna cum sacro de eadem Deipara, Genoroso D. Martino Dobroszewski Domus huius benefactore eximio, Dei matrem tali obsequio honestante. Est & Sodalitas B. Vrsulæ, à ducentis pluribus annis erecta, sed incuria quorundam neglecta, rursum excitata, suoque

flori opere nostrorum in nostro templo restituta, & liberalitate Illustrissimi Nuntij Apostolici Reuerendissimiq; Episcopi Cracouiensis munificétia aucta firmataque. Pixis argentea prægrandis, ad distribuendum populo sanctissimum Sacramentum, ex piorum liberalitate Ecclesiæ accessit. Domesticis necessitatibus nostris prouidentia diuina non defuit, quamuis enim non exigua damna in nostris bonis passi fuerimus, ea tamen compensauit Dei benignitas; nam & frumenta hoc anno copiosius in prædiis, quam vnquam antea creuerunt, & domui accesserunt bis mille septingenti & vltra floreni.

COLLEGIVM POSNANIENSE.

EX fratribus coadiutoribusque vnus Lucas Bochleuiensis, annos natus circiter quadraginta, cum, reliquis ob pestilentiæ labem dispersis, in Collegio mansisset, eorum Patrum socius, qui infectis operam nauabant, vita discessit, peste in eum desæuiente. In eo præter egregiam in alios charitatem, & sui muneris opera alacriter præstita (cocum enim cum alio præterea officio agebat) singulare orationis studium enituit. Certe cum ei iter alios superior denunciasset, eum in Collegio tempore pestis remansurum, sine vllo prorsus renitentis iudicij signo paruit, & à fratribus abeuntibus, nihil aliud præter orationes, quibus inquiebat, in morte ob pestem instante plurimum indigebo, postulauit. Ex studiosis externis hoc anno nongentos circiter habuimus;

nec

nec pauci inter illos Senatorum Regni, ac Primariorum nobilium filij. Præcipuum ij, qui in B. Virginis Sodalitium maiorem & minorem ascripti sunt, Christianæ pietatis laudem ferunt. Dederunt sui specimen ingenij non contemnendum hoc anno studiosi nostri, in quodam Drammate pugnam cum Hæresi continente, quod tantopere hæreticos affecit, vt priusquam in Theatrum daretur, eorum Pseudo-ministri grauissimo suis interdicerent, nequis ad illud spectandum accurreret. Secus tamẽ quam illi volebant contigit. Acta enim res & magno apparatu, & ingenti ciuitatis cõcursu. Apparuit etiã in vno, hęretici cuiusdam filio, egregia in Religione Catholica susceptа constantia; is enim à parente primum minis deinde verberibus, dum ad ieiunium Ecclesiasticum frangendum adigeretur, ita fortem se exhibuit, vt ne tantillum ob parentis feritatem à Catholica consuetudine decederet: cum autẽ parens minaretur se eum ad scholas hæreticorum daturum, stipe potius emendicata, respondit filius se vitam toleraturum, quam in ea re ei obsecundaturum.

Non contemnendam hoc anno tum erga templum nostrum, tum erga Collegium munificentiã varij declararunt: nam & templi suppellex insigni quodam conopœo, ab Illustrissimo & Magnifico maioris Poloniæ Generali donato, & mille florenis ęstimato aucta est, & eleemosyna in sola pecunia Collegio data, ad mille fere florenos peruenit. Dispersio nostrorum in varia loca ob pestilentiam facta, per illum bonorum omnium opificem felicem successum habuit. In omnibus enim locis, in quibus commorati sumus,

tanta animarum auxilia secuta, tanta variorum erga nos, ob labores pro salute proximorum susceptos, beneuolentia conciliata, vt non in dispersione, sed in optima missione nos omnes fuisse arbitraremur. In primis enim nostri Scholastici Theologi cum suis Professoribus commigrarunt Vagrouecú exeunte Augusto, ibi ab Abbate (eius enim est id oppidum) & à Religiosis ordinis Cisterciensis amicissime excepti, & cibariis bimestri spatio humaniter & copiosè tractati sunt. Hic supra quotidianos Theologiæ labores, obita visitata Societatis nostræ munera, in proximorum salute procuranda: Religiosi illius Monasterij præceptis Dialecticæ, & Casuum institutionibus successiuis horis instituti. Deinde Vagroueco peste infecto, ad quoddam prædium nostris iterum commigrantibus, in eodem eadem fere omnia munia Societatis fideliſsime administrata. Idem ab aliis nostris in alio prædio commorantibus factitatum, & multa continuis excursionibus ad vicina loca, Confessionum & concionum causa, spiritualia emolumenta facta. Hæc tamen omnia ita sine studiorum altiorum iactura acciderunt, vt vix solis tribus diebus in commigrationibus consumptis, lectiones intermissę fuerint,

IAM Obornikos, quod oppidum non multũ Posnania distat, dum nostrorum quatuor commigrassent, cum aliquot seminarij diœcesani alumnis, statim ad eos septuaginta studiosi inferiorum scholarum confluxerunt, in quorum gratiam à tribus Magistris lectiones institutæ, deinde pro incolis, singulis festis ac Dominicis diebus, tum matutinæ conciones habitæ, tum pomeridiano tempore Christianæ doctrinæ rudimenta explicata:

Digitized by Google

explicata: ad quã ita multi agrestes afficiebantur, vt certatim post finem impositum, ad Patrem accurrerent, petentes vt litem dirimeret, qui melius ex illis signum S. Crucis efformare didicisset, deposita ad id sponsione & pecunia. Promulgatæ ibidem indulgentiæ pro nostrorum Missionibus à Pontifice Maximo concessæ, quas plurimæ secutæ sunt confessiones. Supplicatio quadraginta horarum pariter instituta ad pestem auertendam, & diuerberationes voluntariæ à Parthenica sodalitate susceptæ. Quibus omnibus illo in oppido nunquam ante visis, mirum quantum amorem sui, nostris concitarent, non tantum Ciuium, ex quibus Consul nomine omniũ ob id gratias egit, sed etiam Domini illius oppidi ante nobis vehementer infensi. Ibidem è S. Francisci familia Patres omnia humanitatis officia nobis exhibebant, & vt in eorũ templo concionaremur, tum alias, tũ in festo die, auctori & parenti Ordinis consecrato.

PRÆTER hæc, occasione eiusdem pestis, institutæ à nostris nonnullæ Missiones, sed ea præcipuè erat, quæ in oppidum Marchiæ vicinum, Tucznum nomine, in finibus Poloniæ situm facta fuit. Ibi egregiis nostri Patres laboribus, id tandem Dei beneficio effectum est inter cętera, vt & centum octoginta hæresim abiurarint, & oppidũ ita purgatũ hęreticis maneat, vt nulli amplius nisi Catholico in eo pateat locus ad commorandũ: tali decreto per ipsos Ciues magna animorũ consensione facto, & postea ab ipso oppidi Domino approbato. Ingens de tanta animorum & fidei mutatione lętitia peruasit omnes, ac proinde designatus dies ad gratias Deo publice persoluendas, & diuinũ corporis Christi epulum suscipiendum,

Digitized by Google

dum, vitæ noxis prius confessione deletis. Habitæ igitur integra hebdomadæ conciones Catechisticę, ad ritè obeundũ pœnitentię Sacramentũ, triduum deinde confessionibus datum, quæ in multam noctem producebantur. Vt dies constituturus illuxit, frequentes in templum conueniunt, & cum maxima significatione pietatis, rei diuinæ interfunt, post corpore Christi refecti, oppidi Domino cum sua vniuersa familia præeunte; cum hymno, Te Deum laudamus, actus hic finiretur, mirum quantam lætitiam internam, manantibus lachrymis ostenderint.

ACTVM ibidem cum multis ministris priuatim, ex quibus tres conuicti manus dederunt: ex his vnus erat, qui Bransbergæ quondam in Collegio societatis IESV Philosophiæ operam dederat. Hic post multas cum Patre concertationes, tandem gemebundus errorem agnoscens, illud obnixè petebat, curaret noster, vt in ijsdem locis degere sibi liceret, quo facilius incolas sua opera seductos, suo patiter exemplo ad meliora promoueret. Alter similiter ijs, quæ à Patre dicebantur, tandem assensus, filium suum apud Catholicos educandum eidem tradidit. Adibat alios Pseudoministros Pater ex improuiso, id enim illis in locis ad eos confundendos necessum erat. Sed vel fuga sibi consulebant; vel dæmonio multo freti, nihil omnino loqui volebant. Vnus erat ceteris audacior, qui Iesuitas nihil se facere iactitabat, cum hoc Pater publice congressus est, fecitque vt manifeste fateri cogeretur, se nihil contra dicere posse. Non pauca alia in eadem Missione facta, bis instituta oratione quadraginta horarum, indulgentia promulgata, certo ludi-

magistro

magistro pro doctrina more nostro pueris tradenda constituto, & concionibus sæpissimè habitis. Non deerant aliæ Missiones cum fructu non pœnitendo, & inter ceteras Pobiedziscensis, in qua à Patre nostro (qui ibi Indulgentiam promulgarat, trecentæ totius vitæ Confessiones exceptæ, & intra quatuor dies, quater mille homines diuinissimo Eucharistiæ Sacramento refecti.

Non minor ab iis fructus, qui in Collegio grassante lue morati sunt. Cum enim alij Sacerdotes circa salutem proximorum ministeria tunc reformidarent, nostri domos infectas nullo discrimine obibant, tintinabulis signo adhibito, vt quicunque confessione indigerent, euocarentur, vnde tanta accurrebat multitudo, vt vnus nostrum breui tempore mille infectorum confessiones exceperit; nec vero conciones diebus festis prætermittebantur. Iam ex ijs, quæ & domi & foris in variis Missionibus circa hæreticos acta sunt, eum effectum habebant, vt eorum qui hoc anno ad Ecclesiam redierunt, numerus ad ducentesimum quadragesimum septimum peruenerit. Inter hos vnus erat Nobilis octogenarius, qui fere totam vitam in hæresi consumpserat, hic in morbo extremo, monitis nostrorum, tandem venenum Caluini eiecit, & breui post etiam in corpore conualuit. Alter itidem octogenarius ad nostros in Missione Obornicensi manentes, cum alia ex causa veniisset, & in illo oppido in grauem morbũ incidisset, ab hæresi, & à peccatis per nostrũ absolutus, spei plenus vitæ cursum absoluit.

Quidam etiam Magnificus Lutheri & Philippi Melanchthonis discipulus quondam Catholicus

licus ille quidem spem, semper tamen de hæresi suspectus, ita circa mortis articulum opera vnius è nostris adiutus est, vt præter confessionem ter diligentissime factam, sæpius protestaretur se mori in fide Catholica, quia vero de inuocatione Sanctorũ maximè ambigebat, ideo tunc totus erat in patrocinio implorando tum B. Virginis tum Patroni sui, & Sanctorum aliorum. Curatum etiam est per vnum è nostris diligenter, ac per Dei gratiam effectum, nè vel in Senatu Ciuitatis Posnanensis locum hæretici habere possent, vel funebria aut matrimonialia eorum conuiuia, ibidem Catholici sua præsentia cohonestarent. Duo etiam Iudæi studio nostrorum hoc anno Sacramentum Baptismi susceperunt, Vnus cum vxore & duobus filiis, quorum Baptismum tum solemnitas ipsa (ab Episcopo enim, præsentibus pluribus Illustrissimis viris peragebatur) tum totius ciuitatis insolitus quidam applausus exornauit. Cum autem breui post, vnus filiolus huius Baptizati è fenestra superiori domus, casu lapsus esset, & ad lapides allisus expirasset, adeo generoso animo casum hunc pertulit mœstus parens, vt Christianę fortitudinis recens, ac viuum exemplar in eo facile agnouisses. Elatum postea eiusdem pueri funus ab omnibus religiosis, & à tota ciuitate magno compassionis sensu. Baptizatus & alter Iudæus, vxore, in perfidia manente, reiecta. Hęreticus quidam ex Brabantia casu in Poloniam deueniens, (ad quem salutaribus aquis regenerandum, vnus ex nostris euocatus erat) inter cetera illud referebat, se post baptismum summæ tranquillitati restitutum, nec amplius dæmonum plagis, vt antea, obnoxium: imò

nec

Digitized by Google

nec se grauiter lāturum, si per parentem hæreticū omni hereditate priuetur, aperta sibi per baptismum hereditate ampliori.

NON deerant etiam nostri pauperibus: imminente enim peste, quadringenti floreni pro eis ab Episcopo impetrati, & in ipsa peste, vndecunque eleemosyna corrogata, trecenti pauperes adiuti, triginta tres præterea in fimo per plateas miserabiliter iacentes, ad honesta Xenodochia delati. Multi etiam grauissimorum dissidiorum incendia (quæ Dei gratia) sunt exstincta; præcipua erant inter Senatum Posnanien sem & quosdam religiosos, & inter Magistratum Arcensem & totam ciuitatem: cum enim quidam Arcensis famulus in Consulem sclopetum explosuisset, & tota aula Episcopalis maioris Poloniæ id approbare videretur ob quædam odia; resque ad grauem tumultum vergeret, cura vnius nostri, eò generalis Capitaneus, alia omnia aliis expectātibus, deductus est, vt sponte famulum ad veniam postulandā, & certam pœnam subeundam, ad Senatum ciuitatis miserit. Omitto varios à maleficiis, & turpi corporis quęstu, ac teterrimis vitiis abductos, & vnū, cui quinque pellices detractæ, ac alios à spectris dæmonis liberatos. Illud singulare cuidā personæ suasu nostri euenit; cū enim à spiritu blasphemiæ perpetuo vexaretur B.P.N. & B. Stanislai Kostka inuocatione, subito illa tanta molestia disparuit: Exercitiorum spiritualium vsus in hoc Collegio per Dei gratiam frequens est, & inter quosdam religiosos, hoc anno Abbas quidam ijsdem exercitus magno cum fructu. Confraternitas misericordiæ, instinctu nostrorum, felix hoc anno initium dedit Processionibus in die parasceues, cum

Digitized by Google

cum sacrorum & prostrationum vsu variis in templis, quæ eis nunquam antea Posnaniæ visa; præcipua quæ tunc erat Nobilitas maioris Poloniæ, eam Prōcessionem non sua tantum præsentia exornauit, sed etiam dictę Confraternitati se adiunxit. Hanc ipsam Processionem Confraternitas, vt vocant Chordigerorum deinde æmulata, idipsum exprimere in omnibus voluit.

COLLEGIVM CALISSIENSE.

A Vero nostrorum numero, non sine diuina ope, aucta quoque sunt pietatis opera. Cum enim Collegium hoc teneret socios sexaginta duos, elaboratum est ne qua deesset cura in proximorum salute, ad Dei laudem promouenda. Et vt ab eis, quos intimos, magisq; nobis familiares habemus, incipiam, à iuuenibus inquam studiosis, curæ nostræ commissis: Hi vt frequentes, ita pietate feruentes, non exigua nostri laboris dederunt exempla, sed præcipue Sodalitas Parthenia, cuius numerus adeo excreuit, vt noua colonia deducenda fuerit, minori Congregatione instituta à Reuerendo Patre Prouinciali. Et quia hactenus consuetas exercitationes, scholarum parietibus inclusi non sine incommodo agere cogebantur; hoc anno ad noua Oratoria illorum duntaxat functionibus consecrata, nō sine celebri pompa: illustriq; apparatu commigrarunt. Ibant sacris reliquiis Sanctorū onerati, cereis accensis & suaui adhibito concentu. Instituerunt ijdem ędificationis plenam Processionē, quatuor à ciuita-

te

te millibus passuum, D. Virginis deuoti per celebrem; vbi iucundum erat videre, non ipsos tantum Sodales agmine compositio, globulis precariis pensum B. Marię Virgini persoluentes, verum etiam alios comites externos illorum facta æmulantes.

HÆc quasi domestica: ab ijs vero non pœnitendus relatus est fructus, qui domi foriſque in remotioribus nauarunt operam. Supra trecentos auditi sunt, qui ex ea ætate, qua primum sapere cœperunt, patefecerunt culpas. Retracti ab hæresi quadraginta quinque. Inter hos quidam Nobilis in errore enutritus, tanto feruore Orthodoxam fidem amplexus est, vt neque Hæreticam vxorem habere voluerit: neque vllis paternis minis induci quominus, in Ecclesiæ facie matrimonium cum Catholica iniret. Idem subditos suos totamque aulam Sacramentorum vsu carentem, cum Deo reconciliari vnius è nostris opera fecit. A superstitionibus & veneficiis abstracti quinque, à debacchationibus insolentibus plures: nam cum præter morem superiorum annorum illo triduo magno apparatu, à quibusdam vtriusque sexus institutæ fuissent laruatorum petulantiæ, missus est ad Magistratum Sacerdos noster, qui rei turpitndine demonstrata, effecit, vt pœna à Magistratu assignata nefarium consilium dissiparetur. Itum & ad vicina loca, sacro præsertim Natalitiorum Domini, & Paschatis tempore. Duo Sacerdotes profestis Natalitiis Crotosinum euocati, singulis diebus binas conciones habuerunt lingua Polonica, binas item Germanica, magna hominum frequentia, & tanto ad Sacramenta concursu, quantus nunquam antea

Digitized by Google

antea fuerat ibi visus, à tempore quo Hæresis inde exulare cœpit. Sex Ecclesiæ redditi, inter quos matrona quædam Nobilis annorum quinquaginta, cum qua multum diuque fuit laboratum antequam daret manus, sed tandē Deo disponente cessit, & mox Sacramentis munita, datis prius egregiis pietatis ac religionis argumentis, è viuis excepit. Inter duos Ciues illius oppidi graues inimicitiæ sopitæ.

In iis etiam qui nostrorum opera, siue consilij siue Confessionis gratia vsi sunt, non defuerunt aliqua quæ miraculi speciem præseferrent. Nam virgo quædam, cum ex vno in alium mercaturæ gratia perficisceretur locum, de curru ex improuiso lapsa, collum fregit. accurrunt extemplo amici, varia adhibent medicamenta, quibus cum nihil proficerent, ad Deum in preces, & patrocinium matris eius concurrunt. Res mira, ter repetito nomine Iesu & Mariæ, atque voto peregrinationis Czestochouiam, cum magna fide & spe facto, ad se virgo redijt statim, cum vna & amplius hora sine sensu iacuisset. Duæ item virgines, diuersis tamen temporibus & locis, vt virginitatis decus tuerentur, è suprema ædificij, satis in altum porrecti, parte prosiluerunt, vitam ob pudoris ornamentum in periculum adducentes: Sed ecce, dum in præceps adactæ ruunt, nomenque Sacrosanctum Iesu & Mariæ inclamant, periculum omne, multis admiratione detentis, euadunt; ne minima quædam læsionis nota relicta. Duæ etiam Virgines adulta iam ætate, superato minarum terrore, ac sæuitia flagrorum, quibus dire à parentibus, eo quod ad Catholicam religionem propenderent, frequenter tractabantur

Digitized by Google

tabantur, Hæresim abiurarunt, atque vt Deo se magis adstringerent, domo paterna relicta, in alienam Prouinciam secesserunt. Harum alteri memorandum sane quid accidit; in itinere incidit in quendam, qui castimoniæ virginali afferre vim aggressus est, restitit illa fortissime, diuino desuper auxilio, petito, ad pedes inuasoris prona in modum crucis sese abijcit, per Deum ac Sanctos eius obtestatur, obsecratque cum lachrymis, à cœptis desistat. Attonito similis ille, & velut exanimis, derepente mutat consilium, collachrymantem de terra leuat Virginem, iureiurandoq; fidem obligat, se fore acerrimum Virginitatis ipsius defensorem. Facti veniam supplex petit. Denique omni humanitate declarata, Virginis consilium cognoscens, ad eum locum, quem ipsa intendebat, integram & illæsam, suo curru & sumptu, deduxit aliquot dierum itinere.

A D extremum, fatalis etiam hic annus nobis fuit, morte optimi Præsulis, & longiori vita digniſsimi, qui Illustrissimo Fundatori nostro, non minus in Archiepiscopali dignitate, quam in paterno erga Collegium hoc, & vniuersam Societatem nostram affectu, successisse videbatur. Sed vix quinto mense sedem Archiepiscopalem ascenderat, cum ad magna Reipublicæ & Ecclesiæ commoda, fabricamque Collegij nostri perficiendam, sedulo curam & cogitationem adiecerat, quando nobis cum magno omnium dolore, & mortalis conditionis exemplo ereptus est. Ita tamen animo dispositus, & cum tanto rerum humanarum, & vitæ præsentis contemptu in manu Domini resignatus, vt non in aulis Regum tam multum diuque versatus, quam in Religio-

forum hominum cœtu educatus videretur. Illud autem peropportunum illi accidit, quod P. Rector Collegij, qui paulo ante ipsius morbum, ad constituendas Collegij rationes, ab ipso per litteras euocatus fuerat, superueniret tunc cum altero Sacerdote, ipsique infirmo & morienti adesset, Sacramentis muniret, & reliqua debita pietatis officia exhiberet. Legauit moriens Collegio nostro florenos mille, qui statim redditi sunt: petituſque Sacerdos noster, pro funebri concione, adfuit. Studiosi quoque Collegij nostri rogati, vt vario genere, & ornatu carminum, pompam funeris cohonestarent, sicut & eiusdem ingressum in sedem Archiepiscopalem, lætiori calamo non multo ante cohonestauerant, liberaliter fecerunt.

COLLEGIVM LVBLINENSE.

VITA decessit hoc anno P. Procopius Pruchnicki; reliquorum in curanda sua, proximorumque salute non defuit industria, laborque; nam sex circiter, opera nostrorum, à Schismate defecerunt, plures Hæretica labe infecti, auitæ Religioni sunt restituti. Et quidem septem in ergastulum conditis, tanto maiori solatio nostri fuerunt, quanto illi longiori tempore humano consortio, imò etiam communi luce caruerunt, quatuor enim hebdomadis ægrè aliam lucem aspiciebant, quam quæ animabus oboriebatur, dum intra hoc tempus aliquoties delicta sua Sacerdoti patefacerent, & Sacramento Eucharistiæ contra

contra omnes cruciatus, & ipsam mortem se communirent. Oppido, perfidia hæretica inquinato, & quadraginta annis sacris priuato, Religio restituta: tres Turcæ ad fidem instituti, Mahumetis superstitionem abiurarunt, & in nostro templo ab Episcopo solemni ritu baptizati sunt. Et quia actus hic inciderat in tempus illud, quo frequentissimo cœtu in Ciuitatem conuenerant, variis ex locis, nobilissimi homines, & Senatus regni Primores: ideo tanto cum spectantium concursu cerimoniæ peractæ sunt, quantum alium in simili negotio reperire difficile sit.

PORRO quod templum nominauimus, hoc nouum est, & hoc anno primum ab Episcopo Cracouiensi, qui & primarius autor Collegij fuit, consecratum, die D. Ioanni Baptistæ sacro, cuius ossibus nouam Ædem exornauit, vt & munifica dote; nam extracta scheda in pargameno propria manu scripta, honorifica Societatis commendatione præmissa, promisit se intra triennium daturum sex millia florenorum pro ornatu, & fabrica templi. Iam præter solita, quibus quotidie incumbunt iuuenes, litterarum studia, datur etiam opera, ne qua in re ea, quæ Deum eiusque Matris cultum spectant, elabatur benemerendi occasio. Hinc factum, vt alterum Sodalitium Virgini Deiparæ hoc anno dicaretur, vbi iuniores cum maioribus, vel pari virtute certarent, vel saltem exemplo prouocati, paria pietatis opera attentarent. Vnus ex his Societati nomen dedit, decem alij diuersis Religiosorum familiis adscripti. Duo qui recens ad Collegium admissi germani fratres, Hæreticis nati parentibus, Ecclesiæ Sanctæ sunt aggregati.

Digitized by Google

COLLEGIVM IAROSLAVIENSE.

EX nostrorum numero media ferè pars fuit eorum, qui tertium Probationis annum peragebant; quocirca horum exemplo, & disciplina domestica exactius seruari, & veteranorum in spiritus profectu feruor, hac etiam ratione haud difficile potuit excitari: in proximorum quoque subsidium sese largius effundebat. Quamuis enim oppidum Iaroslauiense non sit apprimè frequens & celebre: non exiguus tamen ad nostrum templum solet esse hominum concursus, etiam ex locis remotioribus Sacramentorum suscipiendorum gratia, cum isthæc regio ob terræ fertilitatem sit culta, & frequens, nobilesque viri primarij circumcirca non pauci. Itaque etiam Ecclesiastici quamplures pœnitentiæ Sacramenta apud nos frequentant. Notauit vnus è nostris, prope viginti Sacerdotes hoc anno, ad meliorem frugem sese nostrorum ductu recepisse. At vero Episcopus, Iaroslauiensibus clericis idipsum commendauit seriò, vt non nisi nostris à Confessionibus vterentur: qui & priuatis colloquiis instructi, & piis commentationibus perpoliti. Templum sacra supellectili auctum; Cimbalo prægrandi ad conuocandum populum præparato, duabusque sacris vestibus, quæ vulgo dalmaticæ dicuntur, nostræ Principis liberalitate templo attributis, infectaque vestis Attalicæ materia, centum quadraginta nummis aureis nostratibus æstimata, eiusdem munificentiâ donata. Eiusdem liberalitas

beralitas in pauperes ſtudioſos non vulgaris extitit, quibus ſæpius lautum inſtruxit prandium, & pannum centum circiter aureis æſtimatum, ijſdem veſtiendis donauit. In hoſpitali egenis ipſa non raro miniſtrat.

MAGNVM item templo huic redit ornamentum è Sodalitate Parthenia, à qua cum aliâs, tum illo die, quo Redemptoris noſtri patientis memoria ageretur, cum ſolenni ſupplicatione in multam noctem diuerberationes fuere protractæ, pridie epulum lautum egenis præſtitum, pedeſque abluti. Duo ad Societatem ex illa admiſſi. Ceterum cum Patres tertij anni Probationis, per Aduẽtus Domini & quadragenarij ieiunij ferias, ad loca non ſolum vicina, ſed etiam remotiora, in agro Domini operaturi hinc ſoleant ablegari, ingens inde in Chriſti horreum infertur prouentus. Huius generis Miſſionum primum locum habet ea, quæ ineunte Autumno, à duobus è noſtris Patribus cum Magnifico Domino Palatino Sendomirienſe, & nouo duce Moſchouiæ in eam Prouinciam fuit ſuſcepta; de qua cum interea nihil præter felicem in Moſchouiam ingreſſum, & noſtrorum in iuuando milite laborem, exploratum habeamus, in aliud tempus differre duximus. Diuerterant ex eo itinere ij duo Patres ad vnius ipſorum parentes Hæreticos, nec ſine fructu, matris nempe & ſororis conuerſione conſecuta. Iam quo animi ardore, & noſtri ad pœnitentiæ Sacramenta milites excitarent, & ipſi id acceptarint, ipſiuſmet tum Palatini deprædicatio, tum fructus conſecuti vbertas adteſtatur.

PROXIMO loco videretur numeranda excurſio Zamoſcium ſuſcepta, vrgente per Illuſtri

Digitized by Google

stri viro Ioanne Zamoiski Regni Poloniæ copiarum duce generali, & supremo Cancellario, qui cum annis superioribus nostræ Societatis hominibus parum affectus esse videretur, hac deinde occasione nobis beneuolus redditus est, suamque in nos propensionem centum aureorum nummis testari voluit. Illustris porro eiusdem beneuolentiæ, extitit argumentum, nostrorum Leopoliensium negotij apud regem promotio, quod quidem, ipso refragante, haudquaquam confici potuisset. Idem nostrorum, in docendis rudibus ijs quæ ad fidem, adeo probauit modum industriamque, vt concionibus anteferendum putaret. Institutæ aliæ complures missiones, in quibus omnibus illud inprimis, quâ concionibus, quâ priuatis cohortationibus est perfectum, vt populus ad virtutum studium, & Sacramentorum frequentationem induceretur, non segniter. Huius rei vel ipsę generales confessiones erant euidens documentum. Certè ex sex millium hominum confessionibus, quas nostri in varijs locis exceperunt, media propemodum pars fuit generalium. Hinc non exiguus consecutus est fructus: & ne singula percensęam, in ære alieno tum restituto apparet satis: fuerunt siquidem viri grauissimi, præcipuéque nobiles homines, qui à nostris de contractibus fæneratitijs edocti centum, ducentos, quin & bis mille aureos, prompti admodum veris Dominis persoluebant. Magistratus quoque ne tales deinceps inirentur, se inuigilaturum seriò est pollicitus. Inter multos graues inimicitiæ ita sunt restinctæ, vt nonnulli, post nostrorum de amore mutuo habitos sermones, in ipsis templis palam in mutuos complexus ruerent

Digitized by Google

rent, magna omnium admiratione: numerati tales sexaginta sex, qui mutua odia deposuerunt: viginti nouem Coniugum paria, inter se dissidentia, reconciliata. Mariti à pellicibus abstracti, vxoribusque propriis restituti quindecim: duo paria specie matrimonij vitam impuram sectantium hominum legitime copulata. Meretrices ab infami corporis questu, ad publicam pœnitentiam inductæ nouem: superstitiones, iurandi, maledicendique consuetudines sublatæ. Veneficia vt abiuraret quædam mulier, effectum: duæ aliæ ab ijs abductę: à dæmonum vexatione, pœnitentiæ Sacramento, tres liberati. Non pauci alij eodem remedio adiuti, & ægri pristinæ valetudini restituti.

INSTITVTÆ quoque sunt in quibusdam oppidis, die Parasceues, solennes supplicationes, in quibus in corpora supplicantium sæuitum est, ciuibus ipsis sua corpora acriter diuerberantibus, & egenorum pedes abluentibus. In alio loco supplicatio Indulgentiarum consequendarum causa, per nouem passuum millia obita, magna hominum caterua, & præcipuæ nobilitatis proceribus pedes iter conficientibus; cui ipse Dux exercitus Regni facilè princeps interfuit, & pronus humi procubuit, quibusdam in corpora sua sæuientibus. Alibi Sodalitates Deiparæ olim neglectæ, pristino restitutæ vigori. Templorum mundities introducta, & Catechismi continuatio ludimagistris persuasa. Longum esset singula persequi. Illud certe non debet omitti, triginta duos circiter, hæresi abiurata, ad Catholicæ Ecclesiæ gremium rediisse; viginti octo Græcorum schisma reliquisse; duos Iudæos aquis salutaribus ab-

Digitized by Google

lutos; Schytas quatuor, Turcam vnum Ecclesiæ restitutos esse; à desperationis & proximi interitus periculo quatuor liberatos. Cetera fere cómunia.

RESIDENTIA LEOPOLIENSIS.

QVOTIDIANA, assiduaque nostrorum circa proximos hoc in loco opera, tulit fructus nec vulgares nec exiguos, si operantium paucitatem spectes. Octodecim ad S. Romanæ Ecclesiæ gremium redierunt, septem Schismatici, vndecim alij hæretici. Innumeri pæne è cœno flagitiorum, in quo multos delituerunt annos, cælesti Confessionis ope emerserunt; & qui totius vitæ maculas exomologesi expurgarent, quatuor & quadraginta supra centum reperti sunt. Duo è primariis Ciuibus, quorum alter Consulari dignitate gaudebat, eò mutuis diffidiis simultatibusque progressi, vt capitales hostes facti, alter alterius vitæ insidiaretur: sed opera nostrorum adiuti, inimicitiis vtrimque positis, ad pacem & concordiam, mutuis amplexibus, lætabundi redierunt. Duorum hominum iusignis conuersio obtigit, è quibus vna erat Nobilis femina, ea cum chyrographo dato se Cacodæmoni deouuisset, facinoris atrocitate post detestata, Pœnitentię Sacramentalis precio se rursum in libertatem vindicauit. Alter vero enormi quodam crimine admisso, immemor Dei & naturę, ipse sibi vim manusque inferre decreuit, iamque se, laqueo ceruice inserta, pendulum demisit; cum ecce boni viri vnius interuentu præpeditur, atque egregio

gio hortatu in spem salutis, & veniæ à cælesti numine obtinendæ erectus, exacta Confessione, & digno tantis facinoribus dolore, perpetrata defleuit: atque ita ingenti suo bono, Dei autem prorsus ineffabili, plenaque miserationis bonitate, corporis vnà & animi interitu est liberatus.

RESIDENTIA GEDANENSIS.

POST diuturnam Hæreticorum, quibus cohabitamus, resistentiam, experimur tandem, diuina opitulante gratia, animos eorum non parum erga nos emollitos, multumque familiares; alloquiis dignantur, ad domos admittunt; nec à plebeis hoc tantum defertur honoris, sed etiam à primoribus Ciuitatis. Illud mihi præcipuum mutati animi argumentum, quod nostrorum consilia de rebus salutis non aspernentur, imo quærant auidissimè, sequanturque. Fuit Gedani vir quidã primarius, author fautorque synagogæ Caluinianæ; nunc familiaris nobis factus, ita mutatur, vt nostrorum orationes & colloquia expetat assiduè. Alius porro quidã Catholicus, qui cum hæretica Virgine hac conditione sponsalia contraxerat, vt publicè in templo, hæretico à Ministro copularentur, à nostro Sacerdote admonitus, seriò tandem resipuit, paratus sponsam relinquere penitus, ac Monasterium potius ingredi, quam à Ministro copulari: sponsa videns constantem animum sponsi, à Catholico consentit copulari, quod & factum est, spesque est eam ipsam Ecclesiæ breui nomen daturam. Fuit & alius quidam

Digitized by Google

quidam Catholicus, qui copulari ab Hęretico ausus, meritas conscientiæ tulit pœnas, eiusque stimulis actus, peccatum coram tota Ecclesia luere proposuit, erroremq; fateri, nisi consilio præferuido fuisset consilium salubrius obstaculo, fuit paratus. Magnus in aliis quoque cernitur fructus conuersationis nostræ. Hæresim quadraginta circitet abiurarunt, disponuntur plures. Iuuentus multa, eaque insignis, domum nostram sæpius visitat, plerique animo sunt Catholici: persuasum multis, vt Bransbergam suos mitterent filios, literis pietateque imbuendos; crepantibus Ministris, doctrinam Christianam rudes docentur, Confessiones Communionesque creberrimæ, superioribus annis vix ad festa Paschæ visæ. In Monasteriis circumcirca, collectus insignis fructus, quâ piis exhortationibus, quâ confessionibus, consiliisque procuratus.

RESIDENTIA TORVNIENSIS.

SEPTEM è nostris aluit domus nostra hoc anno, iis plane, quibus & superiore, occupatos muniis, concione terna, quâ diebus festis, quâ Dominicis auditori data, non infrequenti; Numerus Catholicorum augetur in dies. Ab hæresi viginti absoluti: plures nutantes confirmati. Peccata sacrilegè celata, nostris qui detegerent, fuere prope quinquaginta. In pietatis operibus, eorum qui semel Ecclesiæ nomina dederint, mira elucet constantia: exemplo erit quædam femina, quæ iussa à proprio hero synagogam

gam frequentare hæreticam, citius animam suam verberibus, vulneribusque corpore pelli, quam hoc facere, & templo suo arceri passa fuit. Dedit simile virtutis argumentum altera quædam, quę verbera grauia tulit, potius quam ieiunium consuetum fregit. Alia ab ineunte ætate grauissima reticens peccata, ac in periculosum morbum incidens, videt primo terribilem quandam formam hominis, paulo ante vita functi, sibimet obijci: mox peccata aperit, spectroque priuatur, femina quadam miræ pulchritudinis apparente.

RESIDENTIA SANDOMIRIENSIS.

Dvm solita Societatis munera nostri hic obeũt quidam diu grauissima celans peccata, spectris vexatus ad nos venit, ritèque ac integrè in confessione à molestis (quos se videre dicebat) serpentibus, & à peccatis est liberatus. Fuit qui arbitrariis ieiuniis commissa facinora luere elegerat, sanctæ Pœnitentiæ Sacramento intermisso: admonitus visione quadam, vt aliud iniret consilium, seque potius Sacerdoti sisteret, cum diu secum fuisset luctatus, & iam aquas, iam restem, quo se præfocaret, meditaretur, repente diuina ope ad saniora consilia rediit, seque Sacerdoti submisit. Primus Regni Princeps Archiepiscopus Gnesnensis, vt primum ad eam functionem designatus est, impetrata potestate à R.P. Prouinciali, vocandi vnum è nostris tempore sibi percommodo, vt spiritualibus exercitiis vacaret, vocauit huius loci superiorem, & per hebdomadas

madas tres continuas, magno desiderio & studio profectus spiritualis, se exercuit. Magnam ea res admirationem, magnam & egregiam comparauit ædificationis, nec non exempli opinionem: imo non pauci reperti prælati, qui idem expetierunt & fecerunt: plerique diligentius se ad Confessionem generalem comparantes, nostrorum operaadiuti. Vident nostram hanc diligentem curã ciues, approbantq; ita, vt nostris à confessionibus vtantur, iuuentque res nostras quotidie: nã & tẽpli supellex, ad ducentos propè florenos aucta est, & Parochus, qui nostrorum semper fuit cupidissimus, nuper cum ordinarij approbatione resignauit nobis officinam, pro lateribus parandis, & vnam piscinulam perpetuis temporibus habendã. Ipsemet Illustris Fundator, situm Collegij futuri, ære proprio florenorum mille comparauit. At ne in his deesset occasio patiendi, excitauit seminator discordiarum quosdam, qui non possunt manifestam auersionem occultare, sugillando vbi possunt Societatem: scilicet nostrum est bona agere, mala pati.

MISSIO LVCEORIENSIS.

AMplissima in tres partes, quasi populos, hæc Diœcesis distributa est: quarum prima quæ Volsiniam continet, extendit se ad Kaniow vsque, & Cirkasi, finitima Moschis ac Tartaris propugnacula; habens nobiliorem præ cæteris Ciuitatibus Luceoriam: Altera, Lituaniæ Palatinatú Brestensem complectitur: Tertia tenet Podlachiam,

Digitized by Google

lachiam, quæ, quod ceteris duabus plura templa pluresque Sacerdotes habeat, cogit frequentius Ianouiæ, in suo oppido residere Episcopum. Ad hanc Diœcesim anno 1604. nouus iturus Episcopus, Reuerendissimus D. Martinus Szyskowski, duos ex Societate impetrauit sibi comites, partim vt plus vtilitatis, per nostrorum operam, suis adferret Diœcesanis: partim vt ipse suum spiritum, quem tum in scholis olim nostris, tū postea in Exercitiis spiritualibus Cracouiæ acceperat, ex hac conuersatione nostrorum foueret, conseruarétq;. Iter hoc, Cracouia egressus, à peregrinationibus instituit, auxilium sibi à Virgine Deipara, eiusque Filio supplex implorans. Postea ad Sanctorum patrocinium sese conuertit, cœpitque nō solum ante cænam, litanias communes recitare cum suis, quos campanæ sono conuocat, verum etiam singulis mensibus, cum ijsdem facit Sanctorum electionem per sortem, quam hucusque non sine fructu suo, ac suorum continuat: siquidem aliquoties hic voluit vnū è nostris, de peculiari Sanctorum veneratione, prius verba facere, quam ipsorum nominum traderentur illis chartulæ. Quartis feriis, ex quo factus est Episcopus, abstinet à carnibus, iuxta veterem piorum consuetudinem, siue domi tum fuerit, siue foris, aut in itinere existat; nec easdem suis, eo die apponi permittit.

E o salutis animarum zelo ardet, vt perspecta bene vtilitate, quam populo ex doctrina Christiana prouenit, ipse eius capita, ex Bellarmini Catechismo Italico in latinam, ac postea in linguam Polonicam verterit; quem Catechismum, non solum Principi octenni, Sereniss-

Sereniſſimi Regis filio dedicauit, ſed etiam per vniuerſam Diœceſim, miſſo edicto, ab omnibus Parochis doceri in Eccleſiis curat; adnitentibus in eam curam noſtræ Societatis hominibus, pro inſtituti ſui ratione. Aderat eius exercitationi non ſemel ipſemet cum ſuis; vt rem populo commendaret; accurrebant nonnunquam viri primarij ac Prælati; quinetiam Metropolitanus Ruthenorum, dum eſſemus Breſtæ, abſente Epiſcopo intereſſe cum ſuis Popis voluit, ac ſtudium apprimè collaudare. Et ne cuipiam è ſuis Sacerdotibus, aut Parochis in poſterum hæc doctrinæ Chriſtianæ explicatio difficilior, aut oneroſior videretur, curauit idem Reuerendiſſimus, maximè pro ſimplicioribus, qui eam tradituri ſunt, breues materiæ conuenientes, conſcribi ſeparatim Catecheſes, atque ipſum Catechiſmum, ſignis in eo notatis, denuo recudi.

MAGNO nititur conatu, Ruthenorum, qui Græcæ ſunt Religionis, cum Eccleſia Romana vnionem, cui quidam potentes contradicunt, profnouere: quam ob rem cum Metropolitano ipſorum, & cum Vladica Luceorienſi, qui eius fuere auctores, ſæpius collatis rationibus, & ipſe in eorum templis aliquando celebrauit, & in ſuis eoſdem celebrare permiſit. Cum vero ingrederetur Luceoriam, quæ eius Cathedralis ſedes eſt, non ſolum ab Epiſcopo Ruthenorum, qui Vladica dicitur, fuit honoris cauſa ad tria milliaria comitatus: verum etiam Popi, ſeu Sacerdotes ipſius, ſacris induti veſtibus, ſinguli crucem inauratam geſtantes, obuiam ipſi extra portam proceſſerunt, ipſumque vnà cum Clero noſtro, vſque ad Cathedralem, perhonorificè deduxerunt: quod

Digitized by Google

quod omnibus magnæ fuit & consolarioni, & ædificationi, siquidem nulli vnquam Episcoporũ talem esse delatum honorem in memoria est. Singulari prosequitur amore omnes Religiosorum familias, nostram autem imprimis Societatem, pro qua, sicut olim Canonicus existens, contra maleuolorum calumnias plurimas, luculenta edita oratione decertauit, ita & in itinere, quo ad suam hanc veniebat Diœcesim, studiosè pro eadem laborauit; quasdam componens controuersias, quæ nostro interceserant Collegio cum quibusdam Religiosis, ob sinistras quorundam delationes ac sermones.

At postquam melius adnimaduertit desolatione desolatam esse terram Volsinienſem, quæ cum scholas Hæreticorum ac Schismaticorum habeat, nullam fere Catholicam; & pro tanta vastitate sua, paucos admodum Sacerdotes, ac pauciores multo operarios: seriò, ac grauibus verbis venerabili Capitulo suo proposuit, de Societate Iesv Luccoriam introducenda. Indicarunt ergo ipsimet Prælati bono Episcopo modum, & rationem fundandi, atque ædificandi Collegium, partim ex bonis, quę pro ædificando Seminario iam fuerant assignata quondam; partim alia quædam adijcientes; vsumque Ecclesiæ suæ Cathedralis vltro, & Episcopalis habitationis nobis, dum ædificatur Collegium, offerentes.

Iam veto qui cum ipso mansimus, in propria nostrę Societatis munia pro viribus incubuimus; fuerunt nobis occasiones laboris tum alia, tum orationes quadraginta horarum, quæ tribus in locis habitæ sunt, Reuerendissimo præsente frequentes,

Digitized by Google

cuentes Ruthenì aliquot, & Hæretici, Ecclesiæ reconciliati sunt. E quibus matrona quædam nobilis, minoris ducens amorem matris, salutis suæ ratione, Græco schismate abiecto, ad Patrem Societatis accurrit; & postquam conscientiam suam ei aperuisset, instructa, ciboque cœlesti, refecta, in fidei vnitate est confirmata. Fecerunt & nouum quid, atque Luceoriæ nunquam visum non pauci, qui biduo, quo orationes quadraginta horarum peragebantur, ad vesperam cum processione in templum venientes, acriter diuque se flagris verberarunt, tũ pro suis peccatis. tum ad impetrandam à Deò gratiam nouo Præsuli, vltrò hanc pœnam sibi assumentes. Nec defuimus Ruthenis, in quorum Ecclesijs, rogatũ ipsorum, habuimus subinde conciones. Audiebantur hæ cum summa populi attentione & silentio; adeò vt quidam vir primarius, quodam in loco celebri, nostrum Concionatorem in maxima hominum frequentia audiens, dixerit, nunquam se tantum, tali in loco, obseruasse auditorum silentium; altero subijciente, gratum sibi fuisse, si in longum protraxisset sermonem.

VICE-PROVINCIA LITHVANIÆ.

NVMERVS nostrorum in hac Vice-Prouincia, est vnus & triginta, supra ducentos, è quibus Sacerdotes octoginta tres, & ex his Magistri quindecim; inferiorum autem schola-

rum

rum Magistri viginti quinque; Scholastici triginta nouem: Coadiutores quinquaginta tres; Nouitij viginti quatuor. Omnes in domicilia nouem distribuuntur, quorum domus Professa vna; Collegia septem; Domus Probationis vna. In Domo Professa Warsauiensi, nouem. In Collegio Vilnensi, quinquaginta septem. In Bransbergensi, triginta duo. In Pultouiensi, vno plus. In Niesuiiensi, totidem. In Polocensi, sexdecim. In Rigensi, tredecim. In Derpatensi, quatuor. In Domo probationis Vilnensi, triginta. In Domo Professa Vilnensi futura, penes fabricam Ecclesiæ S. Casimiri, quatuor. Admissi in Societatem duodeuiginti. Ad aliam vitam migrauere duo.

DOMVS PROFESSA VARSOVIENSIS.

EA fuit in nos liberalitas Illustrissimi Palatini Posnanensis, vt eius vnius beneficio maxima ex parte domus sit sustentata. Magnificus Dominus Bobola, florenos mille in ædificium templi largitus est. Religiosorum ordinum propensa in nos studia experti sumus, Augustinianorum, Dominicanorum, & Bernardinorum, qui omnes in præcipuis quibusdam festis, nostros, vt in templis suis verba ad populum facerent, expetierunt: quod nostrorum existimationem auxit apud plurimos. A puero, ad maturam vsque ætatem, fraudulenter quidam confessus, ter per somnum iussus ad ædem Sancti Ioannis ire, & nostro Sacerdoti conscientiam suam integrè aperire, quod & fecit. Ab hæresi reuocati septem. Superstitiones ac veneficia sex feminæ; animum sibi vim in-

Digitized by Google

ferendi, & deprauatam viuendi consuetudinem vna abiecit.

COLLEGIVM VILNENSE.

EX Collegio, duo hoc anno ad meliorem vitam translati, quorum vnus, Martinus Macouiensis, natus in Mazowia, triginta duorum circiter annorum; in Theologiæ studio tertium agebat, in docendo tres ferè exegerat, homo magnæ humilitatis, & patientiæ, & indefessi laboris. Alter Sacerdos Bartholomæus Thomazewic Vilnensis, annorum trigintaquinque circiter. Docuit litteras humaniores, & Mathesin. Studiis quoque magna cum laude biennio præfuit. In Missionibus duabus grauissimis versatus est: vna in Suecia, Sigismundo Tertio Poloniæ Rege, admodum adolescente. Altera in Moschouia, cum Legatis Regis Poloniæ: Vir erat humilis, ac patientis animi, atque in officiis sibi commissis valde laboriosus. Vt superiores duo anni infesti; ita hic millesimus sexcentesimus quartus, Lithuaniæ auspicatus illuxit: nam & immunis à pestis contagione, paucis quibusdam exceptis oppidis fuit, & annona abundauit. Factum id in primis Dei benignitate, hominum afflictionis miserente, deinde Sanctissimæ Deiparæ Patrocinio, quam ciuitas Vilnensis singulari studio, ac religione prosequitur. Deniq; Diui Casimiri Tutelaris Prouinciæ, ac Patroni intercessione, in cuius honore decorando, nõ solum Vilnensiũ, sed omnium etiam Nobilium, ac regionis Procerum sedula pietas eluxit.

Digitized by Google

eluxit. Quod quemadmodum gestum sit paucis pertexendum videtur.

Divvs Casimirus Casimiri Tertij Poloniæ filius, ex Elisabeta Imperatoris Alberti filia, cum ante multos annos, à Leone decimo Pontifice Maximo, Sanctorum Catalogo inscriptus esset, eiusque rei memoria iniuria temporum propè intercidisset, instante Sigismundo tertio Polonorum Rege, apud Sanctissimum Dominum Clementem Octauum, eius Canonizationis confirmatio, & quasi quædam innouatio repetita est. Missum à Sanctissimo Labarum nouum, effigiem Diui Casimiri insigni arte elaboratam, vtrinque ostentans, & hòc decima Maij currentis anni in templum Cathedrale, vbi corpus eius est humatum, ea pompa & solemnitate deportatum, quantum hactenus, ex quo Christo nomen dedit, non vidit Lithuania. Ad templum vbi ventum est, tum demum æther fragoribus resonare, omnia replere tormentorum explosiones, & æra campana omnium Sacrarum ædium vndique personare. Traditum Antistiti à Cancellario, cum plena regiæ grauitatis oratione, vexillum, eoque super monumento Diui Tutelaris erecto, finem Hymnus Sancti Ambrosij celebritati imposuit. Vt verò omnes intelligerent, Sanctum Casimirum singulare apud Deum patriæ suæ suscepisse patrocinium, & maiore voluntatum omnium consensione, sanctioreque lętitia festiuitatem deductionis huius omnes obirent, singulari Dei beneficio, cœli claritas omnium Catholicorum votis expetita, concessa est. Nam cum aliquot diebus ante, propè sine intermissione depluisset, nec ventorum flatus, astrorumque concursus, vllam

Digitized by Google

pro tanta solemnitate serenitatem promitterent, iamque Hæretici more suo Catholicis impia voce insultarent; Si Sanctus est vester Casimirus, tempus serenum impetret: ecce verò repente mane eius diei, cœlum ita sudum apparuit, vt non nubecula quidem illud obscuraret.

NON dissimilis celebritas apud nos fuit, cum ad Domum Professam in eadem Vrbe, primus lapis Templi, Diuo Casimiro consecrandi, iactus est. Maximus enim concursus non tantum Catholicorum, sed ab ipsorum etiam Hæreticorum, Nobilium, & Ducum ex tota vrbe, vicinia, & remotioribus locus factus est. Lapidem à Præsule benedicendum, ad locum fundamenti præparatum, clarissimi quique viri ex Senatorio ordine deportare non sunt dedignati. Fuit in his Illustrissimus D. Nicolaus Christophorus Radziuilus, Sacri Romani Imperij Princeps, Dux Niesvizensis & Palatinus Vilnensis, cum aliis duobus Palatinis, & magno Lithuaniæ Cancellario, præter alios nobilissimos viros, qui sibi permagno honori ducebant, quod hoc obsequio, apud Diuum Tutelarem, gratiam sperarent. Distributa eodem loco Lithotekotica, quibus lapis angularis à studiosa iuuentute, Camænarum modulis est celebratus. Illustrissimus Præsul ibi est Sacro solemniter operatus, & concionem doctam, & spiritu religioso plenam, de paupertate professorum nostrorum habuit, in qua discrimen Domus Professæ, & Collegiorum diserte exposuit. Auxit ea res in tantum Societatis existimationem apud omnes, vt magnas Eleemosynas pro templi fabrica contuletint, alij etiam, annuatim certam summam stipulati sunt,

præ-

Digitized by Google

præeunte exemplo suo Illustrissimo Antistite, qui quoad fastigium operi imponatur, se singulis annis mille florenos daturum recepit. Illustrissimus Dominus Palatinus Vilnensis duo millia, Magnificus Dominus Cancellarius Lithuaniæ, cuius suprà mentio facta, tria millia in idem opus contulit, inter quos vnus alius, singulari & virtute, & amore in Societatem præditus, secretò duo millia florenorum obtulit, vt nemini prorsus id reuelari voluerit. Alij Primates Lithuaniæ idem, pro honore suo & munificentia præstant. Reliquę vero turbæ, flagrans S. Casimiri cultus multis argumentis se prodidit. Nam cum nostri ad conuehendam materiam non sufficerent, qui poterant, equos concessêre, alij, quibus tenuis fortuna, operā & laborem, quantum vires ferebant præstitere.

Saxa erant tria ingentis molis extra vrbis mœnia, quibus centum boues trahendis non suffecissent; hęc quoniam fundamentis aptissima, & fossis subterraneis implendis vtilissima fuêre, populus magna alacritate & conamine, stupendi ponderis molem (numerabantur septingenti homines) ad locum destinatum pertraxit, cum magna ciuitatis admiratione, quę nunquā antea simile quid vidit; nec hoc facto contenti, operam in dies sequentes ad alios lapides peruehendos promiserunt. Itaque breui factum est, vt quæ pondera non nisi magnis sumptibus & laboribus transferri potuissent, ea gratis, & sine negotio transferrentur. Omnē huius anni fertilitatem, ac vitæ fortunarúmq; suarum felicitatem, Inquilini Sancti Casimiri precibus asscribunt. Cū enim diuturnitas frigoris, & maxima imbriū frequentia ad ipsum vsq, mensē Iuliū continuata, vix vllam messem promittere, sed satorū

Digitized by Google

potius omnium interitum minari viderentur, in-
stituta est è conuentu partim ciuium, partim A-
cademicorum, octauâ Maij, ex templo nostro, ad
sepulchrum Diui Casimiri, publica processio, in
qua omnes nudipedes saccis operti, frequentatis
ictibus in sua tergora sæuierunt. Quanquam &
aliquam huius beneficij partem, Augustissima cę-
li Regina, communis omnium fidelium patrona,
videtur sibi vendicare. Quo enim die (qui fuit
primus Iulij) ad templum eius quatuor Vilna di-
stans Germanicis milliaribus, in oppido Trokis
situm, processio solemnis celebrata est, sol vultu
lætiore nos cœpit aspicere. In hac autem proces-
sione post singula milliaria, breuis à nostris Sa-
cerdotibus concio, ad circumfusam multitudi-
nem est habita. In eadem admiranda virtus An-
tistitis, acres reliquæ turbæ stimulos iniecit. Quis
enim ad labores pro cultu Dei, & Sanctorum eius
perferendos non excitaretur, qui videret Præsu-
lem ipsum, ætate authoritateque grauem, digni-
tate præcelsum, corpore, sed non animo languen-
tem, quatuor maximorum milliarium spatia, vno
die tam constanter pedibus conficere? quis non
suspiceret hominem, Pontificia dignitate sublì-
mem, in itinere ad pedes Sacerdotis humi, nullo
centone, vel stragulo substrato sedentem, & ver-
ba Diuina excipientem?

NEQVE hoc silentio prætereundum, quod
eodem tempore contigit. Vir Nobilis ab hæresi
nuper conuersus, à ciuitate aliquanto remotus,
aduentum multitudinis operiebatur: quæ vbi
eum locum attigit, ipse vexillum Deiparæ, quod
in eiusmodi processionibus præferri solet, validis
flantibus ventis, noui catholici zelum admiran-
tibus

Digitized by Google

tibus vniuersis, prætulit. Eadem processio pari solemnitate, parique hominum frequentia, septimâ Septembris, pro gratiis Deo Virginique matri persoluendis, est peracta. Venio nunc ad eos, quibus patrocinium Sancti Casimiri saluti fuit. Pater quidam, cum rogatu Episcopi in missione versaretur, quatuor feminis consilium, meritis Beatissimæ Virginis, & Sancti Casimiri, sanitatem recuperandi dedit. Quædam enim cum insanabili pedis tabe laboraret, atque is ob contagionem serpentem præscindendus esset, suasu illius, confessione peccata sua expiauit, seque ad Sanctissimæ Virginis, ac Diui Casimiri opem conuertit; quod vbi fecit, mirum dictu, perfectè sanata, nostro sacerdoti occurrit, & sibi gratulans, & Sacerdoti gratias agens, quod sanitatis obtinendæ modum docuisset. Altera ob assiduum prope lateris dolorem, marito suo odiosa existens, cum facta delictorum suorum confessione, auxilium Diuæ Virginis, Diuique Casimiri imploraſſet, tertio die cum marito accurrens, Patri pro salutari consilio gratias egit. Alia quædam puella fuit, quæ octodecim annis vexationes, & molestias à dæmone patiebatur: Hæc cum crimina sua ad aures Sacerdotis effudisset, ritéque Sacrosanctam Eucharistiam percepisset, voto ad Sanctum Casimirum nuncupato, libera tandem diuturnis molestijs ad parentes recessit.

Hæc miranda: sed hoc illustre: Matrona quædam Magnifica, opibus, & familia potens, fide Catholica, sed ritu Græca, cum iam præsente Illustrissimo Episcopo, & Prælatis quibusdam, in extremis esset, nec vllum auxilium humanum reliquum videretur, conspecto vno Sacerdote

Digitized by Google

noſtro exclamat gemens, Pater ecce iam mo-
ſtior, quam ille bono iubet eſſe animo, fore ſa-
nam, modo ſpondeat ſe Truleos ad Beatiſſimæ
Virginis Templum profecturam, & Sancti Caſi-
miri tumbam inuiſuram, quo audito, voce in-
termortua ait : Sancte Caſimire ora pro me.
Res mira. Sequenti die cum omnium admira-
tione, morbo libera ſurrexit, inambulauit, &
noſtro Sacerdoti ſe die tertio, explendi voti
cauſa Vilnam profecturam promiſit. Alio quo-
dam tempore, cum idem Sacerdos noſter in
Miſſione verſaretur, vocatus eſt ad infirmam
duobus milliaribus diſtantem, ad quam cum
veniſſet, vna opera plures ſanauit; nam cum
vicus ille eſſet in Hæretici Domini poteſtate,
qui ſeuerè interdixerat (quod & alij Sectarij
ſolent) ne ſubditi in ſuis neceſsitatibus ad Ca-
tholicos Sacerdotes confugerent, ſed ſuæ ſe-
ctæ Miniſtrum adirent: Ingreſſus domum Sacer-
dos noſter, Sacroſanctam Euchariſtiam ſecum de-
ferens, iubet per ſocium ruſticos conuocari, po-
ſitoque Sacramento, illud ipſe adorat cum aliis.
Adeſt quædam mulier, quæ ignara primum Sa-
cramenti maieſtatis, ſed mox admonita, nullo
tamen modo induci potuit, vt genua flecteret;
cum doctrina & monitio non ſufficeret, acrius
obiurgata diſceſsit: eam cum poſtmodum idem
Sacerdos conueniret, mox vlrrò ad pedes eius
ruit, excuſans errorem, quod nunquam tale
quippiam apud Hæreticos vidiſſet. Itaque con-
feſſa peccatorum culpas, infantem etiam vnius
anni, quem antea baptizari noluit, ad fontem
ſponte detulit. Sed vt ad infirmam reuertar, no-
ſter videns mulierem illam iam vicinam eſſe mor-
ti,

Digitized by Google

ti, excipit confessionem eius, quæ nunquam antea confessa erat; salutaribus tum Eucharistiæ, tum extremæ vnctionis præsidiis munit, & cum iam videret in ea spiritum deficere, monet vt Sanctum Casimirum inuocet, ac aliquot ieiunia in honorem eius promittat, illa ex animo inuocat, & parua interiecta mora conualescit. Hinc cum rediret, vocatur ad aliam, quæ morbo comitiali laborabat, hortatur eam, vt in vigilia Conceptionis Beatæ Virginis (quoniam eo die melius habere cœpisset) voluntario ieiunio Virginem sibi propitiam redderet, Sanctumque Casimirum precibus inuocaret; paret, & peccatis ritè expiatis, animæque medela per Eucharistiæ Sacramentum percepta, ab eo morbo curata penitus est. Eodem modo & aliam idem curauit.

Missiones quinquies institutæ, in quibus Pagos decem cùm obiret quidam de nostris, in omnibus propè reperiit homines afflictos, ac nocturnis terroribus infestatos, quibus vt consuleret, induxit, vt sarcinas peccatorum per sinceram confessionem deponerent, seque per adorandum Eucharistiæ Sacramentum Dei ope munirent; quod vbi fecissent, benedictis domibus, datisque cereis consecratis, liberi à spectris nocturnis fuerunt. Inter hos, qui nunquam pœnitentiæ Sacramento vsi erant, fuêre quingenti circiter, quinquaginta sex: Alij qui à viginti, vel triginta, & pluribus annis in sentina vitiorum hæserunt; trecenti quinquaginta Eucharistiam perceperunt; ij qui antea nunquam, ducenti sexaginta tres; baptizati viginti duo: Schismatici Ecclesiæ adiuncti

qua

Digitized by Google

quatuordecim, Hæresim abiurarũt sex. In clandestino matrimonio viuentes, copulati viginti sex. Idem Sacerdos oppidum adiit, in quo templum ab Hæreticis hactenus profanatum, vigilanti studio Episcopi recuperatum est: Illic oppidani tantam in fide Catholica constantiam semper præstitere, vt nullis blanditiis, nullis terroribus ab eius integritate, se passi sunt vnquam auocari. Cognito autem nostrorum aduentu, dato signo, certatim ad templum omnes accurrerunt, tanta frequentia, vt templum vix caperet. Iactus sermo ad illos, in quo laudata primum eorum constantia in fide Catholica; deinde commoniti, vt ad pœnitentiæ fructum, & ad corporis Christi perceptionem se disponerent. Post oblatum Deo sacrificium, tanta multitudo concurrit pœnitentium, vt exhaustis pæne viribus, Sacerdoti nostro ne panem quidem gustare liberet. Et quia breue tempus in eo oppido manendi fuit assignatum, bis quotidie doctrina Christiana explicata est, tanto audientium ardore, vt licet tribus horis ad eos sermo fieret, ex templo non discederent.

SHISMATICI adiũcti Ecclesiæ, tres; baptizati infantes septemdecim. Sacramento matrimonij, eorum qui illegitime viuebant, copulata paria decem & septem, quorum nonnulla etiam admodum senum fuêre. Incolæ Lithuaniæ à nostrorum consuetudine remotiores, ita Sacerdotum auxilio destituti sunt, vt non solum fidei Catholicę mysteria nesciant, sed ipsum propè Deum ignorent: Vnde fieri necesse est, vt in varios errores, & nefandas superstitiones prolabantur. Quod ex his quæ subijciam manifestè patebit. Quidam enim in alios, præter Deum cæli, Deos do-

Digitized by Google

domesticos habent, quibus statis anni temporibus varia offerre consueuerunt. Vnum enim Deũ domesticum habent, quem ipsi lingua sua Dimstapatis vocant, de quo diuersi diuersè opinantur. Alij dicunt eum Deum esse ignis, qui domos ab igne custodit; & huic offerunt gallum, quem coctum ipsi absumunt, ossa vero in focum conijciunt. Alij aiunt hunc Deum esse matrum familias, cui ipsæ matres familias offerunt porcam, quam circunstantes mulieres tenent, annosior verò mactat: carnes eædem comedunt. Ab hac actione pueri, puellæque excluduntur, ne ob illorum præsentiam, aliquid illis, apud Deum illum, meriti decedat. Alium habent Deum itẽ domesticum, quem Pagyrmis sua lingua vocant, huic quibusdam in locis viri porcum, quibusdam bouem, feminæ gallos, idque ter in anno immolant; Illicitum est virorum sacrificiis feminas interesse, feminorum vicissim viros. Deum hunc à lapide molari, quo frumentum teritur, dictum volunt; nam sub eodem secretum ei latarium, assere distinctum, asseruant, & pro religione habent sponsam, vel nouam nuptam non prius ad gubernacula domus admittere, quam eidem Deo panem, & mantile obtulerit. Plures huius generis Deos colunt, quos breuitatis causa prætereo. Illud dumtaxat adijcio, eo dementiæ prolapsos homines, vt serpentibus numen inesse credant, quocirca diligentissimè cauent, ne quis eis, quos domi seruant, vim inferat; quod graue periculum se passuros, ob iniuriam illatam ominentur, acciditque interdum, secundum fidem illorum, vt nonnunquam serpentes, ab vberibus vaccarum dependentes, & lac exugentes reperiantur, eam

Digitized by Google

eam ob causam, cum quidam noster perimere vnum vellet, homo quidam vanis precibus egit, vt eum à proposito auerteret, cùm non proficeret, serpentem manu arreptum fugiens abscondit.

IN his tenebris & erroribus è fidelium animabus depellendis, industria nostrorum, non sine fructu, versata est. Nam in vno loco ad piaculare Sacramentum, sacramque Synaxim adductiquingenti, qui ne semel quidem actus suos Sacerdoti manifestare didicerant. Alij, qui decem annis eoque amplius acta peccata celauerant, conscientiæ latebras scrutari, seque nexibus peccatorum exoluere sunt persuasi. Matrimonio copulati complures, baptizati non pauci, nonnulli ab Hæresi absoluti. Dum his laboribus distineretur Sacerdos noster, vocatus est per aliquot milliaria ad duas mulieres, ab infestatione maligni spiritus curandas, quarum vnam à multo tempore, in specie tauri, aut equi, aut canis apparens dæmon, adeo concutere consueuerat, vt vix semiuiuam relinqueret. Alteram, cum ei septem filios præfocasset, ex vna domo in aliam transportare solebat. Ambæ (quæ Dei benignitas est) confessione expiatæ, & firmissimo Christi corporis præsidio munitæ, domibus earum benedictis, & superstitionibus, quibus assuetæ fuerant sublatis, in meliore statu sunt relictæ. Caunæ oppido secundum Vilnam præstantissimo, multis indulgentia plenaria à Sanctissimo Domino Clemente Octauo, per nostros concessa, fuit saluti; constat enim tantum fuisse ad nostros audiendos, & sacrosancta mysteria ritè percipienda concursum, quantus longo tempore non fuerat visus. Itaque

Digitized by Google

discedentes non mediocre sui desiderium apud omnes reliquerunt. Alio in loco lararia destructa : rotarum in horreis collocatarum contra furta, abusus sublati : vice earum cruces erectæ; plurimi doctrinam Christianam & Orationem Dominicam, quam flocci ducebant, edocti; sceleribus confessione depositis, ad meliorem frugem reducti sunt. Hæc foris. Domi vero, octo ab Hæresi absoluti, contractus vsurarij resciſſi. Nouem à Schismate conuersi, totius vitæ confessiones exceptæ plurimæ, quarum quædam quinquaginta ferè annorum. Nonnulli nutantes in fide confirmati: Absoluti à Schismate præter supra commemoratos tres. Ab Hæresi quatuor.

COLLEGIVM BRANSBERGENSE.

PAROCHVS quidam moriens, eleemosynam duum millium & quingentorum florenorum Collegio tribuit. Bonus nostrarum scholarum odor pridem diffundi cœptus, fecit vt exteri complures, ac præsertim ex Daniæ regno, huc confluant. Præter morem etiam Vicini nostri Gedanenses, plures ex suis in dies ad nos transmittunt. Pietatis vniuersorum, id argumentum ac indicium haudquaquam obscurum est; quod per varias domos Conuictorum Nobilium, Alũnorum Pontificiorum, Seminarij Diœcesani, ac ciuitatis denique dlstributi, singuli suas B. Virgini sacras habent congregationes, in quarum album

propè

Digitized by Google

propè omnes, quibus per ætatem licet relati, ita pietatis exercitiis vacant, vt tam in Pœnitentię, ac Sacræ Synaxeos Sacramentis frequentandis, quam corporis voluntariis afflictionibus, cum vsus postulat, suscipiendis, aliisque id genus pietatis officiis obeundis, mirus multorũ eluceat ardor, miráq; constantia. Tres Societati sua nomina dederunt, plures idem facturi, nisi bellicæ calamitates, ac terrores obsisterent. Totidem etiam, Philophia hoc anno absoluta, in vrbem profecti sunt, vt istic ad Societatem admitti, suumque tyrocinium absoluere possint. Ab Hæresi, ad lumen Catholicæ veritatis, reducti viginti. Inter hos fuit quidam Lutheranus Minister, animi dotibus insignis.

COLLEGIVM PVLTOVIENSE.

SCHOLASTICI nostri diuersos pagos peragrarunt pauperum more, ad instituendos rudes in doctrina Christiana, lætis sane successibus, & omnium quos adiere solatio, & subsidio, & exemplo salutari. Ecclesiasticus quidam, à statu suo alienissimam vitam cum aliquamdiu transegisset, ductus tandem pœnitentia, vt satanæ exueret laqueos, ad nostrorum sibi opem confugiendum ratus, viam haud segniter ingressus erat: cùm ecce media luce, subitò malus dæmon aggressus, conuulsum atque ad terram allisum, præfocare pæne visus est; auditi canum latratus, nusquam apparentium, & voces, quibus singillatim percensebantur eiusdem grauissima flagitia: Interiisset pę-

no

Digitized by Google

ne miser terrore exanimatus, & violentia malignorum quasi oppressus spirituum, nisi salutem intulisset afflicto, haud dubium, missus à Deo spiritus bonus; qui iureiurando adegit præsenti periculo ereptum, ad vitam in posterum, prout status & ratio poscebat, exigendum. Non destitit nihilominus versipellis inimicus, hominem infestare in reliquo itinere, ac inter cætera denunciat illi, transactam iam dimidiam ab ipso pœnitentiæ partem; poscit deinde, ne sit nimius in culpis deponendis apud Monachos illos, sic Sacerdotes Societatis vocitans; verum nihil obtinuit, depulsa est ægritudo, redditaque Dei munere mentis optata sanitas. A vaga libidine abscessêre octo: ab alieno thoro quatuor: ab Hæresi sex, à Schismate vnus.

Post vnius è nostris concionem de improba maledicendi consuetudine, & crebra dæmonum imprecatione habitam, venit quidam contestans, se non multas ante hebdomadas expertum, quid sit dæmoni aliquem tradere discerpendum. Vxori enim propriæ cum id fuisset imprecatus, eodem planè momento, illa adeo rabide in se desæuijt, vt miserandum in modum pectus, & faciem vnguibus concerpserit, concerpentem autem vir, homo alioqui robustus, nullo modo potuit cohibere; tandem vbi desiit debacchari, Confeciſti me, ait ad virum, audi cachinnantem iam dæmonem, eumque indicabat certo loco: expiatus est ille, dataque antidota. Accidit & aliud quiddam, in genere tamen dissimili, non enim imprecabatur hoc, quod accidit filiolo, miserandus in casu infelici Pater; sed ad terrorem, comminabatur se facturum, nisi caueret in poste-

rum

rum, quod commiserat. Nouem annos natus erat filiolus, & factum admiserat, pœnâ dignum: cui parcens Pater, vnum duntaxat interminatus est, nimirum, si quid tale atrentaret iterum, se in profluentem daturum ipsum præcipitem. Pauci interceſſere dies, adornat parens iter, secumque vna filiolum currui insidentem defert. Ventum ad pontem est; is medius, vbi maxima profluentis violentia & profunditas erat, subito abrumpitur; præcipitantur equi, currus, & puer, euadit parens. Is vna cum afflicta coniuge, apud Sacerdotem nostrum, sibi causam extincti filioli imputantes, solatiis leniti, admonitique sunt, ne quid temerè deinceps, perturbato obsequentes animo, nuncient.

COLLEGIVM POLOGENSE.

LABOR nostrorum hos fructus attulit: vndeuiginti gremio Ecclesiæ Catholicæ restituit: Ruthenos verò plus minus decem, in Schismate obfirmatos, ad Ecclesiæ communionem Pontificisque Maximi authoritatem reuocauit. Antistes quidem ipsorum, quem Wladikam vocant, diebus solemnioribus cum aliquot suis Popis & familia, concioni nostræ interest, siue quod habeat filios Catholicæ religioni addictos, siue vt ostendat se à Communione Ecclesiæ Romanæ, & authoritate Pontificis non alienum: plebs vero ita peruicax & obstinata, vt nec audire sermonem hac de re velit. Discipuli eruditur in scholis, tum ad litteras, tum maximè ad pietatem,

tem, pauci quidem numero, fructu tamen iucundo, cum & litteras eruditionemque, quod hic perrarum est, ament, & nobilium aliqui ita forti, & constanti animo schisma ritusque patrios auersentur, vt etiam minas parentum suorum, palam nihil se facere præseferant, cum & rei diuinæ, non solum libenter interfint, verumetiam ministrent Sacerdoti, & Christianæ disciplinæ elementa sedulò ediscant, ac labes animæ exomologesi sedulò eluant. Domus etiam Studiosorum pauperum suos progressus habet. Congregatio veteri instituto pietatem colit, ex qua exercitationibus spiritualibus imbuti aliqui.

RVTHENI qui Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, posita contumacia, suauissimo iugo ceruices submiserunt, centum & aliquot coram sacerdotibus nostris, non sine dolore ex flagitiorum recordatione suscepto, integra, & omnium annorum confessione facta, vinculis peccatorum se exemerunt. Multi sunt Rutheni dogmatis, qui cerimonias, & authoritatem Romanæ Ecclesiæ non improbant, suas tamen traditiones mordicùs retinent. In his femina quædam, siue stimulis conscientiæ adacta, siue veritatis luce impulsa, cùm proposuisset, Sacerdoti nostro ritu Catholico animi noxas, quibus in omni vita se polluerat, expiare; ad Popum nihilominus ire cogitans, in ipso itinere ad terram ruit, deliquium animi graue patitur, ægrè & vix spiritum trahens, domum ab occurrentibus reducitur; vbi verò aliquantulum rediit ad se, suum agnoscit errorem, diuinamque in se misericordiam: Itaque vocat vnum è nostris Sacerdotem, rem & causam tantæ debilitatis, atque morbi explicat, retroactam vitam con-

Digitized by Google

fessione detegit, eluisque animi sordibus, mysteria percipit Sacrosancta.

COLLEGIVM NIESWISIENSE.

LABORATVM in pagis circa pauperes colonos, qui templo & Sacerdote destituti, vitæ atque doctrinæ Christianæ planè ignari viuunt, nec male cessit Deo iuuante labor; Effectum enim apud Pagorum præfectos, vt festi dies, quos rustici seruilibus operibus profanabant, sanctius celebrentur: Vtque è propinquioribus pagis ad nos veniant, Cathechismo imbuendi. Quam ob causam decuriones etiam inter illos constituti, qui festo quoque die vicinos conuocant, & gregatim ad templum nostrum, catecheseos erudiendos deducunt. Sancitum præterea, ne matrimonium contrahant, nisi præmissa peccatorum confessione. Pueri Baptismo lustrati sexaginta sex. Sacramento confessionis nunquam ante vsi, purgati centum septuaginta tres, complures ad eiusdem vsum diu intermissum reuocati. Nuptiali fœdere copulati triginta septem: à turpi consuetudine, ad legitima connubia, traducti nouem: Schismatici Rutheni, Ecclesiæ Catholicæ reconciliati, triginta nouem. Hæretici à diuersis hæresibus liberati tres. Æger quidam lingua & mente captus, ad Deum fusis precibus sanitati restitutus, factaque confessione, vltimum vitæ diem clausit; atque ista in pagis: In aulis vero nobilium, hæc potissimum diuinitus acciderunt: Simultates inueteratæ inter varios, sed præ-

Digitized by Google

præcipuè inter duos Heroas, quæ multis erant offendiculo, ac priuatæ publicæque rei magno detrimento, sublatæ. Quidam vir Nobilis ac diues, paralysi ac chiragra implicitus, vouit, si sanus euaderet, templum se in monte, Diuo Michaëli sacrum, pauperis habitu accessurum: sanatus intra breue tempus, votum magna pietate exoluit. Alter eiusdem conditionis, in graui submersionis periculo simili voto liberatus est.

COLLEGIVM RIGENSE.

EXCVRSIONES variæ toto animi tempore factæ, partim per Lithuaniam, partim per Liuoniam: in priori quidem, Nobilibus præsertim & Illustribus, animæ pabulum, per conciones & sacramenta, magno cum fructu exhibitum. In altera vero, ad viginti milliaria variæ arces continuò ferè obitæ, ibique tum Polonis, tum Germanis subuentum: præcipuè tamen paucis illis, ex fame, peste, ac flagrante adhuc bello, residuis Lotauis, spiritualia subsidia collata. Nostrorum quoque opera Nobiles, tam spirituales, quam seculares, graui odio inter se dissidentes, reconciliati; quorum sexdecim, arctissimo amicitiæ vinculo iam deuincti sunt: quatuor coniuges, qui diuortio faciendo multa tentauerunt (quorum vnus etiam de nece vxori inferenda, varia molitus fuerat) omni odio depositio, in gratiam redière. Matrona nobilis, à proposito voluntariæ necis sibi inferendæ, auocata. A concubinatu abducti quatuordecim: A meretricio quæstu sex.

Digitized by Google

Egregia quoque opera, hoc calamitoso bello inter Carolum Sudermaniæ Ducem Suëcum, & Regem Polonię durante, nauata est in defensione pauperum subditorum, tam Collegialium, quam etiam vicinorum, qui videntes subsidio nostrorum Sacerdotum, se ab iniuriis Militum liberari, ac per vim sibi ablata restitui, vota Deo, nobis gratiarum actiones crebro persoluebant. In aula item Illustrissimi, & Magnifici Sacræ Regiæ Maiestatis Generalis exercituum Capitanei, laboratum est vtiliter.

Ipsemet Illustrissimus Dominus Capitaneus, Rigæ interdum manens, aliquoties Collegium inuisit, & contra hostem se accingens ad nos descendit, valedicturns, ac nostrorum orationibus se, exercitumque commendaturus: Cui cum Sacerdos noster omnium nomine, succincta oratiuncula fausta quæque imprecatus esset, tum ipse singulos amplexus, ac magno affectu conatus suos commendans, discessit. Post cuius discessum, Illustrisima coniuge illius præsente, oratio quadraginta horarum, pro Sanctissimæ Deiparæ Natiuitate celebrandâ, in templo Collegij Diuo Iacobo sacro, instituta est. Quo eodem tempore, insignem de hostibus victoriam à Deo Optimo Maximo, vt credimus, impetrauit, quam ipsemet, non nisi Dei intercessione partam, literis suis testatus est, quod die sabbati Beatissimæ Virgini sacro, quasi miraculosè intra vnius horæ spatium, tanti exercitus, & tam bene instructi, plusquam tribus millibus cæsis, reliquis fugatis dissipati sunt. Pro quâ victoriâ, Deo gratus sacram vestem Antipendium vocant, ex albo serico filis argenteis intertexto, in Diui Iacobi

æde

æde obtulit. Acceſſit & alia caſula, quam Nobilis quædam matrona, cum aliquot pretioſis mappis, in vſum altaris obtulit. Salutari confeſſione hoc anno apud Sacerdotes noſtros, expiati quatuor millia & octodecim. Ex horum numero, refecti ſacra Synaxi, tria millia centum nonaginta duo. Tota vita nunquam ante confeſſi, partim matura, partim grandæua ætate, ſeptingenti nonaginta ſex. Hæreſi abiurata, ad gremium Eccleſiæ, ſe receperunt nonaginta octo: Inter quos, ex inſignioribus Nobiles duo. Schiſmatici ad vnionem, & Sacramenta Eccleſiæ, reducti duodecim. Matrimonij benedictio collata paribus coniugum, centum triginta duobus. Inter quos vnus, qui ab annis octodecim cum vxore in hæreſi, contempta benedictione Catholica vixerat, inductus, vt & hæreſim abiuraret, & à Sacerdote noſtro benedictionem acciperet. Sacro baptiſmatis fonte tincti hoc anno, ducenti triginta ſeptem.

COLLEGIVM DERPATENSE.

CIVITATEM annis ſuperioribus ita exhauſerunt bella, fames, peſtilitas, vt paucæ domus, & ciues pauciſſimi ſuperfuerint. Collegium etiam maiori ex parte corruit, & fundatio vna cum ruſticorum interitu (pauculi enim tantum, ijque inopes reliqui ſunt) penè funditus interiit. Quatuor ergo dumtaxat è noſtris hic degunt, reſiduis Catholicis, & militibus, per Sacramenta auxilio futuri. Alius enim Sacerdos aut Parochus

Digitized by Google

chus in totâ Estonia est nullus. Quare ante belli exitum, nec de pluribus huc mittendis, nec de scholis aperiendis vlla esse potest cogitatio, cùm nec annona suppetat, nec habitatio in artificum, & materiej penuria sperari commodior possit. Hi tamen pauculi ad vicinos rusticos (qui hinc inde sparsi reperiuntur) consolandos, & Sacramentis reficiendos, magno illorum commodo & consolatione, identidem excurrunt.

DOMVS PROBATIONIS VILNENSIS.

CALENDIS Nouembris, migrauit Nouitiatus Polocia Vilnam, atque in domo, mille ducentis quinquaginta florenis emptâ, & ex ruinis, prout necessitas postulabat, obiter restaurata, primò collocatus est. Deinde cum satis angustè habitaret, empta est vicina domus ampla & opportuna, florenis mille septingentis quinquaginta, ita vt iam non modo amplam, & commodam, sed quietam quoque, amænam, salubremq; habitationem sint habituri, vbi nonnihil ad normam Societatis non magno sumptu accommodata fuerit.

FINIS.

BIBLIOTECA
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google